


RODOLPHI GOCLENII

PROFESSORIS PHILOSOPHICI IN ACADEMIA MARPURGENSI,

Problematum Grammaticorum LIBRI V.


OMNIBUS PURÆ, EMENDATÆQ; locutionis studiosis maximè profuturi.

CUM DUOBUS SOLEMNIBUS ACTIBUS RENUNCIATIONIS, uno XIX. Magistrorum; altero XXIII. Baccalaureorum, eorumque orationibus.

EDITIO TERTIA

Nunc denuò ab Auctore recognita, innumeris locis aucta, à mendisq; repurgata.





LICHÆ,
E TYPOGRAPHIA KEZELIANA.
M. D. CIV.

GENERIS AC
NOMINIS SPLENDORE ORNATISSIMIS Juvenibus,

GODEFRIDO SCHARFIO Borusso, &

ARNOLDO STEDINGK Holsato,

Philologiæ politioris literaturæ & L. L. Studiosissimis in Acad. Marpurg.

RODOLPHUS GOCLENIUS
S. P. D.

Scholas et exercitationes Grãmaticas, partim ex adversariis meis, partim è chartis, quas pro derelicto habui, quorundam studiosorum impulsu in unũ corpus collectas, ut edi divulgariq́ paterer iidem à me efflagitantes obtinuerunt: etsi, quod lucernam non oleant, latêre eas maluissem. Visum autem mihi fuit faciendum, ut hoc opusculum vobis inscriberem ac dedicarem: tum ut amoris erga vos mei aliquod testimonium exstaret: tum ut materiem quoque praeberem exercendi ingenia vestra et inquirendi



in ea, quæ vel doctissimis etiam quibusque scrupulum injicere, vel in utranque partem à lectis ingeniis disceptari possunt. Accipite igitur benevolè, quod offero, ac lectione vestra non indignum judicate. Quod si à vobis factum intellexero, efficietis profectò, ut reliquas duas partes per me informatas affectasq́ue, unam, quæ ἀπορίας græcas, alteram, quæ Themata disputation. Grammat. & Latinæ linguæ utilissima complectitur, ad proximum semestre à me habituri sitis paulò accuratiores, modò natura longiorem hujus lucis usuram mihi dederit. B. V. Marpurgi ex meo ἐργαστηρίῳ Calendis Aprilis, Anno Servatoris, mill, quing. undesexcentesimo.

Man-

MAURITIUS HASSIÆ LANDGRAVIUS AD FIDELEM suum Rodolphum Goclenium ex tempore.

Grāmatica ante alios noster valet arte Rodolphus,
Cui puram linguam Musa Magistra dedit.
Et logica ante alios noster valet arte Rodolphus:
Invenit, argutè disputat atque docet.
Rhetorica ante alios noster valet arte Rodolphus,
Cui phrasis ornata est, actio voxq́ proba.
Ergo canat laudes nostro pia Musa Rodolphe
Grammatico, Logico, Rhetoris arte bono.

IN PROBLEMATA GRAMMATICA CLARISSIMI VIRI, Dn. Rodolphi Goclenii Professoris Marpurg.

QUòd jam Grammatico desudas currere clivo,
Et Canonas fabrica cuderr mentis amas:
Dum tibi *GOCLENI*, declivior orbita vitæ
Curritur, ac ævi sera senecta venit:
Scilicet hoc rursum est puerascere, jamque relictas
In cœnam pueris ponere velle nuces.
Non solùm pueris, inquam: juvenesque virosque
Est reperire hodie quos docuisse queas:
Tam multos etenim vesana inscitia vexat,
Arcadiæ ut pecudes hos superare putes.
Quādo ita vis igitur puerascere, docte *Rodolphe*,
Dum caput in senium vergit honore tuum,
Efficies, pueros non serò senescere posse.
Sint annis pueri, sunt tamen arte Senes.
TE pueri in ludis puerorum teq; Magistri,
Dicent, *Bis puerum sic fieri arte senem.*

Conradus Bachmannus Milsung. Hass.
Lud. L. Giessens. M. & divin. P. studiosus.

AD RODOLPH. GOCLEN.

*F**Ingere quo mentem mortalibus ipse sagacem*
Posses, sudasti Magne Rodolphe diu.
Nunc linguam informas, cujus mysteria pandis,
Ut vitent linguæ barbariemq; vaga.
Optima nam quid scire juvat? nisi vox ea scitè
Proferat in medium, scire tuum nihil est.
Ergò tibi grates solvent nunc ore latino,
Queis vigilat pectus, quos docet osq; tuum.
Ptolomæus Pyrites.

Grammaticē bene disce puer: qui negligit illam,
Huic est à tergo pœna parata comes.
Rodolph. Goclen.

IN NOMEN ET COGNOMEN
Godefrid. Scharf.

Q*Vam factum benè, quod* Godefridi *es nomen adeptus!*
Te placidi mores ostendunt Pacis amantem.
Quàm factū benè, quòd Scharfi *es cognomen adeptus!*
N*atura ingenium tibi condonavit* acutum,
Acreque *judicium. Meritò ergo publica quondam*
Res te poscet, & in summa arce locabit honoris.
N*obilium decus, aucta viris Borussia claris.*
Rodolph. Goclenius.

IN NOM. ET COGN. ARNOLD.
Steding Filii amplisſ. viri Dn. Gerhardi Steding. illustrisſ. Holsatiæ Ducis, & Sueciæ Principis excellentissimi, consiliarii.

D*Iceris Arnoldus: factū bene!* Fautor honesti *es,*
Servatorq; tenax recti, unde oriuntur honores.
Stedingi *cognomen habes factum benè! nostre*
Assiduè & constanter *agis* res *ordine dignas.*
Rodolph. Goclen.

EPIGRAMMA AD CLARISSIMUM VIRUM Dn. RODOLphum Goclenium, inclytæ Academiæ Marpurgensis Professorem Philosophiæ celeberrimum, amicum suum veterem, &c.

Nicolai Theophili Cimbri I.V. Doctoris & Professoris Regii in Academia Hafniensi.

DVm rerũ caussas rimare RODOLPHE latentes,
Multaq́ cimmeriis eruis è tenebris,
Et cæcis infers naturæ lumina chartis,
Et clausum ad Musas nobile pandis iter:
Et Physicis logicas adjungis gnaviter artes:
Magnus & es Physicus, magnus & es Logicus:
Perge tuo cupidæ prodesse labore juventæ,
Quodq́ facis studiis utilis esto scholis.
Ingenii monumenta tui ne subtrahe, libros:
Invidiam Musis dedita turba fugit.
Sic petitur cælum, sic gloria vera paratur:
Quæritur hac, alia non ratione, decus.
Hoc Phœbus, Musæq́ probant, Academia poscit,
Accola quam Rheni Lanus honore colit.
Hoc quoq́ doctorum desiderat ordo virorum,
Qui non immeritò te reverenter habent:
Sic eris Aonii ductor gregis atq́ magister,
Et fama tanges laudis utrumq́ polum:
Et suum Aristotelem te Teutona terra vocabit,
Et Ramus nostri temporis alter eris.
Vive diu sospes, me semper habebis amicum,
Dum licet hac vita conditione frui:
Vive vale & nostri non oblivіscere amoris,
Et meus, & caussa est cur tuus esse velim.

RODOLPHUS GOCLENIUS

AD LECTOREM, NON SATIS DOCTUM LATINÆ LINGUÆ, UT BARBARISMOS, quibus assuevit, dediscat, latinismos contra addiscat.

NE ride. Hermanno si fas est credere Buscho,
 (Vir genere & Musa nobilis ille fuit,)
Mumpsimus orabat triginta circiter annos
 Indocti quidam sacrificus generis.
Sumpsimus intereà quantumvis esse legendum
 Admonitus, tenuit *Mumpsimus* ille suum.
Sic hodie multi retinent, didicêre quod olim
 Non bene: complecti nec meliora volunt.
Barbariæ cœno linguam infecêre sub ævo
 Primo, & iis semper barbara lingua manet,
Vel si reprensi fuerint: Assuescere tantum est
 A teneris: tantum mos vitiose potes.
Tu verò eloquii lector studiose latini
 Sacrifico huic similis sis maneásve, cave.

Prole-



DE V. ÆTATIBUS ROMANÆ LINGVÆ: AD ELEgantioris Latinitatis Studiosos.

RODOLPHVS GOCLENIVS.

Urbis Roma ab historicis numerantur ætates quinque à prima ejus origine. Prima ætas fuit sub Regibus an. 246. quasi pueritia urbis, qua Reges septem fuere Monarchæ. 1. Ætas Regum.

Secunda ætas fuit sub consulari potestate & libera Aristocratia, hoc est, gubernatione optimatum per annos 460. quasi juventus & viridior ætas, seu adolescentia. Hæc optimos quosque principes habuit, & viros omni genere virtutum atq; prudentia ornatissimos. 2. Consulum.

Tertia ætas sub Cæsaribus & Imperatoribus: quorum Monarchia legitima duravit à Iulio Cæsare usq; ad Valentinianũ III. per annos 504. Virilis hæc ætas Imperii Romani: tametsi aliquot imperatores magis tyrannicè præfuerunt, quàm clementer. 3. Cæsarũ Romanorum.

Quarta ætas fuit sub Tyrannis & barbaris, qui Romam atq; Italiam afflixerunt, miserrimeq; vexarunt, per annos 375. ad Carolum Magnum usq;. Hæc *quasi senectus est urbis, qua conciderunt propè vires ejus, ac confecta sunt. Facta enim est tum Roma spolium barbarorum hominum, & totius adeò orbis terrarum præda, ac tum deniq; provincias ditionesq; suas, à barbaris sibi ereptas, amisit.* 4. Tyrannorum & barbarorum.

Quinta est acta ætas, quasi decrepita & confecta, sub Pontificibus Romanis & Cæsaribus Germanis hactenus, annos circiter octingentos, quibus imperio libertateq;, nedum provinciis, exuta urbs Roma est ita, ut nihil interim sit aliud, quàm mancipium. Ita *quoque* Julius *Scaliger Latinæ Poeseos ætates quinque statuens, Rudimenta, inquit, quædam primi poeseos exortus* 5. Cæs. Germanicorũ. 1. Poeseos infantia.

2. Poeſeos adoleſcentia. agnoſcimus, Flexumq; ætatis tanquam per adoleſcentiam, à Livio Andronico atque Ennio per Accium, Nævium, Plautum ad conſummatum florenſq; tranſmiſſum robur? quod in Terentio, Catullo, Tibullo, Horatio viget: In Virgilio etiam luculentè ſplendet: A quo ad Martialem, Iuvenalem, Silium, Italicum, Statium devergens paulatim effloreſcit. Tum autem quarto velut decurſo ſpatio hæſit in ſenii veſtigiis cum Sereno, Sidonio, Severino, Auſonio. Atque hæc quidem præ ſe ferre videbantur hactenus imaginem quamptam inæqualis vitæ noſtræ. Verùm longo, poſt hoſce, tempore, non ſecus atque intermortua, tandem pene derepente ſatis magna, velut Tages alter, exſtitit. Nam tametſi de integro rediviva novam ſub Petrarcha pueritiã inchoaſſe, atq; inde à Philelphi ſtudio clara admodum incrementa accepiſſe viſa eſt, haud exiguam tamẽ illã tum fuiſſe puto: quam conſtat penè illicò multorum illuſtriſſimis ingeniis confirmatam, cum antiqua illa optima certare potuiſſe.

4. Παρεγχμή, languor & remiſſio vigoris.

5. Senectus.

Ἀνάστασις & παλιγγενεσία Poeſeos.

Etenim ſi unum modò Virgilium excipias, Palingenium, Aonium, Politianum, Cerratum, Vidam, Pontanum, Sannazarum, Frateſterium, quos cum cuivis veterum compares, multis ſed non ignobilibus, antepones. Poſſunt etiam ætates hæ contrahi ſic.

Prima: quò Cæcilium, Ennium, Pacuvium, & his longè meliores Plautum & Terentium refero.

Secunda, in qua colloco Virgilium, Cornelium Gallum, Lucretium, Quintilium Varum, Propertium, Ovidium, Tibullum, Catullum, Horatium. Hæc feliciſſima eſt.

Tertia, quæ poſt Auguſtum Cæſarem ad externos uſq; Imperatores eſt emiſſa, (Nervam dico & alios) ſcriptores habuit, Sulpitiam

tiam (fœminam) Valerium, Flaccum, Statium, Iuvenalem, Persium, Senecam, Silium, Sulpitium, Lucanum.

Poeseos est ætas — *Quarta habuit Matrum, qui scripsit de herbis (Non est is, qui Augusti fuit tempore) Serenum, Sidonium, Calphurnium,* Ne*metianum, Boetium, Ausonium, Paulinum, Claudianum.* Inter hos *Boëtius & Claudianus, Scaligero maximè probantur. Ego addo his Prudentium.*

Recentior habet Petrarcham, Philelphũ, Marullum, Maphæum Vegium, Baptistam Fieram, Baptistam Mantuanum, Accium, Michaëlem Verinum, Strezzos, *patrem & filium, Palingenium, Pierium, Euricium Cordum, Eobanum Hessum,* Mycillum, *Alciatum, Iohannem* Secundum, *Stigelium, Georgium Æmylium, Acontium,* Ioannem Majorẽ, *Buchananũ, Lotichium. P. Paganum, Sabinum, Nicolaum* Reusnerũ, *Meibonium, Nathanem Chytræum, Ioachimum Meisterum, Fridericum VVidebramum, Paulum Melissum,* Michaëlem *Raidum, Hermannum Kirchnerum.*

Eodem modo plures ætates latinæ linguę numerari possunt, cum ejus sunt initia, progressiones & declinatio.

1. *Infantia ac pueritia seu seculum priscum seu antiquissimum latini sermonis fuit ante Terentium.*

Scriptorum hujus ætatis compositio alicui durior, phrasis horridior, verba itẽ singula minus lecta, & sæpe ingrata. Initium tamen hujus ætatis (Livii Andronici & Catonis Censorii) rude plane & austerũ: proximũ verò huic cœpit esse cultius & elaboratius (Lucilii,

Accii,

Accii, Plauti (qui illis longè latininor) item oratorum Galbæ, Crassii, Antonii)

2. Ἀκμὴ *ætas vigens, florens, constans, matura, pura, incorrupta, perfecta, absoluta doctrina & elegantia seculum aureum, habet scriptorem* Terentium, *qui tamen ex priore ætate aliquid retinuit, id est, habet nonnullos Archaismos. Floruit an. urbis 180. cum ante paucos annos Ennius, poeta Rom. sententiis gravis, sed verbis incultior, (unde Virg. se ex Ennii stercore colligere dixit,) mortuus est. Præter hunc habuit* M. Ter. Varronem. *Augustino literatorum doctissimum. Quintiliano Romanorum eruditissimum virum,* M. Tullium Ciceronem, *aureum eloquentiæ flumen, omnium Latinorum optimum & perfectissimum.*

Julium Cæsarem, *qui valdè dulcem stylum habet.*

Salustium Crispium, *qui multas Romanæ historiæ partes magna cum sapientia & pura argutaq; brevitatis elegantisq; facundiæ laude perscripsit. In hoc tamen etiam obsoleta quædam repertas & novata.*

Oratio Sallustii est pressa & concisa, & sapientissimis sententiis referta.

Moderatum Columellam *Gaditanum, qui libros scripsit de Agricultura temporibus Imperatoris Tiberii* Claudii, *patrui Caligulæ.*

TitumLivium Patavinū, *qui Romanæ scriptor nobilis historiæ (scripsit decades 14. id est, libros 140. de quibus tantùm tres decades exstant, & quinta dimidium) verè lacteo eloquentiæ fonte manans, admirabili orationis gravitate, & copia ac splendore omnibus ferè latinis historicis antecellens, hujus tamen locutionis forma alicubi est recentior, & Cicero est eo multo suavior ac politior. Animadversa est à Pollione quædam in eo Patavinitas, id est, judicatus est non per omnia purum putumq; Romanum eloquium retinuisse. Hi auctores sunt politissimi, ideoque inprimis propter verba & compositionem legendi, in imitando verò quā maximè*

maximè & præcipuè Cicero exprimendus, in quo & puer diutissimè detineri debet, ut discat non solùm Verba ex eo excerpere, sed etiam phrasin imitari, & totam orationis formam effingere.

Porrò nunquam fuit sanior & castigatior sermo latinus, quàm tempore Imperatoris *Augusti, quo* Ro*ma* ἀκμάζουσα *seu maximè in flore fuit.* Sed *paulatim decursu temporum à Vigore suo declinaVit.*

Sequitur igitur παρηκμὴ *seu declinans ætas, & paulatim Vergens ad senium. Huius temporis scriptorum Phrasis quodammodo deflexit ab elegantia, VenuState & nitore sermonis aurei seculi seu Ciceroniani. Hi etsi recentiorem alicubi habent elocutionis formam tamen non sunt omnino noVi, non sordidi nec barbari. In his si quid (ut certe multa) Veteri rectè loquentiū consuetudine consentaneum est. Ciceronianum judicabitur, ideoq; imitandum erit.*

Media ætatis scriptores.

In hac classe sunt Quintilianus, Rhetor proprii ser*monis perstudiosus (qui docens* Roma, *conatus est homines jam amantes corrupti sermonis ad Veterem proprietatem reVocare. Mihi est in optimis hujus ætatis scriptoribus:)* Seneca *cujus dictionem maximi facit Justus Lipsius, ut philosophi, & oratoris excellentis. Quintus Asconius Padianus PataVinus historicus, cujus commentariorum fragmenta quædam exstant in aliquot orationes Ciceronis. Valerius Maximus historicus. Plinius superior, seu secundus, scriptor naturalis historiæ, qui exploraturus ex propinquo incendium Vesuvii montis, fuligine cinerea & sulfureo Vapore suffocatus est. Suetonius Tranquillus qui Iul. Cæsaris, Augusti & 10. sequentium* Imperatorum *historiam descripsit Vsque ad annum* Christi *98. Oratio ejus propria & breVis, plus nerVorum quàm corporis habet.*

Cornelius

Cornelius Tacitus qui Tiberii Cæsaris historiam descripsit ad Cæsarem usque Vespasianum, oratione utitur pressâ, propria, arguta & paucis verbis multas res complectente, crebrisque sententiis ornata. Cornelius Celsus medicus, Plinius junior seu posterior, prioris ex sorore nepos scriptor Epistolarum, in quibus oratio est brevis & arguta. Trogus, Florus, Justinus historici. Solinus qui scripsit rerum orbis memorabilium collectanea. Aulus Gellius cujus præceptor Apollinaris Sulpitius, qui periochas Comœdiarum Terentianarum scripsit, Cornelius Fronto, Ulpianus Jureconsultus, *Lactantius Firmianus. Quintus Curtius, qui exposuit historiam Alexandri Magni, argutus, elegans, & nervosus scriptor.* Domitius *Ulpianus*, Justinianus *imperator, qui leges* Romanas *dispersas per duo millia librorum per Theophilum, Theodorum & alios correxit, & in 12. Codicis & Digestorum libros collegit: 4. etiam institutionum libros composuit, qui nucleum legum continent, novas præterea leges, quas ipse statuerat, in unum corpus redegit: Divus Hieronymus* Episcopus *Stridonensis, Aurelius Augustinus Episcopus Hipponensis, Julius Capitolinus, Ælius* Spartianus, *Ælius Lampridius, Ammianus Marcellinus, Historiographi Cæsarum scriptores,* Aurelius, *Prudentius,* Symmachus, *Severinus Boetius, in quo magnum fuit ingenii acumen,* Sedulius, *Prosper,* Episcopus Reginensis, Ausonius *genere Gallus patria Burdegalensis, Apulejus Platonicus Philosophus, cujus libri extant de asino aureo: Sidonius Apollinaris Episcopus Avernorum: Fulgentius,* Martianus Capella, &c.

Vergentis ad senium scriptores.

Ex his quidam diligentius & tersius, quidam contra neglientius & sordidius locuti sunt, nonnulli etiam affectatè, ita ut videantur amatores fuisse prodigio-

digiosa rum formularum ac nimis crebri, multiq; in tropis. Itaque ingravescenti ætati sunt proximi ut alii media.

Senectutis, cum qua mors conjuncta est, latini sermonis, scriptores sunt barbari philosophi, & scholastici Theologi, qui nativum sermonis decus omnino corruperunt, & novum quoddam sermonis genus genuerunt.

Cùm enim irruptiones fierent in Italiam à barbaris populis, cum barbarorum sentina omnis impuritas, omnesq; sordes in purissimam castissimamq; urbem influxerunt. Huc collocantur Albertus patria Suevus Ratisbonensis Episcopus, à doctrina cognomentum Magni adeptus, Thomas Aquinas discipulus Alberti Magni, *vir peracutus, Ioannes Scotus subtilis philosopho theologus, Scaligero lima veritatis, Alanus* Monachus Germanus *σύγχρονος* Scoti, *Bonaventura ingenio & auctoritate vir præstans, Petrus Hispanus, Gabriel Biel, Accursius, Bartolus, Baldus, Alexander de Immola jurisconsulti. Horum stylum adhuc retinent quidam Itali.*

Mortem & sepulturam *linguæ latinæ secuta est ἀνάστασις seu renovatio, pristina vita, & instauratio perfecti illius seculi.* Iacuit *scilicet latina lingua penitus sepulta annos 600. Posteà revixerunt latinæ literæ doctis quibusdam viris, patrum & nostra memoria barbaricum loquendi & scribendi genus è scholis explodentibus, quorum tamen aliqui retinuerunt aliquid impuritatis. Renati igitur latini sermonis, primum est instauratio & repurgatio, deinde perfectio & maturitas (imò hic prima, media & postrema ætas est) A prima instauratione prætererunt jam anni 270. Emergere autem primum cœpit latinus sermo, educente eum ex orci tenebris* *Politioris literaturæ novi pa-*

Danthe

ventes recitantur. Danthe Aldigerio, quem corruptè vocant historiographi Aligerum. Hic fuit natione Italus, patria Florentinus, præceptor Petrarchæ. Claruit an. Christi 1320. Hunc secuti sunt Ioannes Bocatius, Franciscus Petrarcha Florentinus: Danthe purior, Franciscus Phi-

Nova infantia laudis sermonis. lelphus philosophus, historicus & orator egregius. Laurentius Valla Rom. ex nobili familia, Canonicus Lateranensis, optimè meritus de latina lingua. Æneas Sylvius Senensis, doctrina excellens, orator imperatoris Friderici III. postea pontifex Romanus factus, ac Pius II. dictus. Gregorius Typhernas præceptor Mantuani, discipulus Chrysoloræ: Nicolaus Leonicenus, cujus opera Medicina loqui cœpit apud italos, ut inquit Erasmus Baptista Mantuanus Carmelita (qui ingenio speciosus erat, sed corpore turpis) Angelus Politianus vir disertus, Marsilius Ficinus & Hermolaus barbarus, Ioannes Picus Mirandulanus, Rodolph. Agricola Frisius Heidelberg. professor, Philippus Beroaldus Bononiensis orator insignis. Conradus Celtes Schweinfurtensis, primus Germaniæ poeta, Antonius Mancinellus Veliternus philos. & orator eximius, Thomas Linacer, Guilhelmus Budæus, Eras. Roterodamus, Conrad. Goclenius, Vlricus Huttenus, Iacobus Sadoletus, Christophorus Longolius, Petrus Bembus, Philippus Melanchthon, Ioachimus Camerarius, Fernelius Medicus, Antonius Flaminius, Victorinus Strigelius, Bunellus, Muretus, Sigonius, Ioan. Sturmius. Nizolius, Corradus, Vitus Amerbachius, Melchior Iunius, Paulus Manutius, quem reliquis omnibus præfero & lectu judico dignissimum, Ciceronis velut germanum filium. Nolim autem te imitari eos, qui hodie archaismos, seu ea, quæ prorsus obsoleverunt in lucem theatrumq; revocant, aut inæquabili stylo utuntur.

RODOL-

RODOLPHI GOCLENII PROBLEMATA GRAMMATICA.

I.

An proba sit logicęq; legibus consentanea definitio: *Grammatica est certa loquendi & scribendi ratio.* Negatur.

UT precisio est, cùm dicitur διαλεκτική, pro τέχνη διαλεκτική: Sic Grammatice dicitur præcisè, pro *Grammatica arte.* Hæc cùm velut janua & clavis sit aliarum artium, & sine ea studia politioris humanitatis prorsus nulla sint (quod qui prorsus negaret, non puto adhuc hominum memoria repertum esse quenquam) visum est mihi in usum otiosorum adolescentulorum, præcipuas, quæ eam attingunt ἀπορίας, proponere, è quibus princeps sese nobis offert definitio Grammatices, è Quintiliano deducta: *certa loquendi & scribendi ratio*, quam non nemo Aristarchi filius cēsoria notavit virgula. Eccur vero? Habe paucis. 1. Ex traditione Aristotelis: Quicquid non necessario ad rei definitionem requiritur, id superfluum est. Ablato enim eo, id quod reliquum est, rem definitam declarat, & superfluam definitionem (quæ Græcis est ἐπὶ πλεῖον λόγος) efficit, ideoq; vitiosam. Ut si quis huic definitioni: homo est animal ratione præditum, addat, capax scientiæ, formæ addit proprium hominis adjunctum, sed supervacaneum, quia eo etiam sublato remotoque essentia hominis reciproco λόγῳ exprimitur. Sic qui *loquendi & scribendi*, in definitione Grammaticæ conjungit, accidens addit essentiæ; *Objectio.*

 scriptio

rentes recitantur.

Nova infantia laudi sermonis.

Danthe Aldigerio, quem corruptè vocant historiographi Aligerum. Hic fuit natione Italus, *patria Florentinus, praeceptor Petrarchae.* Claruit *an. Christi 1320. Hunc secuti sunt* Ioannes Bocatius, *Franciscus Petrarcha Florentinus: Danthe purior, Franciscus Phileiphus philosophus, historicus & orator egregius. Laurentius Valla* Rom. *ex nobili familia, Canonicus* Lateranensis*, optimè meritus de latina lingua. Æneas* Sylvius Senensis, *doctrina excellens, orator imperatoris Friderici III. postea pontifex Romanus factus, ac Pius II. dictus. Gregorius Typhernas praeceptor Mantuani, discipulus Chrysolorae: Nicolaus Leonicenus, cujus opera Medicina loqui coepit apud italos, ut inquit Erasmus Baptista Mantuanus* Carmelita *(qui ingenio speciosus erat, sed corpore turpis) Angelus Politianus vir disertus, Marsilius Ficinus & Hermolaus barbarus,* Ioannes *Picus Mirandulanus,*Rodolph. *Agricola Frisius Heidelbelberg. professor, Philippus Beroaldus Bononiensis orator insignis. Conradus* Celtes Schweinfurtensis, *primus Germaniae poeta, Antonius* Mancinellus *Velitrenus philos. & orator eximius, Thomas* Linacer, *Gulhelmus Budaus, Eras.* Roterodamus, *Conrad. Goclenius, Vlricus Hattenus, Iacobus* Sadoletus, *Christophorus Longolius, Petrus Bembus, Philippus Melanchthon, Ioachimus Camerarius, Fernelius* Medicus, *Antonius Flaminius, Victorinus Strigelius, Bunellus,* Muretus, Sigonius, Ioan. *Sturmius. Nizolius, Corradus, Vitus Amerbachius,* Melchior Iunius, *Paulus* Manutius, *quem reliquis omnibus praefero & lectu judico dignissimum, Ciceronis velut germanum filium. Nolim autem te imitari eos, qui hodie archaismos, seu ea, quae prorsus obsoleverunt in lucem theatrumque revocant, aut inaequabili stylo utuntur.*

RODOLPHI GOCLENII PROBLEMATA GRAMMATICA.

I.

An proba ſit logicęq; legibus conſentanea definitio: *Grammatica eſt certa loquendi & ſcribendi ratio.* Negatur.

UT pręciſio eſt, cùm dicitur διαλεκτικὴ pro τέχνη διαλεκτικῆ: Sic Grammaticè dicitur præciſè, pro *Grammatica arte.* Hæc cùm velut janua & clavis ſit aliarum artium, & ſine ea ſtudia politioris humanitatis prorſus nulla ſint (quod qui prorſus negaret, non putò adhuc hominum memoria repertum eſſe quenquam) viſum eſt mihi in uſum otioſorum adoleſcentulorum, præcipuas, quæ eam attingunt ἀπορίας, proponere, è quibus princeps ſeſe nobis offert definitio Grammatices, è Quintiliano deducta: *certa loquendi & ſcribendi ratio*, quam non nemo Ariſtarchi filius cẽſoria notavit virgula. Eccur vero? Habe paucis. 1. Ex traditione Ariſtotelis: Quicquid non neceſſario ad rei definitionem requiritur, id ſuperfluum eſt. Ablato enim eo, id quod reliquum eſt, rem definitam declarat, & ſuperfluam definitionem (quæ Græcis eſt ἐπὶ πλεῖον λόγος) efficit, ideoq; vitioſam. Ut ſi quis huic definitioni: homo eſt animal ratione præditum, addat, capax ſcientiæ, formæ addit proprium hominis adjunctum, ſed ſupervacaneum, quia eo etiam ſublato remotoque eſſentia hominis reciproco λόγῳ exprimitur. Sic qui *loquendi & ſcribendi*, in definitione Grammaticæ conjungit, accidens addit eſſentiæ; *Objectio.*

a ſcriptio

scriptio enim Grammatico sermoni accidit. 2. Adde quòd superflua definitio est Aristoteli, si quod universè dictum est, in parte etiam dicatur, *Top. 6. c. 3.* Jam qui Grammaticam definit artem loquendi & scribendi, is quod universè dixit ei aliquid particulare adjicit. In loquendo enim scribere comprehenditur. 3. Præterea bene scribere commune esse videtur multorum. Quem barbari Vocant *Notarium*, is facit scriptum, scribendi artem exercet ac profitetur, est scriba: scribit logicus bene Logicè, Rhetor bene Rhetoricè, Grammaticus bene Grammaticè. Nec dicitur Rhetorica est ars ornatè dicendi & scribendi. Quid igitur causæ est, cur dicatur Grammatica est methodus seu ars bene loquendi & scribendi. 4. Postremò non defuerunt, qui objicerent non definiendam rem ex aliqua particula, ut leonem ex unguibus. Orthographiam autem, quæ rationem scribendi docet, particulam esse Grammaticæ. Ad singula parata est responsio. Primum qui definiunt Grammaticam loquendi & scribendi facultatem, pro meo quidem judicio loquendi & scribendi simul formam hujus artis faciunt; non illud formam, hoc verò adjunctum. Et ex communi usu inter loqui & scribere distinguunt: Sic enim dicere solemus. *Ex benè loquendo discimus benè scribere.* Hic est inscriptione tersior & nitidior, quàm in locutione. Ille melius scribit quàm loquitur: ut intelligas eum, qui loquitur, uti lingua, eum qui scribit, mandare aliquid chartis. Secundo bene scribere solius Grammaticæ est, τῷ εὖ, id est, *benè* specialiter intellecto, pro *purè*, ut Latinè, Græcè, Hebraicè.

Objectio.

Solutio.

Tertiò, cùm dicitur Grammatica est doctrina bene scribendi, non intelligitur expressio & notatio tantum literarum, ut cùm dicitur notis scribere, compendioso scribendi genere excipere, ut;

scri-

ſcripturæ compēdiis, quæ barbaris ſunt abbreviationes: Scribere εἰς τάχος, auff der Poſt ſchreibens καλλιγραφίαν, non κακογραφίαν doctorum imitari, id eſt, pulcram ſcripturam, non mendoſam ac vitioſam: ſed omninò ſcriptio etymologica & ſyntactica ſive pedeſtris, hoc eſt, ſoluta ſit, ſive poëtica. Ut loqueris etymologicè & ſyntacticè: ſic & ſcribis. Nec tamen diſſimulo τὸ ſcribendi omitti rectiùs. Ut enim in Arithmeticæ & Muſicæ definitionibus voces numerandi, & canendi accipiuntur generaliter, ut numerare etiam *Notationem* Arithmeticam complectatur, quæ alias, cum numeratio preſſius accipitur, à notatione diſtinguitur, ut oppoſitum ab oppoſito, & canere contineat etiam pulſare vel inflare artificioſa inſtrumenta, (quod materna lingua dicimus ſpielen) Sic loqui in definitione Grammaticę eſt loqui *vere vel quaſi*, eſt loqui tum viva voce tum muta: eſt loqui tum inſtrumento conjuncto homini & animato, tum ſeparato & bruto, ut intelligas mutum etiam, dum bene ſcribit, bene loqui, proindeq; Grammaticum dici.

Quid vero ais: qui bene ſcribit poteſt etiam bene loqui, & qui bene loquitur, poteſt etiam bene ſcribere, vel per ſe vel per alium: cur tamen definitur à P. R. Grammatica ars loquendi, non ars ſcribendi. Reſp.

An Grammatica ſit ars loquendi & enarrandi auctores?

QUIA ut cogitare prius natura eſt, quàm loqui: Sic loqui natura pri⁹ eſt, quàm ſcribere. Nam ex bene loquendo oritur bene ſcribendi facultas. Porro προσθήκη quoq;, quam nonnulli addiderunt definitioni *& interpretandi auctores*, *vel cum enarratione auctorum*, etiam ſupervacanea eſt, definito ſcilicet non eſſentialis, non ſyngenea ſeu propria, non ingrediens eſſentiam definiti. Interpretatio enim ſeu enarratio auctorum fit bene

Contra Quintil. disputatio pro ſententia negãte.

loquendo, & bene loquendi scientiam consequitur, estque praxis & fructus artis Grammaticæ, sed non solius. Poëtarum enarratio majoris operę est, quàm ut intra Grammaticę fines contineatur, adeoq; latè patet, ut non unius alicujus artis, sed omnium propè disciplinarum cognitionē requirat. Proinde ad docentis professionem & officium potiùs, quàm ad artis ipsius subjectum pertinere eadem videtur, nec magis Grammaticæ pars censenda, quàm vel medicinæ sciētia physices, aut legum peritia, ejus quæ est de morib. appellata, ait Grammaticæ Magister. Itaque divisio Grammaticæ Fabiana in Methodicen & Historicen seu ἐξηγητικὴν nō potest stare. Taceat igitur. Interim Grammaticum illum dici solitum à veteribus non inficias eo, qui præditus est facultate enarrādi auctores. Quia in hoc opere præcipuæ sunt partes, hoc est, princeps labor Grammaticæ. Itaque *Politianus in Lamia*, Grammaticorum hæ, inquit, sunt partes, (id est, hoc officium) ut omne scriptorum genus excutiant atque enarrent, Ex majori autem parte res unaquæque appellari solet, ut ex *Tuscul. Ciceronis* docemur. Porrò *Aristot. sexto Top. cap. 22.* definit Grammaticam scientiam scribendi & legendi, aitque imperfectione seu defectu partis differentiæ laborare hanc; Grammatica est ars scribendi id, quod dictatur seu profertur.

Quodnam hic tuum judicium? Et ego ajo posteriorem esse mancam ob incompletam imperfectamq; differentiam, sed addo *legere* nimis angustum esse: in loquendo autem *legere* comprehendi, ac Grammaticam esse artem loquendi, itaque etiam legendi. Cæterùm Aristoteles non dicit in definitione *loquendi*: quia ejus ætate non exstabant præcepta de loquendo, propter linguæ vernaculæ seu maternæ familiaritatem, & quod ex

usu

u loquerentur. Itaq; *tunc temporis Orthographia ta erat Græcorum Grammatica.* Quæ causa, penè ixerim, sola fuit Aristoteli, cur in Logica Nomen c Verbum definierit, *lib. de Interpretat. mitto.* Porò nominis tantum definitio est ex etymo, cùm licitur Grammatica esse studium literarum, scientia literarum, & Grammaticus, doctor literarum.

II.

An cum populo loqui, & Grammaticè loqui sint idē?

QUI Latinè vel Græcè loquitur, loquitur & Grammaticè, ex regula vel anomalia, hoc est, exceptione à regula: sed qui loquitur Grammaticè, non illico loquitur Latinè aut Græcè (ut qui Rhetor est, non illico est orator) quia phrases possunt esse non latinæ. Alii statuunt Grammaticè loqui, & latinè græcève loqui, idem esse, quatenus Grammatica postulat antecapitve exempla latina, seu locutiones, quæ habent auctorem, laudatum usum. Ita Grammatica Latina dicitur esse ars bene-latine loquendi. Et *Scaliger* definit Grammaticam scientiam loquendi. Ex usu, *Oblivione captus sum*, inquiunt, non est exemplum Regulæ Grammaticæ: quia Latini ita non sunt locuti.

Barbari dixerunt Grammatica præsupponit congruum.

III.

Utrum 4. species aut partes sint Grammaticæ? Negatur.

SUnt qui species, sunt qui partes Grammatices faciant Orthographiam, Prosod. Etymolog. & Syntaxin, ut Quintil. & Priscianus. Alii partes materiales Grammaticæ faciunt, literam, syllabam, dictionem, orationem: omnes hi perperam: Primi confundunt species cum partibus: Medii particulas cum partibus. Postremi etiam impropriè loquuntur. Dicendum nimirũ erat: litera, dictio, &c. sunt materies partibus Grammaticæ subjecta, sicut Inventioni logicæ materies subjecta est Argumentum.

mentum. Ut igitur doctrina Argumentorum traditur in parte ea Dialectices, quæ dicitur Inventio: Sic doctrina dictionum seu vocum traditur in ea Germanicę parte, quę dicitur Etymologia. Partes igitur integrantes Gramm. verè duæ sunt, Etymologia (id est vera vocum ratio) & Syntaxis (ratio conjungendarum vocum.) Orthographia & Prosodia sunt harum partium particulæ, in quibus earum elementa principiaq; & affectiones docentur: vereque dicitur, Orthographiam & Prosodiam esse fusas per totam Grammaticam, ut sanguis & spiritus sparsus est per totum corpus animalis, Etymologiam autem & Syntaxin non esse Grammaticæ species facile est ostensu. Species habet nomen generis: seu, prædicatur de specie genus directè & synonymως. Etymologia non dicitur proprie *Grammatica*: ut anima impropriè dicitur homo: Ergò Etymologia non est Grammaticæ species. Sed inquiat fortasse aliquis ad defensionem 4. partium Grammaticæ Etymologia versatur in dictionibus, non in literis & syllabis. Ergo. Orthographia & Prosodia sunt separatæ ab illa partes. ℞. Nego antecedentis partem posteriorem (ἀντιθετικῶν) Quia enim Etymologia versatur circa dictiones, ideò etiam circa dictionum elementa & partes occupata est. Quia physica versatur in speciebus corporum naturalium versatur etiam in eorum principiis, elementis, causis, partibus declarandis. Tractatio enim totius, non potest esse sine tractatione partium. Sic tractans de enuntiatis tractat etiam de enuntiatorum partibus antecedente & consequente. Agens de corpore animato, necesse est agat de anima & corpore.

IV.

An Grammatica ad Logicam pertineat? Affirmatur.

Logicæ

LOgicæ artes, quod contritiſſimum eſt, ſunt partim ſermonis, ut Grammatica & Rhetorica, partim rationis, ut Dialectica. λόγος enim & ſermonem & rationem ſignificat. Objicis: Comparatur uſu & conſuetudine Grammatica. Non igitur pertinet ad Logicam. *Reſp.* Eſt ἀπαῖδες ψεῦδος. Qui Grammaticam è Logica excludunt, quia uſu comparatur, oppidò falluntur. Si quidem uſu quoq; oramus, uſu argumentamur, &c. (& tamen Rhetorica & Dialectica ſunt artes Logicæ.) Cæterùm uſus incertus certis legibus caſtigatur, quæ leges ſolæ poſſunt artem conſtituere. Huc ὁδοῦ πάρεργον affero ζήτημα, Cur λόγος ſignificet & rationem & orationem (Illa λόγος [a] ἐνδιάθετος. Hæc λόγος [b] προφορικὸς eſt.) Ac reſpondeo: Quia ſermo eſt quiddam cogitatione formatum, quiddam profectum à ratione, eſt mentis interpres, & debet convenire cum mente, nec eſſe ſonus ſine mente. Ratio eſt prototypon ſeu Archetypum ſeu exemplar, ſermo eſt imago.

Object.

Reſponſio Scaligeri in exer. 1. ſect. 3.

a *Barbar. mentalis, Latin. tacitus. non expreſſus lingua.*
b *Vulgo vocalis.*

V.

Scribendúmne *Epiſtula, Adoleſcens, Suboles.*

CRitici noſtri, qui vocant ſe ἀρχαιογράφους, ſcribunt Epiſtula, Adulescens & Suboles. Nos contra epiſtola, adoleſcens, ſoboles. Illi utuntur manuſcriptis quibuſdam codicibus, & iis quæ ſaxis ac nomiſmatis vetuſtis inſcripta ſunt. Nos verò origine (ἐπιστολὴ, adoleo) & conſuetudine literatorum emendateque loquentium. Noſtra ratio eſt conſtans. Illorum incerta, dubiaque. Sculptores enim & monetarii illi ſæpè fuerunt illiterati. Etſi enim locuti ſũt latinè, ut nos materna lingua Germanicè: tamen non iccircò ſciverunt Grammatica. Inſcitiáne igitur idiotarũ (qui Grammati-

Cornelius Tacitus qui Tiberii Cæsaris historiam descripsit ad Cæsarem usque Vespasianum, oratione utitur pressa, propria, arguta & paucis verbis multas res complectente, crebrisque sententiis ornata. Cornelius Celsus medicus, Plinius junior seu posterior, prioris ex sorore nepos scriptor Epistolarum, in quibus oratio est brevis & arguta. Trogus, Florus, Iustinus historici. Solinus qui scripsit rerum orbis memorabilium collectanea. Aulus Gellius cujus præceptor Apollinaris Sulpitius, qui periochas Comœdiarum Terentianarum scripsit, Cornelius Fronto, Vlpianus Iureconsultus, *Lactantius Firmianus. Quintus Curtius, qui exposuit historiam Alexandri Magni, argutus, elegans, & nervosus scriptor.* Do*mitius Vlpianus,* I*ustinianus imperator, qui leges* Rom*anas dispersas per duo millia librorum per Theophilum, Theodorum & alios correxit, & in 12. Codicis & Digestorum libros collegit: 4. etiam institutionum libros composuit, qui nucleum legum continent, novas præterea leges, quas ipse statuerat, in unum corpus redegit: Divus Hieronymus* Episcopus *Stridonensis, Aurelius Augustinus Episcopus Hipponensis,* I*ulius Capitolinus, Ælius* Spartianus, *Ælius Lampridius, Ammianus Marcellinus, Historiographi Cæsarum scriptores,* Au*relius, Prudentius,* Sym*machus, Severinus Boetius, in quo magnum fuit ingenii acumen,* Sed*ulius, Prosper,* Epis*copus* Reginen*sis, Ausonius genere Gallus patria Burdegalensis, Apulejus Platonicus Philosophus, cujus libri extant de asino aureo: Sidonius Apollinaris Episcopus Avernorum: Fulgentius,* Martianus Capella, &c.

Vergentis ad senium scriptores.

Ex his quidam diligentius & tersius, quidam contra neglientius & sordidius locuti sunt, nonnulli etiam affectatè, ita ut videantur amatores fuisse prodigio-

digiosarum formularum ac nimis crebri, multiq́; in tropis. Itaque ingravescenti ætati sunt proximi ut alii media.

Senectutis, cum qua mors conjuncta est, latini sermonis, scriptores sunt barbari philosophi, & scholastici Theologi, qui nativum sermonis decus omnino corruperunt, & novum quoddam sermonis genus genuerunt.

Cùm enim irruptiones fierent in Italiam à barbaris populis, cum barbarorum sentina omnis impuritas, omnesq́; sordes in purissimam castissimamq́; urbem influxerunt. Huc collocantur Albertus patria Suevus Ratisbonensis Episcopus, à doctrina cognomentum Magni adeptus, Thomas Aquinas discipulus Alberti Magni, *vir peracutus, Ioannes Scotus subtilis philosopho theologus, Scaligero lima veritatis, Alanus* Monachus *Germanus* σύγχρονος *Scoti, Bonaventura ingenio & auctoritate vir præstans, Petrus Hispanus, Gabriel Biel, Accursius, Bartolus, Baldus, Alexander de Immola jurisconsulti. Horum stylum adhuc retinent quidam Itali.*

Mortem & sepulturam *linguæ latinæ secuta est* ἀνάστασις *seu renovatio, pristina vita, & instauratio perfecti illius seculi. Iacuit scilicet latina lingua penitus sepulta annos 600. Posteà revixerunt latinæ literæ doctis quibusdam viris, patrum & nostra memoria barbaricum loquendi & scribendi genus è scholis explodentibus, quorum tamen aliqui retinuerunt aliquid impuritatis. Renati igitur latini sermonis, primum est instauratio & repurgatio, deinde perfectio & maturitas (imò hic prima, media & postrema ætas est) A prima instauratione præterierunt jam anni 270. Emergere autem primum cœpit latinus sermo, educente eum ex orci tenebris* *Politioris literaturæ novi pa-*

Danthe

ventes recitantur.

Noua infantia laudi sermonis.

Danthe Aldigerio, quem corruptè vocant historiographi Aligerum. Hic fuit natione Italus*, patria Florentinus, præceptor Petrarchæ.* Claruit an. *Christi* 1320. *Hunc secuti sunt* Ioannes Bocatius, *Franciscus Petrarcha Florentinus: Danthe purior, Franciscus Phileiphus philosophus, historicus & orator egregius. Laurentius Valla* Rom. *ex nobili familia, Canonicus* Lateranensis*, optimè meritus de latina lingua. Æneas Sylvius* Senensis*, doctrina excellens, orator imperatoris Friderici III. postea pontifex* Romanus *factus, ac Pius II. dictus. Gregorius Typhernas præceptor Mantuani, discipulus Chrysoloræ: Nicolaus Leonicenus, cujus opera Medicina loqui cœpit apud italos, ut inquit Erasmus Baptista Mantuanus* Carmelita *(qui ingenio speciosus erat, sed corpore turpis) Angelus Politianus vir disertus, Marsilius Ficinus & Hermolaus barbarus, Ioannes Picus Mirandulanus,* Rodolph. *Agricola Frisius Heidelberg. professor, Philippus Beroaldus Bononiensis orator insignis.* Conradus Celtes Schweinfurtensis, *primus Germaniæ poeta, Antonius* Mancinellus *Veliternus philos. & orator eximius, Thomas* Linacer, *Guilhelmus Budæus, Eras.* Roterodamus, *Conrad. Goclenius,* Vlricus *Hattenus, Iacobus Sadoletus, Christophorus Longolius, Petrus Bembus, Philippus Melanchthon,* Ioachimus *Camerarius, Fernelius* Medicus, *Antonius Flaminius, Victorinus Strigelius, Bunellus,* Muretus, *Sigonius,* Ioan. *Sturmius. Nizolius, Corradus, Vitus Amerbachius,* Melchior Iunius, *Paulus* Manutius, *quem reliquis omnibus præfero & lectu judico dignissimum, Ciceronis velut germanum filium. Nolim autem te imitari eos, qui hodie archaismos, seu ea, quæ prorsus obsoleverunt in lucem theatrumq; revocant, aut inæquabili stylo utuntur.*

RODOL-

RODOLPHI GOCLENII PROBLEMATA GRAMMATICA.

I.

An proba sit logicęq; legibus consentanea definitio: *Grammatica est certa loquendi & scribendi ratio.* Negatur.

UT pręcisio est, cùm dicitur διαλεκτική, pro τέχνη διαλεκτική: Sic Grammatice dicitur præcisè, pro *Grammatica arte.* Hæc cùm velut janua & clavis sit aliarum artium, & sine ea studia politioris humanitatis prorsus nulla sint (quod qui prorsus negaret, non puto adhuc hominum memoria repertum esse quenquam) visum est mihi in usum otiosorum adolescentulorum, præcipuas, quæ eam attingunt ἀπορίας, proponere, è quibus princeps sese nobis offert definitio Grammatices, è Quintiliano deducta: *certa loquendi & scribendi ratio*, quam non nemo Aristarchi filius cẽsoria notavit virgula. Eccur vero? Habe paucis. 1. Ex traditione Aristotelis: Quicquid non necessario ad rei definitionem requiritur, id superfluum est. Ablato enim eo, id quod reliquum est, rem definitam declarat, & superfluam definitionem (quæ Græcis est ἐπὶ πλεῖον λόγος) efficit, ideoq; vitiosam. Ut si quis huic definitioni: homo est animal ratione præditum, addat; capax scientiæ, formæ addit proprium hominis adjunctum, sed supervacaneum, quia eo etiam sublato remotoque essentia hominis reciproco λόγῳ exprimitur. Sic qui *loquendi & scribendi*, in definitione Grammaticæ conjungit, accidens addit essentiæ; *Objectio.*

ſcriptio enim Grammatico ſermoni accidit. 2. Adde quòd ſuperflua definitio eſt Ariſtoteli, ſi quod universè dictum eſt, in parte etiam dicatur, *Top. 6. c. 3.* Jam qui Grammaticam definit artem loquendi & ſcribendi, is quod universè dixit ei aliquid particulare adjicit. In loquendo enim ſcribere comprehenditur. 3. Præterea bene ſcribere commune eſſe videtur multorum. Quem barbari Vocant *Notarium*, is facit ſcriptum, ſcribendi artem exercet ac profitetur. eſt ſcriba: ſcribit logicus bene Logicè, Rhetor bene Rhetoricè, Grammaticus bene Grammaticè. Nec dicitur Rhetorica eſt ars ornatè dicendi & ſcribendi. Quid igitur cauſæ eſt, cur dicatur Grammatica eſt methodus ſeu ars bene loquendi & ſcribendi. 4. Poſtremò non defuerunt, qui objicerent non definiendam rem ex aliqua particula, ut leonem ex unguibus. Orthographiam autem, quæ rationem ſcribendi docet, particulam eſſe Grammaticæ. Ad ſingula parata eſt

Objectio.

Solutio. reſponſio. Primum qui definiunt Grammaticam loquendi & ſcribendi facultatem, pro meo quidem judicio loquendi & ſcribendi ſimul formam hujus artis faciunt; non illud formam, hoc verò adjunctum. Et ex communi uſu inter loqui & ſcribere diſtinguunt: Sic enim dicere ſolemus. *Ex benè loquendo diſcimus benè ſcribere.* Hic eſt inſcriptione terſior & nitidior, quàm in locutione. Ille melius ſcribit quàm loquitur: ut intelligas eum, qui loquitur, uti lingua, eum qui ſcribit, mandare aliquid chartis. Secundo bene ſcribere ſolius Grammaticæ eſt, τῷ εὖ, id eſt, *benè* ſpecialiter intellecto, pro *purè*, ut Latinè, Græcè, Hebraicè.

Tertiò, cùm dicitur Grammatica eſt doctrina bene ſcribendi, non intelligitur expreſſio & notatio tantum literarum, ut cùm dicitur notis ſcribere, compendioſo ſcribendi genere excipere, ut;

ſcri-

scripturæ compẽdiis, quæ barbaris sunt abbreviationes: Scribere εἰς τάχος, auff der Post schreibens καλλιγραφίαν, non κακογραφίαν doctorum imitari, id est, pulcram scripturam, non mendosam ac vitiosam: sed omninò scriptio etymologica & syntactica sive pedestris, hoc est, soluta sit, sive poetica. Ut loqueris etymologicè & syntacticè: sic & scribis. Nec tamen dissimulo τὸ scribendi omitti rectiùs. Ut enim in Arithmeticæ & Musicæ definitionibus voces numerandi, & canendi accipiuntur generaliter, ut numerare etiam *Notationem* Arithmeticam complectatur, quæ alias, cum numeratio pressius accipitur, à notatione distinguitur, ut oppositum ab opposito, & canere contineat etiam pulsare vel inflare artificiosa instrumenta, (quod materna lingua dicimus **spielen**) Sic loqui in definitione Grammaticę est loqui *vere vel quasi*, est loqui tum viva voce tum muta: est loqui tum instrumento conjuncto homini & animato, tum separato & bruto, ut intelligas mutum etiam, dum bene scribit, bene loqui, proindeq; Grammaticum dici.

Quid verò ais: qui bene scribit potest etiam bene loqui, & qui bene loquitur, potest etiam bene scribere, vel per se vel per alium: cur tamen definitur à P. R. Grammatica ars loquendi, non ars scribendi. Resp.

An Grammatica sit ars loquendi & enarrandi auctores? Contra Quintil. disputatio pro sententia negãte.

QUIA ut cogitare prius natura est, quàm loqui: Sic loqui natura pri⁹ est, quàm scribere. Nam ex bene loquendo oritur bene scribendi facultas. Porro προσθήκη quoq;, quam nonnulli addiderunt definitioni *& interpretandi auctores*, *vel cum enarratione auctorum*, etiam supervacanea est, definito scilicet non essentialis, non syngenea seu propria, non ingrediens essentiam definiti. Interpretatio enim seu enarratio auctorum fit bene

loquendo, & bene loquendi scientiam consequitur, estque praxis & fructus artis Grammaticæ, sed non solius. Poëtarum enarratio majoris operę est, quàm ut intra Grammaticę fines contineatur, adeoq; latè patet, ut non unius alicujus artis, sed omnium propè disciplinarum cognitionē requirat. Proindè ad docentis professionem & officium potiùs, quàm ad artis ipsius subjectum pertinere eadem videtur, nec magis Grammaticæ pars censenda, quàm vel medicinæ sciētia physices, aut legum peritia, ejus quæ est de morib. appellata, ait Grammaticæ Magister. Itaque divisio Grammaticæ Fabiana in Methodicen & Historicen seu ἐξηγητικὴν nō potest stare. Taceat igitur. Interim Grammaticum illum dici solitum a veteribus non inficias eo, qui præditus est facultate enarrādi auctores. Quia in hoc opere præcipuæ sunt partes, hoc est, princeps labor Grammaticæ. Itaque *Politianus in Lamia*, Grammaticorum hæ, inquit, sunt partes, (id est, hoc officium) ut omne scriptorum genus excutiant atque enarrent, Ex majori autem parte res unaquæque appellari solet, ut ex *Tuscul. Ciceronis* docemur. Porrò *Aristot. sexto Top. cap. 22.* definit Grammaticam scientiam scribendi & legendi, aitque imperfectione seu defectu partis differentiæ laborare hanc, Grammatica est ars scribendi id, quod dictatur seu profertur.

Quodnam hic tuum judicium? Et ego ajo posteriorem esse mancam ob incompletam imperfectamq; differentiam, sed addo *legere* nimis angustum esse: in loquendo autem *legere* comprehendi, ac Grammaticam esse artem loquendi, itaque etiam legendi. Cæterùm Aristoteles non dicit in definitione *loquendi:* quia ejus ætate non exstabant præcepta de loquendo, propter linguæ vernaculæ seu maternæ familiaritatem, & quod ex

usu

usu loquerentur. Itaq; *tunc temporis Orthographia tota erat Græcorum Grammatica.* Quæ causa, penè dixerim, sola fuit Aristoteli, cur in Logica Nomen & Verbum definierit, *lib. de Interpretat. initio.* Porrò nominis tantum definitio est ex etymo, cùm dicitur Grammatica esse studium literarum, scientia literarum, & Grammaticus, doctor literarum.

II.

An cum populo loqui, & Grammaticè loqui sint idē?

QUI Latinè vel Græcè loquitur, loquitur & Grammaticè, ex regula vel anomalia, hoc est, exceptione à regula: sed qui loquitur Grammaticè, non illico loquitur Latinè aut Græcè (ut qui Rhetor est, non illico est orator) quia phrases possunt esse non latinæ. Alii statuunt Grammaticè loqui, & latinè græcève loqui, idem esse, quatenus Grammatica postulat antecapitve exempla latina, seu locutiones, quæ habent auctorem, laudatum usum. Ita Grammatica Latina dicitur esse ars bene-latinè loquendi. Et *Scaliger* definit Grammaticam scientiam loquendi: Ex usu, *Oblivione captus sum*, inquiunt, non est exemplum Regulæ Grammaticæ: quia Latini ita non sunt locuti.

Barbari dixerunt Grammatica præsupponit congruum.

III.

Utrum 4. species aut partes sint Grammaticæ? Negatur.

SUnt qui species, sunt qui partes Grammatices faciant Orthographiam, Prosod. Etymolog. & Syntaxin, ut Quintil. & Priscianus. Alii partes materiales Grammaticæ faciunt, literam, syllabam, dictionem, orationem: omnes hi perperam: Primi confundunt species cum partibus: Medii particulas cum partibus. Postremi etiam impropriè loquuntur. Dicendum nimirū erat: litera, dictio, &c. sunt materies partibus Grammaticæ subjecta, sicut Inventioni logicæ materies subjecta est Argu-

Logicæ artes, quod contritissimum est, sunt partim sermonis, ut Grammatica & Rhetorica, partim rationis, ut Dialectica. Λόγος enim & sermonem & rationem significat. Objicis: Comparatur usu & consuetudine Grammatica. Non igitur pertinet ad Logicam. *Resp.* Est ἀπαιδευσίας δεῖγμα. Qui Grammaticam è Logica excludunt, quia usu comparatur, oppidò falluntur. Si quidem usu quoq; oramus, usu argumentamur, &c. (& tamen Rhetorica & Dialectica sunt artes Logicæ.) Cæterùm usus incertus certis legibus castigatur, quæ leges solæ possunt artem constituere. Huc οἷον πάρεργον affero ζήτημα, Cur λόγος significet & rationem & orationem (Illa λόγος a ἐνδιάθετος. Hæc λόγος b προφορικὸς est.) Ac respondeo: Quia sermo est quiddam cogitatione formatum, quiddam profectum à ratione, est mentis interpres, & debet convenire cum mente, nec esse sonus sine mente. Ratio est prototypon seu Archetypum seu exemplar, sermo est imago.

Object. *Responsio Scaligeri in exer. 1. sect. 3.* a *Barbar. mentalis, Latin. tacitus, non expressus lingua.* b *Vulgo vocalis.*

V.

Scribendúmne *Epistula, Adulescens, Suboles.*

Critici nostri, qui vocant se ἀρχαιογράφους, scribunt Epistula, Adulescens & Suboles. Nos contra epistola, adolescens, soboles. Illi utuntur manuscriptis quibusdam codicibus, & iis quæ saxis ac nomismatis vetustis inscripta sunt. Nos verò origine (ἐπιστολή, adoleo) & consuetudine literatorum emendatéque loquentium. Nostra ratio est constans. Illorum incerta, dubiaque. Sculptores enim & monetarii illi sæpè fuerunt illiterati. Etsi enim locuti sũt latinè, ut nos materna lingua Germanicè: tamen non iccircò sciverunt Grammatica. Inscitiáne igitur idiotarũ (qui Grammati-

ces rudes fuerunt) opificum erit Regula Orthographiæ. Suboles, ut scribit Lipsius, tolero; quia est à verbo suboleo: Adulescens vix tolero, quia est ab adolesco. Scribunt Delfis, Elefas, Colafus, pro Delphis, Elephas, Colaphus, quòd consonantem non sequatur aspiratio. Sed ut scias in græco esse φ, & scribo Græce κολαφος, doceoque te ut scribas colaphus (sic quoq; elephas) & ajo, à regula excipi voces græcas. Illud hic libenter à Critico quæsierim, cur scribat Delficus non Delphicus: & tamen scribat *phui*, non *fui*, quæ respuentis & indignantis simul Interjectio est.

VI.

Scribendúmne Teg- men Dex- ter, an Te- gmen, De- xter?

CAnon respõsionis quasi dictator est. Quarum consonantium conjunctionis exempla dari possunt, eæ in medio non sunt distinguendæ.

Scribendum igitur *O- mnis*, quia dicitur *Mnemon*, Non scribendum est *te- gmen a- gmen de- xter*, quia non habes exempla vocum incipientium à Gmen & Xter. Scribendum *in- guen* non Ing- uen, quia dicitur *Guido*.

VII.

Rectène proferatur Anathéma ut Strategéma, probléma, & Idéa, ut Muséum, Pædagogéũ, Brabéum?

NEq; græca neq; latina ratione pronunciatur rectè *Anathéma*. Græci enim scribunt Ἀνάθεμα. Apud Latinos verò vocabula antepenultimam acuunt, quæcunq; penultimam habent brevem, ut affatim, horológiũ, quæ vox origine græca est. Pronunciandum igitur Anathéma: Sic quoque Competítor & Depecúlor, Muséum dicitur ratione Græca & Latina simul. Sed Idéa græca, ídea latina. Sic Trígonus græc. Trigónus latin. ídola græc. idóla latin.

An

IIX.

An rectè pronuntietur *Dúntaxat*, *Aliquando*, *Périnde*, *Próinde*, *Amabo*, *blandientis*? *Negat.*

A*Liquádo, périnde, dúntaxat, ádversus*, quidam pronuntiant, ne putentur esse duæ dictiones, & *ámabo* blandientis, ut à futuro *amábo* distinguatur. Sed prior ratio vana est horum ἀλογίστων, seu non satis cogitantium: si enim valeret, *éxtemplo* etiam pronuntiandum esset, ad differentiam duarum vocũ *ex templo*. At pronuntiamus *ex-templo*. Opponimus igitur istis hoc *Quintiliani libr.* 1. *ca.* 5. Duabus longis sequentibus primam acui noster sermo non patitur, ut *éxtemplo*: Et hoc Grammaticorum: Polysyllaba quæ habent penultimam positione longam, penultimam acuunt, ut *proínde*, *paraclét*us, *problêma*. Sic Triumvir, Centumvir, *composita enim sub uno accentu proferuntur*, *teste Prisciano*. Commodùm hîc succurrit mihi locus *Haymonis Episcopi quondam Halberstadensis* oppidò religiosi ac docti *in Homil. Euang.* Dominical. de voce *paracletus*. Quidam inquit, Græcus veniens in palatium Regis, cum legeretur illud Euangelium, & diceretur paraclitus; dixit, paracletus debere dici: Non est ibi Jota sed E longum; tamen nos non audemus illud mutare propter consuetudinem, ne novum aliquid invenire dicamur. Hæc Haymo. Sed magna nimis religio te incessit Haymo, quò minus mutes id, unde religioni nullum periculum extimescendum. Mala cõsuetudo corrigẽda est, nec trium literarum tyrannus, *Mos*, qui doctos viros non habet approbatores, præjudiciũ facere debet in veritatem. Non debes esse erroris mancipium. Consuetudini pravę Grammaticæ leges decet antevertere. Cæterùm posterior quoque λόγος κενὸς καὶ ἀργὸς est. Nam alię quoque voces vim ad naturam habent adverbiorum, & tamen

non mutant sonum, ut *Sodes* blandientis: *Macte* approbantis: ergò & *amabo* blandientis proferatur, ut amabo te.

IX.

Quomodò intelligenda sit sententia Ciceronis in de oratore: *In omni verbo natura posuit acutam vocem, nec una plus nec à posteriore syllaba citra tertiam.*

SEntentia est: in omni voce una syllaba tantùm attollitur ut *áffatim.* Itaq; non dicitur cómparativus. Nec accentus esse potest in quinta vel quarta syllaba à fine, sed in syllaba vel ultima, vel penultima, vel antepenultima. Itaq; non profertur *Nóminativus, Cómparativus, Súperlativus*, sed *Comparatívus, Nominatívus, Superlatívus.* Acuta voce Cicero non excludit tonum circumflexum in ultimis syllabis natura longis, ut *mos res apprime amari.* Tales enim acui magis audimus, quàm gravari seu deprimi.

X.

An definitio sit bona, Minima pars vocis ex literis composita? Negatur.

DEfinitio literæ proposita, quæ vulgi Grammaticorum est, vitiosa est. Cùm enim definitum sit Litera, definitionem ingredi non debet: sicut in syllogistica medius terminus non ingreditur conclusionem. Eodem vitio laborant hæ: *Baccalaureus* est qui confecto liberalium scientiarum tyrocinio, publicum prægressus sit specimen, & nomen Baccalaurei in consessu & frequentia Academica est consecutus. *Magister* est, cui decursis philosophiæ & artium septem spatiis ritè ac solemni ceremonia nomen Magistri est impositum. Porrò melius *litera* definitur primum vocis elementum, *vel litera* est dictionis pars indivisibilis. Eodem sensu elementum dicta. Ut enim ex elementis

mentis seu corporibus primigeniis mista naturalia, sic ex literis dictiones constant. Nec quicquam obstat, quòd *litera* nonnunquam totum est, hoc est, quòd dictio interdum continetur una litera. Id enim dictioni accidit.

XI.

An vocales rectè dividantur in simplices & conjunctas? Negatur.

Ἄλογον est, primùm *vocalem* definire literam quæ per se ipsam pronunciari potest, ut a e i o u, & posteà vocales dividere in simplices, ut a, & compositas seu conjunctas ut, au. *Diphthongi* quidem sunt compositæ vocales: sed compositio seu conjunctio vocalibus accidit. Immò syllaba quædam dicitur vocalis cōposita, *id est*, diphthongus. Et diphthongus litera non est, cum nōn sit Elementum quod indivisibile est. Ejusmodi autem est vocalis. Itaq; compositæ vocales speciem alteram vocalium facere non possunt. Nota hic istud logicū: Divisio generis in species vitiosa est, cum Generis definitio in speciem non convenit. Nihil officit nobis, quod consonans dividitur in simplicem & duplicem. Dispar enim est ratio: Consonanti duplici (ut x & z) definitio consonantis (Litera quæ cum vocali sonat, *id est*, quæ ut pronuntiari possit, eget adminiculo vocalis) convenit. At definitio vocalis Diphthongo non convenit. x quanquā vi est duplex (vim enim habet duarum literarū) figura tamen una & indivisibilis est litera, quæ sibi certū sonum unum servat. In compositis autem vocalibus singulæ suam habēt figuram. Intelligis hìc obiter, me ab eorum sententia longe diversum abire, qui x *literam* esse negant ex eo, quod scripturæ seu literarum duarum compendium sit. Quærat fortasse hìc aliquis: An non ω apud Græcos sit composita vocalis. Resp. ω non

An ω sit duplex omicron.

constat ex duobus parvis *o* ut partibus, seu non est duplex *o*, sed duobus temporibus unus tractus indivisibilis. Unde *magnum* non compositum dicitur. *Scal. lib. 1. de causis latinæ linguæ cap. 5.*

XII.

An Ὀρθοέπεια, id est, *recta pronuntiatio Q. literæ, sit Cu? Negatur.*

Literæ Q sonus est *qu*, non *cu* seu *ku*. Secus si esset, *Quis* proferretur Cis seu Kis, Quasso casso (qua voce barbari utuntur pro aboleo, oblitero, abrogo) & *Quum*, cum: Et ita Q esset elementum supervacaneum. Quid quæris? *1. Duæ literæ habent sonos duos diversos. Q & C sunt duæ literæ.*

Ergo Q & C habent duos sonos diversos non unum. *2. Si duæ literæ habent unum sonum, altera est supervacua, sed neutra harum est supervacua.* Ergò non habent unum sonum. Aperta res est, nec est sane quod quisquam plura de ea requirat.

XIII.

An K elementum sit necessarium?

UT solemne nostrũ teneamus, breves hîc quoque erimus. *K latinis necessarium non est*, ac quidem hoc argumento rejicitur: *Duarum literarum habentium unum sonum, altera est supervacua: K & C sunt duæ literæ habentes unum sonum. Ergò altera harum est supervacua.*

Supervacua autem K, quippe Græca. Latini igitur loco K habent literam C, quæ ad omnes vocales vim profert.

XIV.

Diphthongus cujus generis?

APhthongus, *id est*, mutus monophthongus, *id est*, unisonus, & diphthõgus adjectiva sunt generis communis. Cum igitur dicitur diphthongus in Grammatica, præcisa locutio est, intelligitur enim *syllaba.* Diphthongus syllaba est sylla-

ba dua-

ba duarum vocalium. Diphthongus litera est litera duplicis soni. Sic præcisè dicitur *saliens*, scilicet aqua. *Vocalis*, scilicet litera, *Consonans*, scilicet litera. *Dimetiens*, scilicet linea. Quare cùm dicitur: omnis diphthongus longa est, longa construitur cum substantivo, quod deest, *syllaba*, (sic saliens est purissima scilicet aqua) πάθος hoc habet nomen præcisionis seu ellipseως.

Simplicior quispia ἀντιβάλλει. ὁ φθόγγος masculinum est, ergo & δίφθογγος: Dicatur igitur: Omnis diphthongus longus est. Respon. Composita non semper retinent genus simplicium, ut Τόμος quidem masculinum, sed ἄτομος fœmininum est. Alii dicunt: Diphthongus adjectivum utriusq; generis est, ubi neutrum est diphthongum Substantivum generis fœminini.

2. Si Diphthongus est generis communis: ergò utrunq; rectè dicitur: Omnis diphthongus longa est: Et, omnis diphthongus longus est. At non hoc. Ergo. Resp. Consequentiam nego. Consequens enim sequeretur ex antecedente si diphthongus esset substantivum generis cōmunis (quale est dux, itaq; dicitur optimus dux & optima dux) at adjectivum est. Itaq; si additur ei substantivum fœmininum, ipsum quoque fœmininum est, si masculinum, masculinum (ut facilis res, facilis vir.)

XV.

Mobilis & jumentum, &c. an sint longa à brevibus?

VErè & sincerè, addo etiam constanter approbo, quod *Illustriss. Hass. princeps* Mauritius (cui vivo DEUS benefaciat) in poëtica sua *jumentum, fomentum, momentum, & mobilis* longa à brevibus deducta negat. Momentum enim & mobilis sunt à motu, jumentum à jutū, ut proximis fontibus. Juvo, foveo, moveo sunt θέματα seu origines remo-

tæ. Sic Numen à nutu, stramen à stratu, frumentum quasi fruimentum, Flumen, quasi fluimentum, propter contractionem. Tegmen, fragmen, augmen, segmen, videntur mihi esse à tectu fractu auctu sectu, ctu in gmen mutato. Quanquam non admodum pugnaverim, si malis tegmen esse contractum à tegimen, quo utuntur Poëtæ, vel à tegumen. Liv. unde tegumentum. Cicer. augmen, ab inusitato augimen, segmen à secamen.

C transit in G.

XVI.

Cum dictiones quædam sint monosyllabæ, quædam dissyllabæ, quædam trisyllabæ, &c. an syllabarum numerus accidat dictioni?

UNam, duas, vel tres habere syllabas accidens est generi scilicet voci seu dictioni. Sed speciei, puta huic dictioni, illi dictioni essentiale est. Quælibet enim dictio ut sit integra, eam certo syllabarum numero constare necesse est. Sicut duos pedes habere est accidens, & contingens animali. Sed huic animali ut homini, est essentiale, & καθ' αὑτό. Dictioni interim huic vel illi accidit minui vel augeri litera vel syllaba. Dicitur hoc vocis alicujus πάθος.

Utrum Tendónes dicatur, an Tendines. Utrum Agásones, an Agasónes?

TΈνοντες à quibusdam latinè doctis redduntur Tendones, à quibusdam etiam minime barbaris medicis Tendines. Illud mihi probatur, ut comedones à comedo. Magnus quidam vir, cui mortuo DEUS benefaciat, in erudito carmine ab Agaso fecit agasones. Sed ego *o* in Agasónis (vox significat agitatorem asinorum) produco. Non enim fas est mihi à regula discedere, antequam videam exceptionis probationem.

XVII.

An Academia *habeat accentum in penultima?* Qui-

QUidam penultimam, quidam antepenultimam in *Academia* acuunt, ficut nonnulli quoque penultimam producunt, nonnulli corripiunt. Qui antepenultimam acuunt, latinorum: qui penultimam, Græcorum legem fequuntur (ficut Latinus penultimam in Metamorphofis attollit, Græcus deprimit) vel illi dicunt *Académia* à græco Ἀκαδημία. Hi verò *Academía* à Græco *Academeia*. Apud Stephanum enim reperias hanc vocem per ει diphthongum fcriptam, quod libr. 2. de re Metrica annotavit Micyllus, qui etjam pro diverfitate fcribentium corripi & produci poffe penultimam exiftimat. Claudianus eam corripuit, Cicero produxit. Solemus cum Græcis etjam in voce Philofophia, penultimam acuere. Eodem jure pariique ratione, eandem acueremus in voce Hiftoria, etfi omnes fere nunc enuntiemus Hiftória, accentu in antepenultima, ex lege Latinorum, ficut & pronuntiatur vox Ecclésia, Græcis ἐκκλησία.

XIIX.

Cùm u *in Mercuri corripiatur, cur pronuntietur Mercúri?*

QUæfitum cur, cùm A in Hilari, U in Mercuri, Tuguri & I in Virgili corripiatur, non pronuntiemus Vírgili, Hílari, Mércuri, Túguri tenore acuto in prima fyllaba? Et an rectè pronuntiemus Hilàri, Mercúri, Tugúri, Virgíli?

Nomina in Itius antepenultimam habent brevem, ut fictitius, novitius, videtur igitur in *Mauritius* antepenultima effe brevis: In cafu igitur vocandi, ὀρθοέπεια fuerit *Maúriti*. At folemus pronuntiare *Mauríti*. U in verbis in Urio corripitur: Itaq; dicitur *efuris*. Sic antepenultima in *Virgilius* corripitur dicendum igitur *Vírgili*. Attamen indocti & docti *Virgíli* dicimus, Verùm quòd poffit pro-

pronuntiari *Virgili*, sic tentaveris probare. *Quæcunq; voces penultimam habent brevem, antepenultimam acuunt, ut, affatim, misérta, Virgili, Mércuri, Váleri, Túguri, penultimam habent brevem: ut,*

Horat. *Mercuri facunde nepos Atlantis.*

Pauperis & tuguri congestum cespite culmen.

Sunt Mecœnates non deerunt Flacce Marones.

Martial. *Virgiliumq; tibi vel tua jura dabunt.*

Ergò *Virgili, Mércuri, &c. antepenultimam acuunt.* Respond. tibi ad propositionem: Ea regula est habens hanc exceptionem: Passa Apocopen vel Synæresin, *id est*, coitionem seu coalitionem duarum syllabarum in unam, retinēt tonum integrorum, ut beneficii benefíci, tugurii tugúri, Euangelii Euangéli, Mercurii Mercúri. Veteres enim à nominibus in Ius vocativum faciebant in Ie. Itaq; in Vocativo dicebant *Virgilie*, *Mercurie*. Si quis tamen dicat Virgíli Mercúri habita ratione temporis seu quantatis & canonis allati, eum ridendum equidem non putarim. Dicitur enim emtio máncipi, res máncipi: ubi máncipi genitivus est à *mancipium* abjecta ultima syllaba per apocopen, vel duobus i coëuntibus in unum (quod recentiores scribunt I majuscula.)

XIX.

An ab Artifex *ablativus sit Artifici? Distinguitur.*

A*rtifex* substantivum propriè est & facit ablativum Artifice tantum. Quòd autem legitur apud poëtas *Artifici* casu eodem, ut: *Artifici manu*, de eo tenendum, *Artifex* ibi adjectivè accipi: ut, *victrici dextra*, pro victricè, ut Supplex, Duplex & similia, quæ ablativum per e & i promiscue faciūt. Id verò nolim ita accipi à te, quasi statuam *Artifex* esse adjectivum trium generum: quia neq; artificia neq; artifica dicitur: Imò ne quidem in singulari, *artifex opus*.

An

XX.

An substantivum Affinis *habeat etiam ablativum a adjectivo* affini. *Et an* Novalis *ablativum habeat* Novali? *Affirmatur.*

CErtum est, *Rudis* substantivi ablativum esse per e, *Rude* verò adjectivi per i, *Rudi.* Ergò inquiat aliquis, similiter *affinis* substantivi ablativus erit per e, affine:)adjectivi per i(affini.)Id verò concedendum non est. Nam ut familiaris & Rivalis substantivè accepta(frequentius)i habent: sic quoque Affinis. Idem tenendum est de vocabulo Sodalis. etsi nunquam sit adjectivum, Cicero de Oratore: *Ego pro meo sodali, qui, &c.* *Novali* placet. Adjectivum enim esse videtur, ut intelligatur *ager.* (Exemplum est præcisionis, ut Cicero loquitur, seu ellipseos) Apud Varronem enim est *novalis ager.* Et dicitur etiam *Novale* precisè, ut intelligatur solum vel arvum. Similiter dico: *Data meo natali*, scilicet die.

Object.

Solutio.

Sodali frequentius legi, quam sodale. Ego pro meo sodali, qui, &c.

XXI.

Cur dicitur Affini, Molari, *à substantivè acceptis,* Affinis, Molaris: *Martiali à Martialis substantivo non dicitur?*

SUbstantiva in IS similia adjectivis, seu quæ ex adjectivis fiunt substantiva ablativum habent in e, *at propria habent I. ut* Juvenale, *Martiale.* Canonis partis prioris exemplum est apud *Ciceronem & ad Q. fratrem lib.* 3. *O Dii quam ineptus, quàm se ipse amans sine rivali.* *Natali & Novali* (de quibus paulò ante) adjectiva esse videntur, ut subintelligatur *dies, terra, ager,* quæ etiam interdum adduntur, ut natalis dies, sicut & dicitur natale solum. De *Canalis*, pro quo Statius etiam *Canale* genere neutro dicit, dubito. Amussis habet i, quia accusativus est *Amussim.*

Juvenalis et Martialis adjectiva martiali & juvenali substantiva Martiale & Juvenale.

Im habet I.

XXII.

Cur dicitur VINdice, Sequestre, non loco Equestre?

Cic. pro Cluentio. *Vindice Sequestre.* Quia sequester substant: At *equestri loco natus* non equestre; Quia adjectivum. Sic *vigil vigile* pro excubitore, substantivum: At vigil (pro) vigilans *vigile & vigili* (vigilia plural. numer. gener. neutr. nusquam reperies (Exemplum igitur *sequestre vindice*, est exceptio Regulæ, in proximę quæstionis explicatione proposita est.

XXIII.

An Adjectiva in NS, & Comparativa habeant ablativum in i & e simul?

Ablativus participiorum in NS, in E est frequentior.

Comparativorum fœmininorum ablativus in E frequentior est, ut *latiore fama, secundiore fortuna, voces contentione majore, & verborum gravitate acriore; Commodiore valetudine, longiore via.*

Comparativorum neutrorum ablativus in i frequentior est, ut *a Majori, a Pari, a Fortiori, ardentiori studio.* Cic.

In observatione usus non licet nobis esse negligentibus. Me perlubente, Me imprudente & invito dicitur: Me imprudenti, Me perlubenti, non dicitur, Gaudenti, libenti, absenti, patienti illo, hoc factum est, non dicitur. Nam ablativus participii effertur per e tantùm, cùm utimur ablativis absolutis, qui vulgò dicuntur: designare consequentiam. At dicitur: Animo gaudenti, lætanti, lubenti faciam, patienti animo parebo, *Cic.*

XXIV.

An rectè dicatur: Natura est vera artifex, industria artifex, bona artifex. *Concl. neg.* Ubi etiam de vocibus Assecla, fur, augur.

Nomina

NOmina composita desinentia *in fex* masculina sunt: vt aurifex &artifex. Nec sequitur: Artifex dicitur de fœmina. Nam *Seneca* alicubi dicit, *Fœmina dux malorum & scelerum artifex.* Ergo artifex est generis communis. Non, inquam, probum est hoc argumentum. Nam & homo de Tullia dicitur, & tamen masculinum est tantum, scilicet non necesse est vtriusque generis esse, quæ viris & mulieribus conueniunt. Exemplo sunt proles, Soboles, Homo, Mancipium. Dicendum igitur est cum *Iulio Scaliger.* (cujus nominis perstudiosus sum) *Poëtic. lib. 1. pag. 4. Nam profectò ne ipsa natura quidem artifex.* Et, *Francisco Vicomercato*, cujus philosophica oratio est latina, plana, dilucida & ab ineptiis aliena *lib. 3. de naturalibus rerum principiis cap. 24. Ars altera quadam natura, & hæc artifex maximè solers & industrius videtur.* IN APPOSITIONE ENIM SUBSTANTIVA EJUSDEM ESSE GENERIS *non est perpetuum:* cujus sententiæ veritas aperit sese hoc exemplo Virgiliano: *Fatis auctoribus:* hoc item alius: *Carnifices curæ*, sic: *Aurum corruptela vita, Scipio corculum.* Hoc verò puerilius est: Latinè dicitur, Natura optima vivendi dux (*hoc est*, ductrix) Ergò etiam rectè dicitur, Natura est callida artifex. Dux enim auctoritate Ciceronis, in qua est conquiescendum, duum est generum. Exempla sunt in Dialog. de amicitia & senectute.

Objectio

Solutio

Objectio

Solutio

At artifex masculinum tantùm est. Quidam Poëtæ tamen instar adjectivi masculin. & fœmin. gen. usurpant (pro) *artificiosus, & artificiosa*, Hinc jam judicari potest barbarè dici, *Cassandra fuit facundissima rhetor: Hæc fœmina est bona scriba.* Assecla habetur pro Masculino. Attamen Scaliger exerc. 235. sect. 2. habet *assidua* assecla.

Aspexit juvenem formosa puella superbum
Picta verecundas flore decente comas.
Cui juvenis: Non sic oculis hinc inde vagis,
Pensile quin terra contuearis opus.
Lumina circumfert quacunque & in omnia versat
Virgo, pudicitia laude carere solet.
Insit at illa: Solum potius tua lumina spectent
Vestra caro viridi cespite facta fuit.
Corpora sed juvenum fas est nos quærere, *Adami*
De *latere Eva fuit condita* vestra comes.

Sed redeo ad vocem *Affinis*. *Tu*, inquit, Cicero in Oratione post reditum ad Senatum, *Affinem tuam meam filiam superbissimis & crudelissimis verbis à genibus tuis repulisti.* (Sic dicitur agnata mea, cognata mea) Pro certo igitur habeatur *Affinis* non tantum adjectivum (ut affinis turpitudini, facinori, culpæ,) sed etiam substantivum generis utriusq; esse.

Hostis etsi sit generis communis, quod probari potest hoc Quintiliani exemplo: *perniciosissima studiorum hostis*, tamen masculinum genus est frequentissimum. Quocirca Calvinus in psychopannychia scripsit: *Ferens secum carnem hostem domesticum, quo nihil est perniciosius.* Et, *Caro & concupiscentia, quæ ceu hostes domestici eorum pacem infestant.* *Sic etiam usurpavit Beza 1. coll. Mompel.*

XXVI.

An Comes & Dux, ut nomina sunt dignitatis, sint generis Communis.

COmes & Dux ein Graff/ Hertzog/ tantum masculina esse ex eo tibi videantur, quod dicimus de fœmina in fœminino genere *Ducissa, Principissa* & *Comitissa*: Sed nullum hoc argumentum est. Nam 1. ab Hospes Cliens & Antistes etiam sunt *Antistita Clienta & Hospita*: & tamen illa utriusque generis sunt. Apud Valerium enim Max.

Ecclesia cùm vocabulum græcum sit, nec illa faciūt de se diminutiva seu ἐλαττωτικὰ in ὄλη, à recentioribus non rectè dici *Ecclesiolam* dixeris, pro parva Ecclesia, qualis solet esse domestica. Verùm ego hanc voculam non esse improbandam arbitror. Nova quidem est; Quis neget? Sed quia voce nativa *Ecclesia*, ut aliis multis consuetudo jā utitur pro latina, & latini ab Uncia faciunt Unciola, à Vindemia Vindemiola, ab Urceus, Urceolus, à malleus, malleolus, à prædium, prædiolum, à tugurium, tuguriolum, à pallium, palliolum, à tibia, tibiola (apud Scalig.) vindemiola & copiolæ (apud Cicer.) reperta quoque *Ecclesiola* rejici non debet. Idem judicium de *Historiola* ab historia. *Voces intellige esse nativas vel repertas.*

XXIIX.

An Puta *cùm est particula paradigmatica, habeat ultimam correptam?*

Quidam è recentioribus poëtis *Puta* (pro) scilicet, seu nimirum, vel exempli causa, fecerunt conjunctionem & ultimam corripuerunt, ad differentiam *Imperativi Puta*. Horū error non est sequēdus. *Puta* semper verbum est, & habet à longum, etsi nonnunquam vim aliquam habet vocis inflexilis. Faciunt & quidam *Quis-putas* compositum, ut qspiam (pro) quisnā. Sed *quis putas* duæ dictiones sūt, ut; Quis putas puer iste erit? vide Vall.

Beza, Taubmannus & alii ex traditione quorundam Grammaticorum, Aldi & Despauterii corripuerunt. Pincierus observavit correptionem in Priapo. Sed id carmen Virgilii non est, qui castus Poëta (Scaligero est plenissimus pudoris Parthenias) Nec *puta* pro videlicet invenitur in Lexicis.

Scribit Thesaurus, Puta Imperativum loco adverbii poni, quandoque pro scilicet, vel verbi gratia. Priscianus lib. 15. de adverb. ex sua sententia inquit, solùm ita A correptam habere. Vide Pincierū.

XXIX.

An Nemo de solo homine dicatur?

EST non nemo qui tradit, *Nemo* dici de solis hominibus. Compositio huic videtur patrocinari ex Ne & Homo, ut *Nemo* sit idem, quod nullus homo. Sed ego nullo negotio affirmare possum (quia pro certo habeo) *Nemo* tribui etiam non homini & idem esse quod Nullus (etsi nulli dicatur, nemines non) Græce οὐδεὶς οὐδεὶς οὔτις. Cic. de Natur. Deorum. *Nemo nec homo nec Deus*: sic loquuntur etiam Theologi, *Deus pater à nemine mittitur, quia à nemine est*, id est, à nullo. Cicer. lib. 13. Famil. *Tantam in eo virtutem cognovi, ut neminem hominem pluris faciam*, id est, nullum hominem. De natur. Deor. *Nemo homo*. Ad Atticum. *Facio pluris omnium hominum neminem*. In Verr. *Nemo omnium mortalium*, id est, *nullus omnium hominum*. In Tuscul. *Utrum sit melius Dii immortales sciunt, hominem quidem scire arbitror neminem*, id est, nullum hominem. Hæc igitur exempla pro me stant.

XXX.

Non dicitur Colendus, Reverendus, Venerandus, Observandus, ior, issimus, quamvis dicatur jucundus, ior, issimus, Rotundus, rotundior, rotundissimus. Quid causa est?

COlendissimus, Observādissimus, quibus multi nunc utuntur, cur respuuntur à Latinis, qui tamen approbant Jucundus, jucundior, jucundissimus, Facundus, ior, issimus, Fœcundus, ior, issimus, Fervidus, fervidior, &c.

Quæstio.

Respons.

Analogia, qua comparantur similia similibus, cedit usui, ut fortiori imbecillius. Cùm igitur usus vetet dicere colendior colendissimus, iis uti, ut jucundior jucundissimus, non licet. Notum est illud Quintiliani libr. 1. cap. 3. *Certissima loquendi*

Non dicitur vir reverendissi-

Magistra

Magistra consuetudo. Ex consuetudine, & usu natum est præceptum: Participialia nomina non variantur per gradus, ut Observandus, Reverendus. At jucundus, facundus, fœcundus non sunt non. in na participialia. Observa hìc præceptum, quod quidam magni nominis Grammaticus habet, non esse generatim verum: Nomina adjectiva in dus non comparantur. Porro: *Potens, potentior, potentissimus dicitur, omnipotens, omnipotentior, omnipotentissimus non dicitur, quidam tamen è recentioribus usus est. Nec comparatur claudus, claudior, claudissimus: At comparatur Rotundus.*

ma memoria, sed corrsenda, vel tollenda. Non venerandissimus, sed cū primis vel maximè venerandus nobis & à nobis.

Quid ita?

Ab omnipotens & claudus non sunt comparativus & superlat. Quia per se, & non aucta significant rem perfectam & summum gradum, sicut Mancus, Mutilus, Mutus. Ubi tamen analogia interdum concedit superiorem gradū propter comparationem alterius rei diversi generis: ut cæcior talpa: quanquam si cæcitatem in perfectam & imperfectam cum Philosophis distinguas, etiam homo homine (ubi generis identitas est) cæcior dici potest. Rotundi verò significatio augeri potest: hoc est, potest aliquid aliquo esse rotundius, potest in hoc rotunditas esse perfectior, in illo imperfectior. Itaque comparatur, Rotundior rotundissimus: sic comparantur verus & falsus, quia cum verum aliud sit necessarium, aliud contingēs, aliud alio verius esse potest. At *plus uno verum esse non potest*, ait Cicer. Resp. loquitur Cic. de exquisitè & necessariò vero: Id unum est sicut exquisitè seu exactè seu castigatissimè rectum unum est, sic una linea non est rectior altera: Interim unum est altero rectius, rectitudine spectata ἐν πλάτει non ἐπὶ στάθμην, id est, ad amussim. Etsi autem hoc possit esse magis falsum, quàm illud. *Falsum* tamen apud

Objectio.

Solutio.

Falsum Comparativo caret.

veteres latinos me legere non memini. Observandum igitur quid usus approbet, quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi. Itaque definitioni Grammaticæ Scalig. adjecit. Ex Usu.

XXXI.

An Auctor *dicatur tantum de personis, puta* Deo, *Angelo, Hominibus*? Negatur.

ETsi Auctor Græcè αὐτὸς *sæpe dicatur de Deo, & intelligentibus naturis creatis: tamen aliquando etiam intellectus expertibus tribuitur; id quod exemplis est demonstrandum.*

Cicer. Auctor luculentus, id est, certus & exploratus.

Dicendi gravissimus auctor & magister Plato.

Isocrates orationis ornandæ, auctor locupletissimus.

Auctor legis: cui opponitur dissuasor legis.

Livius. Auctor legis pro primo propugnatore seu defensore.

Deus non est auctor peccati: id est, effector.

Virgil. Fatis auctoribus. Nam & neutris additur per appositionem, quam vocant. Sic multi ingenio sibi auctore dignitatem pepererunt.

Cicer. Sol auctor lucis.

Scal. ex. 101 sect. 29. Calor auctor levitatis. *Scribit* enim Scalig. sine aspiratione, ut Græci scribunt αὐθέντης.

Scal. ex. 74. Cometa sideris auctoris sui sequitur naturam.

Idem ex. 33 Cœli auctores caloris. Et: Idem auctor est generationis calor & conservationis. *E Theologis* non nemo est qui ita loquitur.

Io. Br. Damnatio alibi adscribitur peccatis non tanquam auctori [incredulitas enim est auctor condemnationis] sed tanquam fructibus. Tanquam auctori, *id est,* tanquam causæ.

XXXII.

An sint septimus & octavus casus? Negatur.

Septi-

SEPTIMUS casus est supervacaneus; verùm quidam sic arguunt: Longè aliter dicitur: Te præsente literas accepi, & à te præsente accepi. Ergo non tantùm sextus, sed & septimus est casus. Et ablativus est casus, quo utimur, cùm auferri aliquid significamus, ut abstulit à me librum. At cùm dico: te præsente: his casibus non significatur aliquid auferri: Ergo non sunt sexti seu ablativi. Ponendus igitur septimus, qui licet ablativo similis sit, ratione tamen non est congruens, sed cum eo diffidet. Respond. 1. A præpositio non ingreditur in ullius casus essentiam. 2. Accusativum non tantùm accusandi, sed etiam efficiendi, procreandi, & laudandi (unde laudativus dici potest) verbis adjungimus Dicitur interim ita à parte aliqua sui officii, nec præter eum laudativus casus constituitur. Sic etiam ablativus non semper servit ablationi, seu ablativum non tantùm usurpamus, cùm auferri aliquid significamus: Servit enim etiam comparationi, ut fortior Hectore, (unde comparativus casus dici posset,) & tamen eum ita nominamus ex eo, quòd interdum fit. Hic casus etiam dicitur Latinus. Eccur? An non etiam Nominativus est Latinus? Respond. Dicitur Latinus, quia est proprius latinorum, quatenus intelliguntur Græci non habere ablativum. Apud Græcos enim vis ejus per genitivum explicatur. Propria igitur peculiarique ratione Latinus dicitur. Latini tamen nonnunquam Dativum Græcum mutant in Ablativum, ut cùm dicunt, cum ἐπιτηχείᾳ. Exempla habes in Ciceronis Epistolis ad Atticum.

Object.

Cùm latinè dicūt cum vel sine ἐπιτηχείᾳ, hic Dativus græcus migrat in ablativum.

Supervacuus etiam est octavus casus. Is enim revera est Dativus pro Accusativo cum propositione Ad, ut *it clamor cælo*, id est, ad cælum. Virgil.

Quam

Quærere sibi adjumenta honoribus, id est, ad honores consequendos. Cicero pro leg. Manilia.

XXXIII.

An Ablativus sit à Musa *à* Magistro?

VUlgus Grammaticorum Syntaxin cum Etymologia confundit (quarum partium altera differt ab altera, ut solitarium à conjunctis) ut cùm in declinatione dicit *ablativo à Musa à Musis*. Sed construere hoc est, non declinare. Hîc si dicas adhiberi tantùm ut indicem. Resp. hunc indicem non esse perpetuum. Id præter alia ostendunt, *siquis, ecquis, nequis, nunquis*. Quis enim Latinorum dicit *à siquo, ab ecquo, à nequo, à nunquo*?

Sic quidam συντάξεις, id est, formulas & orationes seu complexa, quæ vocant, *ita est, sic est*, faciunt adverbia affirmandi & respondendi: *Hoc est, id est*, faciunt adverbia explanandi. *Sit ita, sit sane*, adverbia concedendi seu permittendi. At adverbium non est oratio, sed vox. Etymologia enim singularum vocum doctrinam continet. Faciunt & adverbia æstimandi, *vili, caro, parvo, minimo*, sed hi Ablativi sunt positi Ellipticè, intelligitur enim (pretio.)

XXXIV.

An omnia marium *nomina sint masculini, & fœ*minarum *fœminini, & quæ significant utrumque sexum utriusque sint generis?*

ALiquando unum & idem genus utriq; sexui convenit, ut in nominibus volucrum, pisciū, aliorumque animantium, quorum sexus discretis vocibus non effertur, videre est. Horum scilicet genus ex terminatione cognoscitur, ut *passer* pro mare & fœmina est masculini generis, *aquila* fœminini, *ostreum* neutrius: *Sic liberi* sub una voce genere masculino pro filiis & filiabus. *Mancipium* pro servo & serva capta, genere neutro.

Manna

XXXV.

Manna & Pascha *cujus generis & declinationis.*

MANNA etsi apud Ecclesiasticos scriptores neutrius sit generis, (τὸ μάννα, Joh. 6. Exo. 16. *Filii israël Manna comederunt*: Sicut & apud Scal. exer. 164. *liquidius manna colligitur quam prisca vo-la, etiamnunc vocant Tereniabin.* Ubi *Quam* convenit cū accusativo fœminino Tereniabin. Quod elegantię est: tamen Galenus lib. 4. κὰ̣ τὰ τόπους utitur genere fœminino, καλοῦσιν ἰδίως Μάνναν. Et Plinius lib. 12. cap. 14. *Micas concussu elisas mannam vocamus*: De Thure loquitur.

Pascha autem, vel *Petscha* generis neutrius tantum est: ut pascha non celebrandum seu faciendum cum Judæis. Non enim dicitur *Pascham*. De hujus genitivo paschatis quæri potest.

Nam neutra in a tertiæ declinationis sunt verbalia græca in ma. Pascha non est verbale græcum in ma. Ergo ejus genitivus non est Paschatis, quo tamen docti etiam uti solent.

Mihi quidem magis arridet genitivus Paschæ, ut τὸ Manna (quod Hebræis Man) Mannæ (non mānatis) Sic τὸ Pascha, Paschæ: vel dico esse ἄκλιτον. Indeclinabile autem esse ostendit locus Joan. Euang. 2. cap ἐν τῷ πάσχα in Pascha. Pascha autem seu Petscha deflexum esse volunt ab Hebræa *Phase* (quæ vox transitum significat) non à verbo πάσχω, id est, patior, ut placet Nazianzeno, quod significet tempus quo restitutor & vindex humanæ libertatis Christus mortem est passus. Ego ad priorem sententiam abeo. At objici potest auctoritas majorum genium Grammatici Prisciani lib. 6. qui expresse docet nullum nomen neutrum in 1. declin. inveniri. Resp. Ita sanè est: loquitur autem de latinis vocibus. At Manna & Pascha, peregrina sunt.

sunt. Itaque isto Prisciani ostenditur *polenta* esse generis fœminini. Est enim hæc vox latina.

XXXVI.

An recte dicatur: Hunc homines decorant quem vestimenta decorant, Den die Kleyder zieren/ den ehren die Leut.

DIscrimen inter *Decus* & *Decor* hoc versiculo notatur: *Oblitus decoris violat præcepta decoris.* Decus decôris significat honorem, laudem, dignitatem, honestatem. Accipitur etiam pro ornamento: Hinc est Decoro verbum, pro honesto, orno, celebro. Decor décoris significat pulcritudinem quandam ex decentia circumstantiarum. Hinc quidam deducunt Decoro. In hoc, quia dubitationem habet, inquirendi jus meum habeo. Nuspiam enim in veterum monumentis occurrit *Decôro.*

Itaque discriminis quod notatur versiculo. *Hunc hominis decorant quem vestimenta decorant*, probationem ex vetusto aliquo auctore requiro. Dices fortasse, à *Decus côris, est decôrus, a, um.* ab hoc est Decôro: At, inquam ego: Etsi à Sonor sonoris est sonorus, & à Canor canoris, est canorus, tamen non dicitur *sonoro & canoro* verbaliter. Sic etsi à Decor est decorus, tamen non dicitur *decôro.* Si perges negationi meæ opponere tuam affirmationem, rursus dico, hujus veritatem pendere à demonstratione. Mihi cavendum ne capiar, videndum ne fallar, ex 4. Acad. Cic. Porro libro primo verisimilium c. 3 Caspar Schoppius Fr. adducit versus Patris Symmachi, inter quos hic: Cum primis *quos non honoravit gloria Patrum*: Error hic est in προσῳδίᾳ quem non animadvertit Schopp. *Honoravit* (pro) ornavit vel decoravit.

XXXVII.

An Substantivum aliquod moveatur per tria genera?

NUllum substantivum moveri per tria genera sed per duo tantum, ut villicus, villica, id est, uxor villici, fixum Grammaticorum decretum est. At & vesper vesperis, & vesperus vesperi, & vespera vesperæ & vesperum vesperi invenitur, ut apud Plinium, Tempus vesperum. Resp. Hic vesperum est adjectivum Gen. Neut. (pro vespertinum) à vesperus, cujus fœmininum vespera, ut apud eundem: His hora rigandi matutina atque vespera lib. 18. (id est, vespertina) Sic subst. dicitur Colonus colona, ut colona apud Ovidium, id est, uxor coloni, parca colona. Sed adjectivè dicitur, Colonus, a, um, ut Colonus ager, id est, idoneus colendo, apud Ciceronem. Ita dicere licet rus colonum. Substantivè veneficus, venefica, ut venefica, Ein Zäuberer/ein Zäuberin. Adject. veneficus, a, um, ut Maleficus, a, um, Subst. Vetulus pro senicu-lo, vetula. Adjective vetulus, a, um, ut vetulum vinum apud Columellam: vetulis arboribus apponuntur novellæ. Subst. Rusticus, Rustica, ein Bäurin. Adject. Rusticus, a, um, id est, rusticanus, ut rusticus sermo, seu rusticus pudor.

Object.

Solut.

Substantivè quidem dicitur vesper vel vesperus & vespera tãtũ, sed adjectivè vesperus, a, ũ.

XXXIIX.

An Princeps *nonnunquam sit nomen Adjectivum?*

PRinceps quibusdam tantum substantivum generis Masculini est, ut per appositionem dictum sit, Princeps qualitas, ut urbs Roma.

Aliis est generis communis, ut sicut dicitur optimus dux & optima dux: sic dicere liceat optimus princeps & optima Princeps.

Ego judico hanc sententiam esse veriorem:

Princeps accipitur Substantivè & Adjectivè. Substantivum apud veteres est masculinum tãtùm, & signi-

potens esse participia, è quibus tamen postremum sæpius absolute nomen est, ut potens rerum, mei potens, *Livius*, potentissimi homines, *Cicero*, potens viris, *Ovidius*. Adeò hoc verum est, ut moveatur etiam substantivè positum, ut armati potentes, id est, armati principes, unde *potentatus* quartæ declinationis, pro principatu apud *Cæsarem & Livium*. *Nonnunquam* etiam *Præsens* simpliciter nomen est, ut: præsentes ad incendium vires, id est, efficaces. *Cicero ad Atticum*: præsentissimum venenum, id est, satis efficax. *In Tuscul.* Hercules tantus & tam præsens Deus, id est, propitius. Sed hæc leviora sunt, quàm pro doctorũ exspectatione. Nota hîc [quod addo non ut ὁδῶ πάρεργον, sed ut consectarium] barbaros Philosophos ita loqui: *intelligentiæ sunt Entes*, præter omnem materiam, *Sonet. lib. 12. Metaphys. quæst. 48.*

XL.

Dicatúrne Ludicer *sermo*, *an* Ludicrus *sermo?*

NON est ἐν παρεκβάσεσι judicanda hæc quæstio: qua de strictim & cursim: Ludicer dicendum videtur, ut alacer, volucer, acer, non ludicrus. Sed obstat, quod fœmininum illius est ludicra non ludicris. Horum verò fœminina non sunt alacra, volucra, &c. sed alacris, volucris, quæ & masculini sunt generis, &c. videtur igitur dicendum Ludicer, ut macer, a, um, sacer, a, um, pulcer, a, um. Ambrosius Calepinus huic sententiæ accedit. Contra Ludicrus (ut lubricus & tetricus) habet Nizolius, & Lexicon Basiliense vetus. Nullum enim præter Ludricus si genuinum est adjectivum, exit in Crus. Itaq; Analogia magis favet τῷ Ludicer (Etsi in eo etiam deficit, quod macer, sacer, pulcer, non præcedente ultimam syllabam litera dicuntur, id est, non dicitur *pulicer ut ludicer*.) Reli-

Ego apud eruditi seculi scriptores neq; Ludicer neq; Ludicrus legi, nisi forte Ludicer semel.

quum igitur est ut usus vocis *Ludricus* ostendatur. Ei enim cedit Analogia: Nisi fortè ita malis colligere: ut à civi civicus, ab hosti hosticus, à fonti fonticus, & orbicus (apud Varronem) pro orbicularis, ab orbi: ab urbi urbicus dicuntur, sic à ludi ludricus. Sed quid ego te in laqueos inducere videor?

XLI.

An, cùm dicitur Amoris ergo, Ergo *sit Nomen*? Neg.

Dicitur *Amoris ergo*, pro, amoris causa vel propter amorem, per Antimeriam. Conjunctio enim adhibetur pro nomine. Græcis est φιλίας ἕνεκα & φιλίας χάριν. Ubi latini etiam nonnunquam utuntur Elliptica locutione, ut hæreditatis obeundæ venire. Hic subauditur *causâ*. Ter. in Adel. Ne id assentandi magis, quam quod gratum habeam, facere existimes. Sunt quibus placet *Ergo* hic esse græcum ἔργῳ à Ἀττικῷ ἔργον, ideoque esse nomen ablativi casus. Illis suave hoc (prope dixerim) delirium relinquo, quantumvis magnis viris. Græci enim non dicunt φιλίας ἔργῳ.

XLII.

An Fas *&* Nefas *& similia nomina infinita sint* ἄπτωτα, id est, *sine casu*.

Ἄκλιτον, hoc est, indeclinabile esse & immutabile *Fas*, in incerto non est: Declinatio enim fit variatis casibus. At *Fas* variationem hanc non admittit. Sed an ἄπτωτον sit, quæritur? Sunt qui inter ἄπτωτα collocent, sunt & qui his adversentur. Nos alteros alteris conciliabimus. *Fas* non est ἄπτωτον, quia nominativi & accusativi casus est. Exemplum Nominat. est: Hoc est fas, istud est nefas. Accusat. per fas & nefas. Quare etiam non est monoptoton. Est tamen Donato ἄπτωτον κατά τι, nempe

nempe quatenus non variatur terminatione, seu non cadit fine suo in alium mutato, hoc est, ἄπτωτον est, ut accipitur ἄπτωτον pro indeclinabili seu invariabili. Ita quædam nomina sunt ἄπτωτα, id est, non cadunt in alios casus mutatione terminationis singularis numeri tantum, ut *fas, nefas*: quędam utriusq; numeri, ut *Nequam*. Quidam vocat Monoptota. Sed ea propriè sunt unius casus: ut *Natu*.

- *Nomina.*
  - *Terminationis unius.*
    - *Unius casus, Monoptota. ut* Inficias.
    - *Duorum casuũ, Aclita,* Fas, nefas, Nihil, *nomin. & accusat. sing.*
    - *Omnium casuum, Aptota, ut,* Nihili, Nequam, Quatuor.
  - *Plurium terminationum. Itaq; diversorum casuum.*
    - *Duorum*: Suppetitiæ, suppetias.
    - *Trium, Triptota*: Vis vim vi.
    - *Quatuor, Tetraptota in*
      - *Integris, ut* puer:
      - *defectivis, ut* Frugis.
    - *Quinque Pentaptota* pater.
    - *Sex. Hexaptota,* Unus.

An Nominativus sit propriè casus?

Nominativus, quia à nullo cadit, (ut θετικὸν) impropriè casus quibusdam dici videtur. Ego existimo Nominativum propriè dici casum, quia cadit ex sua terminatione in aliam.

XLIII.

An latinè dicantur Nasciturus, Oriendus, *&* Nascendus?

N*ascendus* quidam dici volunt, quòd apud Gellium legitur, *ad homines nascendos*, Sed una *Gellius au-* *ctor latin-*

tatis, non satis idoneus. una hirundo non facit ver: Nec Gellii tanta est authoritas, ut vocem illam in Latium possit inducere. Loco *Nascendus* Theologi & Philosophi & Historici etiam latinitati studentes minusq; barbari sæpe utuntur *Nasciturus*, quod est S. P. *Naturus* dat analogia, sed usum probati auctoris desidero. Porrò non ut Ordiendus, sic Oriendus simplex inveniri puto. At in compositione dicitur *adoriendus & ἀντίστοιχον* Adoriundus. Cic. ad Her. Ad rem adoriendam. Aliud autem est *Oriundus*, quo Cicero & alii Latini multi utuntur, Non habet hoc significationem futuri participii. Cic. in Top. Qui ab ingenuis oriundi sunt, id est, exstiterunt. Quidam è recent. provinciales sunt non tantum qui ex provincia oriundi sunt, sed etiam ii, qui in provincia habent domicilium. Habet ablativum cum vel sine Præpositione. Non possum, quin hîc παρέργως utens quæram quid sibi velit disjunctivâ Scaligeri lib. 3. Poëtices, ubi loquens de Turno & Sinone. *Uterq;*, inquit, *aut Græcus aut Græcia oriundus*. An non Græcum esse & Græcia oriundum esse idem est? Respond. Hunc locum explicat alius apud eundem Scaliger. lib. eodem: *Patria jus duplex: Altera est natale solum: Altera unde oriundi sumus*, Et locus Livii 4. belli Punici: *Nati Cartagine, sed oriundi à Syracusis*, id est, orti Carthagine ut patria seu natali solo, sed à Syracusis originem ducentes, unde fuerant parentes. Græcus igitur est, qui natus est in Græcia, etsi majores ejus sint Romani vel Germani, atq; hac ratione Oriundus est Româ vel Germaniâ. Estque proprie *oriundus*, qui originem trahit ex aliquo loco, in quo non ipse, sed parentes vel majores ejus nati fuerant. Sic filius meus esse potest Marpurgensis vel Wittenbergensis & tamen Corbachio oriundus. *Oriundus* tamen [pro] *ortus accipitur, cùm additur ei personas*

De Vi Vocis Oriundus.

sona: ut liberis (hoc est, ingenuis) parientibus oriundus, apud Columellam, & Oriundus ab Alexandro apud Livium. Sic Paulus oriundus ex Pharisæis.

XLIV.

An Præsto sit Nomen dativi casus?

TUus Mercurius, *quid nomina mercis affert nova*? Hoc certè. Quidam quem non nomino quòd nolim is videri, qui ejus authoritatem elevem, præcipit, *Præsto* esse nomen deficiens casibus, & quidem unum tantum habere casum, seu esse μονόπτωτον in Dativo solùm, ut inficias in *accusativo*. Hunc contra dico, *præsto* esse adverbium locorum à verbo *præstare*, & idem ferè esse, quod *prope* vel *ad* vel *coram* vel *in promptu*. Sed ero liberalis. Ut dem esse nomen, Dativi tamen casus est. Nam *est mihi præsto* non est idem, quod *est mihi præsenti* vel *parato*. Quibus igitur casibus dicitur *præsto*? Nominativo & accusativo utriusq; numeri ut adjectivum *opus*. Dicunt enim Latini: *præsto est*, id est, præsens est seu apparet. *Præsto fuerunt*, id est, præsentes. *Illos præsto fuisse*, id est, præsentes. *Quod mihi est opus*, id est, necesse. *Quod mihi opus esse* scis, id est, necesse. *Quæ mihi sunt opus*, id est, necessaria. *Quæ mihi opus esse nosti*, id est, necessaria. *Necesse* enim in nominativo & accusativo tantum sing. num. usurpatur. Nota hic usum vocis *præsto*: Id coram facere prohibeor. Cic. At non dicitur præstò facere. Coram tecum loquar. Cic. At non præsto tecum loquar. Propè accedere latinum est; præsto accedere non est. Dicimus: præsens tecum egi: non præsto. Dicimus: præsentes videmus Deos: non præsto. Dicimus: Eum præsentem atq; audientem vita privandum esse dixit: non præsto. Dicimus denique, præsenti mihi dixit, non præsto mihi. Præsto enim adjungitur tantùm Sum, vel Adsum (quanquam hoc rariùs) modò sine dativo,

prie est, oculis somno gravatis conniveo, ut; *Ciceroni quandoque videtur nictare Demosthenes.* Petr. Ram. lib. 16. Schol. Grammaticarum, Dormito, *inquit*, desiderium potius somni aut leviculum somnum quam frequentem indicat. Id ostendit locus Horatii: *quandoq; bonus dormitat Homerus:* Si hic *dormitat* esset frequenter dormit, quomodo frequenter & quandoq; convenirent? Imo in verbo dormito videtur esse significatio deminutionis & frequentiæ simul, hoc est, latini videntur dixisse dormitationem (quæ Græcis νυσταγμὸς) à somniculorum frequentia, cùm in dormitatione somnus aliquoties interrumpatur. De hoc plura non est operæ precium.

X L V I.

Incessi *sitne ab Incedo, an ab Incesso, cùm dicitur,* Quæ religio te incessit?

Latini dicunt: Timor eos incessit, Cupido incessit animos, apud Livium. Rarior est dativus, ut: *Nec mihi cuncta complectendi cupido incessit*, apud Valerium Max. Sed valdè dubium, utrum hoc *incessit* sit ab Incedo, an verò ab Incesso. Quod sit ab Incesso, suspicari possis ex eo, quòd vix invenias: Incedit me cupiditas: Incedet me cupiditas. Quod sit ab Incedo, conjicere licet ex loco Terentii in Adelphis: *Nova nunc religio in te isthaec incessit*, hoc est, invasit, cepit, sicut & Valerius Maximus illud: *Nec mihi cupido incessit, &c.* Interpretandum videtur: à quo non multùm abest hoc Columellæ: *Si sterilitas annorum incesseret hominibus*, id est, ingrueret.

Sed hic abdo me iri nubiliarium, & de hac doctioribus arbitranda. Cùm Cicero dicit, *incessi omnibus lætitiis* (In Frewden/ gleich wie in Springen gehen) *præteritum incessi* esse ab incedo, extra dubitationem est.

XLVII.

An Incoativa *etiam descendant à frequentativis?*

Negatur.

Communis doctrina est, *incoativa vel ortum trahere à nominibus tam substativis quàm adjectivis*, ut sylvesco, dulcesco, teneresco apud Plinium & tenerasco apud Lucretium poëtam à sylva, dulcis, tener: *aut à verbis primitivis*, ut Hebesco ab hebeo, ut Invalesco, invalui, ab invalco. Sed unum fortasse repugnat *Hebetesco*: Dicunt enim Latini, Scalig. Vigor habetescit; & descendere hoc ac formatum esse videtur à frequentativo Hebeto, as, are. Ego tamen hoc exemplum exceptionem non facere judico. Nam ut à dativis *dulci & miti*, sunt dulcesco & mitesco, sic à dativo *hebeti* est hebetesco.

XLIIX.

Mollesco *pro mollior, an sit à mollio, is, ire, cum aliis?*

Mollesco, hoc est, mollis fio, non est ab activo mollio, sed à nomine *mollis*, ut gravesco, id est, gravis fio, à nomine gravis: graveo enim non dicitur. Incurvesco à nomine incurvus, non à verbo Incurvo, si Mollesco esset à mollio, diceretur Mollisco, ut à dormio obdormisco, edormisco, indormisco. At mollisco non dicitur. Ergo. Duresco potiùs est à dureo, quo usus est Ovidius in Metam. quàm à durus. Senesco est à Seneo, Canesco à Caneo, ut; *dum finit hora canes, effœto corpore canos.* Sanesco quo utitur Columella est à nomine sanus, (Saneo non dicitur) Integrasco ab integro, as, are. Inveterasco ab invetero, inveteravi, id est, invalui. Adolesco (id est, ætate augeor seu cresco) ab adoleo, adolui, id est, ad adolescentiam perveni) Coalesco pro concresco, ut vulnus coalescit, apud Plinium non deducendum est ab Alo vel Coalo, sed à Coaleo, coalui, coalitum. Coaluerunt omnium

mnium animi concordiâ. Livius. Coalo non dicitur. Ut, à dormio est dormisco, à scio scisco, à vivo revivisco, singulare est: quod quidam è priscis dixit; Virescit vulnere virtus, id est, vires accipit. à tremo contremisco, à cupio concupisco, sic ab alo si esset finitum in sco, id esset coalisco. At coalisco non dicitur. Ut igitur flaccesco, rubesco, raucesco, sunt à flacceo, rubeo, rauceo; sic coalesco à coaleo conjungat secundæ. *Argumentum ἀναλογίας.*

XLIX.

Scisco *an sit incoativum à scio*? Affirmatur.

ALiud ex alio incidit. Priscianus *scisco* incoativum malè appellat, cùm incoativum non sit, neque habeat significationem in sco desinentium; sic censor quidam. At ego statuo esse Incoativum à Scio, & significare propriè idem quod operam do, ut sciam. Sit sane anomalia aliqua seu singulare quid in significatione, At à Scio esse certum est; ut resipisco est à resipio. *A scisco* autem Incoativo est frequẽtativum *sciscitor*. Summatim hic nota: *incoativa in Asco esse à verbis primæ conjugationis*, ut integrasco, labasco, inveterasco, *vel à nominibus*, ut; repuerasco à puer.]

IN *ESCO sunt à verbis secundæ* conjugationis, ut maturesco à matureo; adlubescit mihi hoc. **das fähet mir an zu lieben**/ à lubet. Extimesco à timeo. Vel à nominibus, ut Gravesco à gravis, Juvenesco à Juvenis. Contenebrescit apud Augustinum à nomine tenebræ. Si diceretur *contenebrascit*, hoc esset à *contenebrat*, *contenebravit* verbo neutro, quo usus est Varro de re rustica *(pro)* advesperascit. At Cresco quasi creasco contractum à verbo primæ (creo.)

A rubigo Scaliger facit rubiginesco, pro rubiginem contraho; à Sal salesco, exer. 51.

IN *Isco* sunt à verbis vel tertiæ; ut ingemisco,

contremiſco, fruiſcor: vel quartæ: ut obdormiſco & reſciſco. At hiſco, pro hiaſco, quo utitur Cato de re ruſt. ab hio, as, are.

Sunt igitur Incoativa vel verbalia vel nominalia.

Quæ nominalia ſunt præterito carent, ut molleſco, diteſco à Dativis molli & diti: verbalia habent præteritum primitivi vel extantis, ut invaleſco invalui, indureſco indurui: vel non extantis, ut quieſco quievi, à quieo inuſitato ſeu ἀχρήστῳ. Creſco crevi cretum, tanquam à Creo. Percrebreſco, increbreſco, increbui, percrebui, à non extante Crebreo. Quibusdam tamen placet percrebeſco, increbeſco, increbui, percrebui, ab inuſitato Crebeo. Et increbreſco, percrebreſco à genitivo crebri. Reminiſcor tamen & integraſco præterito carent, etſi integro habet integravi. Terent. Hoc malum integraſcit. Sic & ſine præterito eſt veſperaſcit à veſpero, as, are, quo uſus eſt Gellius: quanquam ego malo *Veſperaſcit* deducere à nomine veſper. Huc referunt quoq; *Diteſco*, qui hoc ab inuſitato *Diteo* (πλουτέω) formant. Sed ego derivationem à Dativo Diti præfero.

L.

An omnia Verba in SCO *ſignificent actionis incoationem, ut: An* Caleſco *idem ſit quod calere incipio?* Negatur.

CErtum eſt, diſco, poſco, gliſco, offuſco, ineſco non ſignificare incoationem. Itaque non omnia verba in *Sco* ſunt Incoativa, nec ſignificant incoationem, ſed tantùm derivata à verbis, aut nominibus adjectivis. Sed nec hoc Priſciani dogma conſtantiam veritatis tueri poteſt, quod per hæc ſignificetur incoatio eorum, quæ per verba primitiva derivantur. Si enim crudeſcere, caneſcere, grandeſcere, nigreſcere, convaleſcere, matureſcere,

ſcere, hiſcere, flaveſcere, adoleſcere, juveneſcere. eniteſcere, lacteſcere, hebeſcere, clareſcere, actus incoationem ſignificarēt, hiſtorici, oratores, poëtæ non adderent illis Cœpi, incipio, incepto. At hæc addunt; Sic enim loquuntur;

Virgil. Cœpit crudeſcere morbus.

Idem; Incipiunt agitata tumeſcere.

Colum. Supercilia nonnunquam caneſcere incipiunt.

Idem. Semen ejus grandeſcere incipiet.

Idem. Cùm incipit oliva nigreſcere.

Idem. Ubi convaleſcere cœperunt.

Cæſar in Com. Cùm matureſcere frumenta inciperent.

Cato de re ruſt. Ubi primum incipiunt hiſcere.

Cicer. Omnis ferè cibus matrum lacteſcere incipit.

Idem. Orationem ſuam caneſcere cœpiſſe.

Salluſt. Sed ubi dies clareſcere cœpit.

Gell. Jam enim fama virtusq; felicitatis Romæ apud exteras gentes eniteſcere inceptabat.

Lactantius. Tum denique confirmatis viribus cœpiſſe juveneſcere.

Secundò ſignificationi inceptionis repugnant adjectæ particulæ adverbiales, Paulatim, Quotidie, Magis.

Cic. pro Marcell. Nihil opera aut manu factum, quod non aliquando conficiat & conſumat vetuſtas. At verò hæc tua juſtitia & lenitas floreſcat quotidie magis. Nemo eſt qui hîc interpretetur Floreſcit ꝓ incipit florere ſeu florida fieri. Si quotidie magis id fiebat, profectò iſta cōtinuatio dierum, dum fieret, jam ab initio rem incoatam ſemel fuiſſe, nō quotidie incipi, apertè demonſtrat.

Cicer. in Catone, ita ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit.

Si ætas ſenſim ſeneſcit, an ſenſim incipit ſemper ſenere? (liceat hîc mihi uti verbo Catulliano, ſi ita eſt, plus millies illa incoatio fiet. Et ſic toties deſinet fieri ſenex, quoties ſenſim ſeneſcit. Sed quia ab initio, quo cœpit ſenex fieri, nunquam omninò ſenex fieri deſiit, patet, τὸ ſeneſco ſignificate ſenex fio, non incipio ſenex fieri.

Ter. Quotidie mihi augeſcit magis de filio ægritudo, *id eſt*, augetur: non incipit augeri.

Plinius; Paulatim rubeſcens roſa dehiſcit.

Si paulatim rubeſcit, quomodo, rubeſcens ſignificet incipiens fieri vel eſſe rubra.

Plin. lib. *31.* In Sicilia circa Meſſanam & Mylas in totum hyeme areſcunt fontes.

Tertiò adverſantur Doctorum explicationes.

Virgilianum, *cœpit crudeſcere morbus*, Servius exponit: Validior fieri cœpit morbus. Virgilianum, *ægreſcitq; medendo* exponitur, inter medendum fit ægrius.

Lactantii illud; *Ne ſi noſtra invaluerint*, exponitur validiora fiant, Nigidius *dicemus*, inquit, *quæ vetuſtate deteriora fiunt, vetuſteſcere*.

Valla igitur potiùs appellanda docet *Augmentativa* αὐξητικὰ, (ab incrementi ſignificatione) quam incoativa ἀρκτικὰ lib. *1.* elegant. Et Scaliger ſentit, iis motum augeſcendi aut procedendi à primitivo declarari.

Sequitur hunc Nicodemus Friſchlinus, definiens verba Incoativa, quæ in *Sco* vel *Scor* deſinunt & incoatæ actionis ſignificant continuationem. Nihil ferè ab hoc abeſt, ſi dicas, aſſiduum incrementum, ejus quod cœptum eſt, ſignificare. Exempla etiam quæ adduximus docent τοῦ γίνεσθαι ſeu τοῦ *Fieri* ſignificationem potiùs, quàm incoationis ſolum habere.

Contra

Contra incoationis significationem etiam facit, quod ab activis formata in *Sco*, cum θεπικῶν, seu primitivorum passivis idem significare videntur, ut augesco, *id est*, augeor ab augeo. Abolesco, *id est*, aboleor, obliteror, ad nihilum redigor, ab aboleo, *id est*, tollo, deleo, oblitero. Excipitur hîc pertimesco (sicut & extimesco.) Non enim hoc est idem, quod valdè pertimeor, sed valdè pertimeo; Cicero enim dixit *Pertimescitur* in Agrar. Et concupisco, persentisco. Neutrum enim passivè cupior & sentior significat, sed utrunq; primi seu primarii significationem retinet. Unde etiam patet, non omnia Incoativa quæ vocantur, exponi posse per *fieri*. Scilicet verba activa non possunt explicari per *Fio*. Quædam Incoativa in *Sco* sunt verba significationis activæ. Ergo quædam verba Incoativa in *Sco* non possunt explicari per *Fio*: Declarari hoc & probari etiam potest exemplo verbi *edormisco*.

An generaliter verum sit, incoativa verba ab activis descentia idē significare cum passivorum primitivis? Negatur.

Ter. in Adelph. Edormiscam hoc villi, *id est*, tantisper dormiam, dum vapores è vino orti dissipentur. Continuatio igitur dormitionis hoc verbo significatur. Laurentius Valla lib. I. cap. 24. Continuativa verba vocat.

LI.

Utrum dicas Furio *an* Furo *(pro) insanio.*

Res cogit me nunc χαδιάζειν. Furio in tertia conjugatione, quæ prima in am est, non dicitur ut Rapio, sed *Furo* sine præterito. Apud Ciceronem enim est *furunt* non *furiunt*; *furebant* non *furiebant*. Exempla sunt in promptu. 2. de *Divinat.* Qui valetudinis vitio furunt & melancholici dicuntur. *Ad Q. Fr.* Clodius furebat, a Racilio se contumaciter urbaneq; vexarum. Itaque cave imiteris hoc cujusdam quantumvis egregie latine-docti vi-

cti viri, Duo Ajaces fuerunt & amabo *furierunt*, *&c.* (pro) bacchati sunt.

LII.

Utrum Supina & Gerundia sint Verba an Participia?

VEterum fuit præter cæteras disputatio nobilis; *Gerundia & Supina sintne Verbis an nominibus participialibus annumeranda.* Integrarunt hanc Nicod. Frisch. & M. Crus. ante paucos annos contentione acriuscula. *Meritò*, inquit ille, *ejeci è Verbis Supina & Gerundia*, quia sunt participia. At hic, nos grammaticuli in ea sumus sententia, *Supina & Gerundia non esse participia*; Etsi enim gerundia & priora supina exteriore forma participiis & posteriora supina ablativis quartæ declinationis similia sint, tamen significatione & usu rectè verbis adjunguntur.

Enimverò necesse est, *ait Orator*, ut lancem in libra impositis ponderibus deprimi; Sic animum perspicuis cedere. Talia si essent, quæ de Gerundiorum & Supinorum genere à recentioribus & veteribus disseruntur, facilè appareret, utra sententia esset amplectenda. Nunc quia utriusq; partis argumenta veritatis quandam speciem præ se ferunt, utri accedas, difficilius tecum statuis. Singula tamen suis ponderibus nobis sunt examinanda, ut quod in utramq; partem disputabile esse videtur, una fiat magis probabile. Hic enim hujus dissertatiunculæ finis nobis est propositus. Igitur Gerundia verba non esse sic ostenditur;

Argumenta Prisciani.

1. *Verba discernunt personas.*
Gerundia non discernunt personas. Ergò
Gerundia non sunt Verba.

2. *Verba non destituuntur temporibus.* Sine tempore scilicet nullum verbum intelligi potest.
At Gerundia carent temporibus.

Gerun-

Gerundia igitur non sunt Verba. Eodem oppugnantur supina.

Quod habet casus nomen est. At Gerundia habent casus. Gerundia igitur sunt Nomina.	Seu	Verbum non habet casus. Gerundia habent casus. E. Gerundia nõ sunt verba.	3.

Verbum non admittit ante se separatam Praepositionem *sed nomen.* 4.

At Gerundia admittunt eam ante se, seu Gerundiis praeponitur praepositio.

E. Gerundia non sunt Verba sed Nomina.

Hæc sunt argumenta Prisciani, viri cujus? singularis linguæ Latinæ Grammatici.

Quid ad ea responderi possit videamus.

Primi syllogismi major indefinita est, ac ita vera ut excipienda sint impersonalia & infinita. Ut igitur assumtio omninò concedatur, quòd *Gerundium* non discernit personas, id ei commune est cum verbis impersonalibus *amatur, legitur* (quæ ideò id habent nominis) & cum infinitis illis *amare amavisse, legere legisse:* licet interim personas infinitas confusásque habeant; ut, legitur à me, à te, ab illo: Solut.

Cupio amare, cupis amare, cupit amare. ἀνθυποφορά. (?)

Ac Prisciani defensori hoc reponendum.

Si Parium unum fuerit erit quoq; alterum.

Priscianus infinita & impersonalia è genere Verborum non ejicit: Licet personas non discernant.

Nec igitur propter eandem causam Gerundia illinc ejecerit.

Ad secundi syllogismi assumtionem responderi potest ex ipso Prisciano. *Participialia* pro omni tempore infiniti solent accipi. Dicimus enim legendi causa, in honore fui, & sum & ero, ἀντὶ τῆς ἀντ- Resp. hae est P. Rami 14. Sch. Grã.

ἀνεγνωκέναι καὶ τοῦ ἀναγινώσκειν χάριν καὶ τοῦ ἀναγνῶναι & similiter *τοῦ ἀναγνῶσθαι καὶ τοῦ ἀναγινώσκεσθαι καὶ τοῦ ἀναγνωσθήσεσθαι*. *Quare gerundia & supina*, legendi, do, dum, lectum, lectu, tempora non tam nulla adsignificant, quàm habent infinita & confusa, &tamen temporum quędam nota est:Pręsentis in legendi & legendo: ut, voluptas legendi, oblectaris legendo:Præteriti, in lectu: ut in illo Catonis, Cubitu resurgo. Futuri, in legendum & in lectum aliquando etiam velut à passiva forma, ùt indicat periphrasis illa futuri infiniti. Cicer. ad Att. *Multo firmius acta tyranni comprobatum iri*. Cùm tertio argumento è Prisciano congruit hoc *Frischlini*:

Omnis dictio variabilis per casus, est nomen vel pronomen vel participium.

Gerundium est dictio variabilis per casus. E. Est aut Nomen aut Pronomen aut Participium. At neq; Nomen neq; Pronomen. Ergo Participium.

Responderi potest utrobique ad assumtionem, *Gerundium esse*, quasi casus alicujus seu nominalis casus speciem potiùs quàm veritatem. Nec enim his casibus alius casus addi potest, quin planè nomen fiat non Gerundium: ut, *Studiosior restituendi mei, quàm retinendi*. Hic *restituendi*, cui genitivus *mei* adjunctus est, nomen est.

Saturnius scribit gerundia casum significare.

Alii respondent ad propositionem majorem, insufficientem esse enumerationem seu inductionem imperfectam:

Omnis enim, ajunt, *dictio flexilis & mutabilis per casus, est aut nomen aut pronomen aut participium aut verbum participiale.*

Jam *Gerundia* sicut & *Supina* flectuntur & sunt aut nomina aut pronomina aut participia aut verba participialia. At non sunt nomina, non pronomina, non participia. Sunt igitur verba participialia.

Casua-

Casualem enim si non veritatem, at speciem quandam à participio seu nomine capiunt. Sicut amans, amatus, amaturus, dicuntur nomina participialia, quia significationis vim & adsignificationem temporis à verbo capiunt.

Adde tu ἐκ περιουσ᾽: etiam participia esse nomina: quia sunt nomina verbalia. Ab est tertio ad est secundum.

Quarto syllogismo sic occurrit Ramus, nitens utensq; ipsius Prisciani præsidio: Infinitivus habet tempora apud Græcos & à Prisciano appellatur verbum. At *Gerundia* (ait idem Priscianus) infinitivi vice funguntur, quod solet apud Græcos articulis conjungi. Itaq; pro infinitivo, qui conjungitur genitivi casus articulo apud Græcos, nos utimur terminatione in DI, quæ similis est genitivo nominis legendi τοῦ ἀναγνώσεως καὶ τοῦ ἀναγινώσκειν καὶ τοῦ ἀναγινώσκεσθαι.

Pro eo autem, qui Dativi articulo adjungitur, infinitivo apud Græcos antecedente ἐν Præpositione, nos in DO utimur; terminatione, quæ similis est dativo vel ablativo nominis, nisi quod verbum hoc existimantes quidam etiam corripiunt finalem ejus. Juvenalis in 2.

Pluribus hic æger moritur vigilando.

Alpheus in secunda excellentium:

Spatiando paulatim trahit.

Est enim dimetrum Jambicum, ut legendo τῷ ἀναγνωσέῳ καὶ ἐν τῷ ἀναγινώσκειν καὶ ἐν τῷ ἀναγινώσκεσθαι:

Pro eo quoq; qui accusativo jungitur in DUM, terminatione utimur, quæ similis est accusativo nominis, ut legendum, ἀναγνωστέον. Huic tamen frequentiùs solet etiam præponi Præpositio *Ad*: ut, ad legendum.

Hæc Priscianus: Itaq; cum ita disputat. *Gerundia* separatas Præpositiones ante se admittunt: Ergo nomina sunt. At (*inquam*) Prisciane, ais, separatas præpositiones infinitivis græcis adjungi, neq; tamen negas verba esse: Tuo igitur argumento te ipsum induis & eam sententiam quam verbo oppugnas, tuo argumento concludis. Hæc Ramus statuens, Priscianum in laqueos se induere.

Quando igitur generatim sic objicitur: Quod verbi proprietatibus spoliatur, non est verbum. ut, quod non potest ridere non est homo. Verba quæ participialia dicuntur, spoliantur verbi proprietatibus, Ergo verba non sunt. Respondendum est ad propositionem. Quod verbi proprietatibus spoliatur, prorsus verbum non est. At verba quæ dicuntur participialia non prorsus spoliantur proprietatib. verbi, sunt etenim personis, formis, temporibus infinita. *Itaq; Verba infinita dici possunt.*

Ad hanc sententiam attexamus nunc rationes. *Nomina in o obliqui casus habent o longum tantum.* *Gerundia in Do non habent tantum o* longum sed etiam breve, ut;

Ovid. *Et rerum Dominus nil cupiendo fui.*

Plurimus hic ager moritur vigilando, sed illum, &c.

Ergo Gerundia in DO *non sunt nomina, &c.*

Gerundia & Supina in UM *si essent participia seu nomina Verbalia, horum constructionem potius imitarentur quàm Verborum. At Gerundia & Supina in* UM *potius Verborum quàm participiorum structuram imitantur.* Ergo.

Assumtio non difficilis probatu. Nam ut dico, placo te; sic dico, studio placãdi te, *id est*, ut te placem. At dicitur studio placandi tui (de mare) & placandæ tui (de fœmina.) Est igitur gerundium *placandi* diversum à participio (vel nomine participiali)

cipiali) placandus. Dicitur itero ista: Sic Cicer. Iterandum eadem ista mihi. Dicitur pacem peto. Sic Virg. —*pacem Romano ab rege petendum.*

Servitum me tibi abductio, est apud Plautum Pseud. 5. At servitus, a, um, tibi non dicitur.

Plaut. Aulul. 3. 2. Cong. *Quia venimus coctum ad nuptias.*

Eucl. *Quid tu, malum, cujus utrum crudum an coctum edam?* Hic coctum priori loco est verbum Supin. Venimus coctum, *id est*, ad coquendum, seu ut coquamus, seu coquendi causa. In posteriore participium vel nomen participiale. Edo coctum was gekocht ist/non crudum. *Sic eamus sessum*, lass set uns sitzen gehen.

Liv. lib. 3. *Legati ab Roma venerunt questum injurias & res repetitum*; hinc infero:

Participium præteritum passivum nunquam regit accusativum.

At questum & repetitum regunt accusativum. E. Non sunt participia præterita passiva.

Plaut. in Mercat. 3. *Hanc venum asporto*: Si hic *venum* est participium, *dicitur venus, a, um. At non dicitur venus, a, um. E. venum hic non est participium.*

Nonnihil etiam videtur arguere, *Supinum* non esse participium sed verbum, quod pro eo ponitur aliquando infinitivus: ut, *non veni legem solvere, id est*, solutum. Sed hoc argumentum non est satis accommodatum ad probandum, cum etiam (pro) non veni solutum legem, dicatur solututus. Sic venit ereptum virginem & erepturus & eripere. Flexio autem inter supinum & participium distinguit. *Illud est perpetuum seu nō flectitur* (Dicitur enim; Veni huc eum, hanc rem; hoc, hæc visum: non hanc rem visam hæc visa) *Hoc vero flectitur*: Inventum tibi curabo Pamphilum: & inventam tibi curabo famulam. Dicitur; venerunt eum oratum & eam

oratum, & lumina illa terræ hujus oratum. Hic *oratum* est supinum. Dicitur: te defensum & te defensam volo. Hic *defensum* est participium. Sic fac me missum, & me missam, & hæc missa.

Object. At enim, inquis, missum facias legiones legitur.

Solut. Non nego. Sed hoc singulare esse memineris.

Missum ibi non est supinum nec participium, cum *missumfacias* pro uno verbo usurpatum sit, tanquam dictum esset *missifacias*. Ita ἀρχαϊσμὸς & solœcophanes, hoc est, apparens solœcismus excusatur. *Nec singulare exemplum regulam generalem facere potest.*

Object. *Quod supina in U* (ut cùm dicitur à Cicerone: Breve responsu) sint nomina ablativi casus, ut cùm dicitur, rogatu alicujus aliquid facere, Umb eines Bitt willen / ex eo probare conantur, quod

Solut. per hæc exponantur. Responsio: Non equidem inficior interdum nominaliter exponi posse, ut: Indigna commemoratu, *id est*, commemoratione, seu quæ commemorentur. Digna lectu, *id est*, lectione seu quę legantur. Aspera perpessu, *id est*, perpessione: sicut omnia nomina tertiæ & quartę declinationis sæpe idem significant, ut Cic. ad Att. in rusticatu garrire & scribere, *id est*, in rusticatione.

Attamen non sequitur necessariò: Hoc *exponitur* nominaliter (ut: Sic est hominum ingenium, *id est*, tale: Tuum scire, *id est*, tua scientia.) Ergo est nomen. Et sæpe per Gerundia in *Dum* exponitur, ut jucundum auditu, *id est*, ad audiendum passivè: utrumq; enim apud Cic. est. Et ex sequentib. differentia evadit manifesta. Visu facile legitur, visione facilè non legitur. Difficile factu, dictu, apud Ciceronem est, Dictione, factione non est. Adde quod aliud est apud Ciceronem: intelligi auditu, *id est*, sensu audiendi, aliud horrendum auditu, *id est*, audiatur. Huc accedit auctoritas Quintiliani libr. 1.

cap. 4.

cap, 4. Dictu & factu ſunt verba participialia quidem, non tamen qualia dicto factoque. Sed argumentum auctoritatis in hac diſceptatione leviuſculum eſt.

De voce in U cum additur verbis habendi ſignificationem *Eundi*, judicium eſt difficilius. Quidam volunt eſſe verbum ſupinum, Obſonatu redeo, *id eſt*, ab obſonando: Quidam contra nomen & cōſtructionem eſſe ellipticam: obſonatu, *id eſt*, ab obſonatu. Priori ſententiæ illi fidem aſtruere conantur ſic: Si cùm dicitur, Leone venatū profecto, Apes eūt paſtum, Abivit obſonatum, venatum, obſonatum, & paſtum ſupina ſunt, Leone verò in venatum profecto, & apes eunt ad paſtum, & dedi in obſonatum, *id eſt*, in obſonationem apud Plautū: venatum, obſonatum & paſtum nomina ſunt. Videtur etiam *obſonatu* ſupinum eſſe, cum dicitur, *obſonatu* redeo. Nomen verò, cùm dicitur, ab *obſonatu* redeo. At primum. Secundum igitur.

LIII.

An Gerundia aliquando Paſſivè *ſignificent*? Affirmatur.

GERUNDIA activè vel neutraliter ſignificare, non habet dubitationem. De paſſiva ſignificatione quæſtio eſt, eam comprobent ſequentia Ciceronis exempla: Verba ad audiēdum jucunda, *id eſt*, auditu, audire. Res difficilis ad judicandum, *id eſt*, judicatu, Res ad patiendum tolerandumque difficilis, *id eſt*, ut alibi loquitur, difficilis toleratu. Hoc difficile eſt ad eloquēdum: quod tamen activè interpretandū; Quod eloqueris, quod eloquatur aliquis, cum eloqui paſſivè nō dicatur. Sic Bodinus: Neceſſarium ad eſſentiendum, *id eſt*, aſſenſu. *In Tuſc. & de Finibus*

Virgil. *Alitur vitium vivitq; tegendo*, id eſt, dum tegitur.

Cic. Ne fando quidem auditum eſt.

Quint. Memoria excolendo augetur, *id est*, dum excolitur.

Fando aliquid si forte tuas pervenit ad aures, *id est*, dum dicitur. At hic significatio activa est apud Virgilium.

Quis talia fando Temperet à lacrymis: *id est*, dum fatur seu dicit.

In Di passiva significatio rarissima est, itaq; notanda potiùs quàm imitanda. Cicer. Verr. 2. Non committam ut tum res judicetur, cùm hæc frequentia totius Italiæ Roma discesserit, quæ convenit uno tempore undiq; comitiorum, ludorum, censendiq; causa, *id est*, ut censeatur.

L I V.

An sint verba Impersonalia *quæ Græcis* ἀπρόσωπα: Affirmatur.

E Persona verbum personale vel impersonale dicitur. Personale, quod tribus personis conjugari potest: ut, amo, amas, at. Impersonale, quod unicæ personæ conjugari potest, ac desinit in T, ut pœnitet, vel Tur, ut curritur. Hæc est usitata doctrina quæ subtilitati ingeniorum non satis facit. Sic enim argumentantur: Quod alicujus personæ est, non est impersonale. Curritur est alicujus personæ: quia tertiæ personæ est, Dicitur enim curritur à me, à te, ab illo, à nobis, à vobis, ab illis. Pugnatur ab his, pugnatur ab illis. Statur à Parmenone, occurritur nobis ab eruditis Cic. in off. Verum accõmodata ad Impersonalia defendendum objectionemque refellendi responsio est. 1. *Captionem esse ex falsa definitione*. Non enim impersonale verbum est quod nullius prorsus personæ est, sed quod terminationem tamen tertiæ personæ singularis obtinet, nullam personam habet sibi præpositam, cui non præponitur nominativus. Etsi igitur dicatur: Statur à Parmemone: tamen *statur* non

non est personale, cùm non præponatur ei nominativus stantis personæ (non enim dicitur Parmeno statur, ut dicitur stat Parmeno) 2. igitur ad probationem assumti hoc etiam non incommodè respondetur: Etsi impersonalia verba personis (sicut & numeris) additione pronominum definiuntur, & loco perfectorum accipiuntur: ut amatur à me, à te, ab illo, à nobis, &c. tamen per se sunt infinitæ & indefinitæ significationis. Cùm dicis *pugnatur*, infinitè loqueris. Cùm dicis pugnatur a Cæsare & Turca, à Germanis & Turcis, intelligentia definitur. Quid multa? Etsi in unius tertiæ personæ specie *pugnatur* personæ utriusque numeri confusæ sint, non tamen prima persona dici potest ego pugnatur, tu pugnatur, ille pugnatur. Itaq; *pugnatur* impersonale Grammaticis est. Et quamvis verbum impersonale omnibus personis convenire dicatur, non ideò personæ cujusquam propriè dicetur esse: Ita ergo ἀπρόσωπον verbum est, nec rectè dicitur esse tertiæ personæ. Quę Varronis quoque doctiss. & vetustiss. Grammatici sententia est. *Feditur* enim Impersonale verbum facit.

Neque verò istud te moveat, quo à quibusdam nobis occurritur: *Statur & itur* ponuntur absolutè, seu sunt verba absoluta. Ergo non ponuntur Impersonaliter, seu non sunt verba impersonalia. Verbum enim absolutum esse & verbum impersonale esse, non sunt opposita, sed diversa, imo consentanea: Uni enim & idem convenire possunt, *statur* enim impersonale dicitur ratione anterioris seu antecedentis. Absolutum verò ratione posterioris seu sequentis, *id est, statur* qua verbum est absolutum actio ejus non transit in aliud, sed remanet in eo quod agit. Ideoque post se non habet casum. Quatenus verò est impersonale, eatenus non habet ante se nominativum personæ vel rei.

Dicitur quidem *bibitur vinum*, sed tum bibitur est personale. Ut *probi liberi decent probos parentes*, ex impersonalibus enim quale est *Decet* fieri posse personalia, extra controversiam pono.

Summa disputationis & conclusionis meæ huc redit: *Impersonalia verba dici κατά τι*, id est, *Impersonalia non prorsus personis & numeris carere, sed carere his, quæ carent supposito recto*, ut loquitur Saturnius, *id est*, nominativo. Apposito ille mihi videtur ad hanc rem uti simili: Ut cadaver non ideo dicitur informe, quod omni prorsus careat forma (id quod minimè fieri potest) sed quod formam exuit posuitq; rationalem, (ubi corporalis tamen forma remansit quæ apparet) Sic verba non ideo dicẽda impersonalia, quòd omni personarum numerorumq; vel existentia vel figura quoquo modo sint viduata: sed quòd amisso supposito recto propriaq; personalitatis forma, sublatisq; existentibus numeris personisq; tertiam vocem singularem specietenus, tanquam inanimum quoddam corpusculum, sibi retinuerunt. Alioqui ne per modos quidem finitos (nempe Indicativum, Imperativum, Optativum & Conjunctivum) inclinari potuissent, qui numerus & personas vel existentes apparentesq; simul (quod est verborum personalium) vel apparentes saltem (quod est impersonalium) definiant, necesse est.

LIBRI SECUNDI
QUÆSTIO I.

An omnis regula habeat exceptionem, per quam restringi dicitur?

REGULA interdum à Latinis usurpatur pro brevi rerum perceptione. In hac significatione potest esse simpliciter καθόλου αὐτὸς, *id est*, ejusmodi

modi & tam firma, ut nullam habeat exceptionem, & nunquam fallat.

Aliquando *Regulare* opponitur generali, & tūc regula usurpatur pro præcepto, quod ut plurimum verum est, itaque exceptionem aliquam admittit. Sic Nicol. Eberh. 1. Top. Legal. loco ab exceptione ad reg. pag. 85. *Proprie non est regula quæ non patitur exceptionem*. Et paulò antè: *si in Lege vel Canone reperiatur dictio, plerunque hac denotatur legem vel canonem ponere regulam ita se habere*: quanquam mox subjungat etiam dictionem *semper* ex sua natura denotare casuum regularitatem (fortasse tu malis perpetuitatem.)

Nota hîc, cùm in Grammaticis dicitur, *in A fœminina sunt*, sententiam esse, omnia nomina in A esse fœminina, non quædam in A sunt fœminina: statim enim subjicitur exceptio. Sententia igitur est: omnia in A fœminina sunt, exceptis Poëta, Noêma, &c. Ridiculum sanè & ἄλογον esset, præcipere sic, quædam in A fœminina sunt, excipe.

II.

An ordior *habeat duplex Præteritum?*

Grammatici tribuunt verbo *Ordior* præteritum orsus sum, sicut Metior mensus sum, Vincior vinctus sum. Non desunt tamen gravissimi auctores qui verbo *Ordior* etiam tribuunt præteritum orditus sum, metior præteritum metitus, ut sancior sanctus & sancitus sum, sicut sancio habet sanxi & sancivi, sanctum & sancitum. Metitus non credo fortuitò Scaligero excidisse, tum quòd sæpius eo utatur, tū quòd legit apud Ciceronem 2. de Nat. Deor. Demetita signa, & demetiti cursus (ubi alii legunt dimetati à dimetari.) *Orditus* est, apud eundem est lib. 6. poëtices pag. 873. Verum ut ad id, unde digressi sumus, redeamus, non semper quod semel orditus est detexit (id est, quod semel

Priscian. duplex praeteritum tribuit Verbo Ordior.

orsus est, pertexit.) Et apud Baptist. Mantuan. in Parthen. de Maria tunicam Christi faciente; Tunicas tenues ordita. Sequūtur autem Priscianum, qui verbo *Ordior* duplex dant præteritum. Tu an alterum cascum sit & abolitum cogita.

Gradior unum præteritum habet gressus sum, non graditus sum. Itaq; Poëtæ cujusdam superioris ætatis primarii Graditurus vitiosum mecum judicabis.

III.

Utrum dicatur ambiebam *an* ambibam *à solutæ orationis scriptoribus?*

Quia Grammaticus es, hoc mihi ζήτημα persolve.

Quidam è recentioribus Grammaticis verbo *Ambio* tribuit imperfectum Ambiebam, as, at. Desiderio ego exemplum vel unicum è veteri auctore. Erasmus Roter. linguæ latinæ doctissimus, aliquoties quidem in monumentis suis habet Ambiebat, ut *6.* Apophthegmatum: Alexander enim ambiebat Monarchiam. Et in *2.* libr. Chronic. Johannis Carionis pag. *131.* hoc est: Ambiebat sororem Alexandri Cleopatram Perdiccas: Et in versio. 4. cap. Apocalypseos legitur: Quæ thronum ambiebant, (vide Bibl. Fr. Junii & Tremell.) Verùm non audeo hos auctores imitari: Apud Livium sane adolescens legi *Ambiebat*: sed locus mihi non succurrit, nec quęrendi nunc datur otium: Et è recentioribus Jacobus Pontanus progymnas. latinitatis vol. *3.* partis posterioris: de candidatis pagin. *328.* habet Ambibat. Non autem Romæ duntaxat in foro, sed per Italiam quoque (quibus nempe in locis multi cives Romani negotiandi causâ versarentur) ambibant.

Attamen tria argumenta sunt, quæ facere possunt, ut aliquis possit inclinare in imperfectum

Ambie-

Ambiebam, etsi dicantur Redibam & Exibam, &c. Primum quod Ambio terminatur in Io, ut audio, cujus imperfectum audiebam: veneo verò in eo, cujus imperfectum venibam. Alterum quod *Ambio* Participium præsens facit ambiens ambientis, ut audio audiens audientis: Redeo verò rediens redeuntis. Tertium quod *Ambio* habet supinum ambitu, ut audio auditu; Redeo verò reditu. Horum argumentorum vis pendet ex loco disparium seu dissimilium, quia Redeo & Ambio sunt Dispa-ria: & similium, quia Ambio & Audio sunt talia. Fiat igitur collectio: ut audio audiebam, audiens audientis, auditum: Sic ambio ambiebam, ambiens, ambientis, ambitũ. Cui simile hoc: ut venio, veniebã, veniens venientis: sic ambio ambiebam, ambientis, ut veneo venibam, sic redeo redibam. Hæc ergo analogiæ argumenta esse possunt, quibus si opponatur hoc: Composita verbi EO habent imperfectum in ibam: Ambio est compositum ab am, id est, circum & eo. Ergo habet imperfectum in ibam: propugnator ἀναλογίας respondere potest: Composita verbi EO habent ibam, excepto Ambio: sicut composita Verbi Eo in supino i corripiunt & Participii præsentis genitivum faciunt untis, excepto ambio; Seu composita Verbi Eo habent ibam, scilicet quæ retinent E. At in Ambio mutatum est e in i, sicut tantum composita Verbi Eo, quę retinent e, in supino i corripiunt; & participii præsentis temporis Genitivum faciunt untis non entis. Si oppugnator regerat: apud veteres poëtas, ut Ovidium, legi ambibat. Responderi potest; Quemadmodum Poëtæ dicunt Lenibat, Nutribat (pro) nutriebat, leniebat; Sic dicunt Ambibant (pro) ambiebant. Hic autem quæritur de usu veterum prosæ scriptorum.

Habes de proposito, quod quidem in me fuit, dispu-

disputatum istud est problematice ex usu & analogia. Tu lector, in dubia re debebis esse similis libræ, seu stateræ, quæ ad illam lancem, in qua majus est pondus, inclinat. Si locus Livii γνήσιος est, seu non corrupte descriptus, usus & *Ambibam* tutior fuerit. Cum erit mihi facta copia inspiciundi castigatum exemplar, secunda editione, si vita suppeditaverit, aliquid certius habebis: Interea loci utor *Ambibam.*

Antequam autem alio abeam, non possum dissimulare apud Cœlium Rodiginum legi Ambeuntes cerebrum panniculi. Sed vitiosum fuit, sine dubio auctoris antigraphum aut librarius (id est typographus) ab eo aberravit. Ambientes dicendum, ut modo dixi.

IV.

Quid sit, *quàm citò non segnem stare*?

PRiapi distichon apud Tibullum est:

At sit tardus eris, errabis: transiet ætas:
Quam cito non segnis stat remeatq; dies.

Verum non defuerunt, qui putarent, hos versus esse ita notandos:

At si tardus eris, errabis: transiet ætas
Quàm citò: Non segnis stat remeatq; dies.

Videtur enim dici non posse; *Citò non segnem stare diem.* Quid est, inquiunt; Cito non segnis stat dies? Ego secutus Guilielmum Canternm Ultrajectinum lib. 4. Novarum lectionum cap. 4. priorem lectionem tueor. Primum enim interpunctionem istã *Quam cito,* refellit proximè sequens distichon:

Quàm citò purpureos deperdit terra colores:
Quàm citò formosas populus alta comas.

Deinde simile geminumq; hoc Propertii lib. 2. eleg. 9.

Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta noto.

Quam

Quam citò fœminea non constat fœdus in ira:
Sive ea causa gravis, sive ea causa levis.

Quid igitur est *citò non constare fœdus*? Respon. Pro affirmatione sæpiuscule adhibetur negatio ἰσοδυνάμουσα vel contrà; ut, (pro) servare non perire vel (pro) non perire, servare. Matth. 24. *Non servaretur omnis caro*, id est, periret omnis caro. Ibi *Non* particula non cohæret cum signo universali *Omnis*, sed cum verbo ἐσώ[illegible]. Virg. Me non spernis (per λιτότητα) id est, me amas. Sic, *Non stare segnem*, Tibullo moveri; *Non constare fœdus*, est Propertio fœdus rumpi. Sententia igitur Tibulliani, *Quàm cito non stat segnis dies*; est; Quàm cito movetur, abit, labitur dies. Setētia Propertiani, *Quàm cito non constat fœdus*, est; Quàm cito frangitur fœdus. De hac explicatione & ἰσοδυναμίᾳ sic Canterus.

Ipsa primùm verba Tibulli sic componimus: Transibit ætas quàm citò dies non stat segnis & remeat. Ac ne cui mirum videatur, *cito aliquid non stare* dici. (Nam cito quidem stare aut quiescere aliquid nunquam dicere voluit Poëta) facile id cavebitur, si tres voces una reddamus ἰσοδυναμοῦσῃ [id est, æquipollente.] Nam quemadmodum segnis seu segniter qui stat, is non movetur; Ita contrà qui movetur, non stare segnis rectè dicitur. Brevius igitur nunc Tibulli verba explicabimus: Transibit ætas tam cito, quàm dies movetur ac transit alio redeunte ac succedente; Ita enim inquit Catullus; *Soles occidere & redire possunt.* At enim inquiunt; Dies perpetuò fluit, neq; unquam redit. Respondeo: rectè quidem. Sed *nihil ad Bacchum*, ut dicitur. Dies enim & redire & non redire dici possunt, diversa ratione. Unde Horatius de Sole dixit; *Aliusq; & idem nasceris.* Hic dies redit idem specie seu genere; Non redit idem numero Object.

seu

liana quam altera, rationum momenta stare: veteres enim non posthumus, sed *postumus* dixerunt. quod ex antiquis monumentis constat. Deducitur que posthumus à proverbio seu præpositione *post*, velut ab extra extumus, à citra citumos. Itaq; quod in Horat. legitur *posthume, posthume*, emendatius habetur in manuscriptis *postume, postume*. Tertullianus diligens antiquitatis inquisitor, in libr. contra Gnosticos hac voce usus est. Nam de Scorpio loquens sic ait: *Cauda erit quodcunq; de postumo corporis propagatur & verberat*, Quocirca rectè Sylvius: *postuma proles* dicitur, quod ultimo loco natus sit. Est itaq; postuma proles, postrema proles. Sed objicitur ex historia: Sylvium post Æneæ mortem natum esse. Respondet Canterus, facere ineptè, qui à poëta quasi teste veritatem requirunt, nec id meminerunt, historicæ fidei poëticam libertatem fortiter opponi posse. Atq; hisce idem auctor sequentia subjungit, quibus sententiam suam & stabilit & concludit: Quod addit Virgilius, *Longævo & Serum*, ea duo verba sententiam nostram omninò confirmãt. Cui enim Longevo nascitur filius, is vivo utiq; nascitur (Mortuũ scilicet esse & Longævum inter se pugnant.) Nam quod Sulpitius *Longævum* exponebat indigetem atq; immortalem, id tam est absurdũ, quàm quod maximè, quemadmodum nec ipse dissimulat Agellius. *Seri* porrò vocabulum solet iis tribui, quos Græci vocant τηλυγέτυς & qui senibus parentibus vel avis nascuntur. Ausonius Protreptico Objectio. Object. Solutio.

———— pappos aviasq; trementes
Anteferent patribus seri nova cura nepotes.

Serus enim hic eadem notione dicitur, qua apud Catullum ibi:

Reddite in extrema nuper mihi fine senectæ.

Idem Catullus inquit:

Nam

Nam neq; tam carum confecto atate parenti
Una caput seri nata nepotis alit.

Quapropter cum nec postumus & serus filius nec longævo patri nisi vivo nascatur, non video, cur posthuma proles Virgilio dici non debeat ea, quam Æneas extremo vitæ tempore postremam ex uxore susceperit. Negare tamen nolo, postumos vocari etiam eos, qui post mortem patris nascuntur, sed ut postremo [mortui enim non procreant amplius] non ut posthumatum patrem editos. Nam cum effœtus mortuo, quantum ad generationem, comparatur: æque potest utrivis natæ proli posthumi nomen convenire; Sed hæc tralatitia tralatitiè sic tractasse nunc sufficiat. Ac, quia cessatio studioso ingenio ignava est; ad alia pergamus.

VII.

An cùm dicitur [*Dicis causa, Dicis gratia*] Dicis *sit genitivus à* δίκη?

SI in hac formula Ciceronis & veterum Jurisconsultorum Dicis causa, *Dicis* est genitivus à δίκη, argumento hoc est olim quoque corruptam fuisse pronuntiationem græcam; Vera enim pronuntiatio est *Dices*, δίκης. In Analecticis autem latinæ linguæ hunc flexum seu hanc deductionem approbavi; & præter cætera dixi, *Dicis causa* esse nihil aliud, quàm per simulationem, simulandi causa, ad speciem. Sed suspicantur alii, *Dicis* esse à Recto inusitato *Dex* ex Dico: ut, judex judicis, est à judico, index indicis, ab indico. Si enim composita voce *Judex* dicitur, qui Jus dicit, probabile est voca simplici etiam, qui dicit Dicem olim appellatum, ut auctor & Varro ita ergo *Dicis causa* vel *gratia* id fieri dicetur, quod nulla alia de causa fit, quam ut factum esse dicatur. Ulpian. in lib. *1*. D ad

sena-

Senatusconsultum Syll. *Excusantur servi, qui auxilium tulerunt sine dolo malo. Nam si quis finxerit auxilium ferre, vel dicis gratia tulit, nihil hoc commentum illi proderit.*

Cajus in l. 4. D. de commod. *Sæpe ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia, ut numerationis loco intercedant*, zum Schein/daß man so fürgebe. Sed hæc sunt translatitia.

IIX.

An Dicterium & Diverbium *idem sint quod* proverbium?

Fieri quidem potest, ut in Diverbiis occurrant proverbia. Sed Diverbiũ significationem proverbii seu adagii non habet. Quid igitur est *Diverbium?* Dictum est a varietate personarum, & dramatis est pars ubi plures personæ conveniunt ac colloquuntur. Id innuit locus Scal. exercitat. trecentesima octava. In diverbiorum amœnitatibus jus est, arcessere quendam novarum interventu personarum, audientis dubitatione, aliisque non ejusmodi casibus. His de causis vendibiliores Æsopi fabellæ dramaticæ, quam severitas Theognidis in Phocy. Condimenta namque ac figmenta nulla adhiberi queunt. Sic Dicterium non est proverbium, etsi interdum sit proverbiale, quale hoc est græcorum, ὄνος πρὸς λύραν, *asinus ad lyram.* Sicut epitheton seu adjectivum nomen non est tropus, etiamsi interdum sit tralatitium seu tropicum, ut cum dico (Pallida mors) seu conceptum sit verbis adagium nõ obscurè præ se ferentibus. Nec Dicterium idem est quod dictum. Quid ergo est? dictum breve, acutum, & quodam quasi aculeo pungens, Scomma. Tale est hoc Scal. exer. 324. *Qui post Archimedem statueris Euclidem, quasi lumen post laternam:* quod etiam est παροιμιῶδες (proverbiale.) *Qui nimium emungit, elicit sanguinem,*

pre-

propriè non est diverbium aut dicterium, sed est dictum sententiosum & proverbium.

Porrò ut aliquid adjiciam obiter de Prosodia: *Diverbium* habet primam longam, ut Diludia. *Di* enim latinè producitur. At Digamus habet primam brevem: quia *Di* hîc græcum est.

IX.

Junius *cùm non dicatur, an solœcismus sit* Juniori Examine?

JUvenis, junior legis. *Junius* vix reperies. Quomodo igitur defendi potest, quod apud Columellam est lib.9.cap.11.Juniori examine? Alterutrum dicendum est, aut priscos dixisse *junior & junius*: aut quædam duum generum seu communia in obliquis fieri etiam neutra, ut a Senex est senior, fœminin.& masculin.generis. Senius vix invenies. Sed in obliquis senior est trium generum: ut senioris anima'is Hinc est, quod alii *senex*, faciunt generis omnis, alii generis communis, sed acceptum adjectivè, ut Cic. Nemo est tam senex, qui se annum non putet posse vivere, id est, tam confectus senio.

Idem de legibus. Quæ vis non modò senior est. Idem pro Sestio: valet apud nos clarorum hominum senex de republica meritorum memoria, etjam mortuorum: Ubi tamen alii legunt (pro) *senex*. Et bene. Sic Columella lib.9.11.cap. sunt, qui seniorem potiùs regem submoveant. *Sic juvenis & junior*, *adolescens & adolescentior* etiam pro adjectivis accipiuntur. Cic. Dii, ut ita dicam, juniores. Idem, omnes adolescentiores Academiæ. Colum. lib.7. cap.3. Fœmina juvenis habetur. Ovid. Juvenes animos, pro juvenilibus.

Priscian. Sunt qui *Senex* substantivum communis seu utriusq; generis faciunt, quibus cum non facio. De viro enim dico. Imbecillus, tristis, decrepitus senex.

nex.

nex. De muliere non memini me legere, imbecilla & decrepita senex, sed vetula.

X.

An fessus sit *participium, & differat à* fatigatus?

SUnt, qui putant verbi *fatis.* or præteritum esse *fessus* sum. Hi sequuntur Priscianum. At Diomedes *Fessus* nomen facit: ut idem sit, quod lassus & languens: cujus sententia est verisimilior: etsi *fessus* pro participio *fatigatus* interdum accipiatur: Quod enim fatigatus & fessus differant, ut calefactus & calidus, ut sicut calidus qualitatem, calefactus tempus & passionem significat: sic fatigatus dicatur ille, quem res aliqua fatigarit: Fessus autem simpliciter qui labore deficit: id lubricum & fallax est. Sæpe enim fessus pro fatigato ponitur: ut, æstu & itinere fessus: id est, fatigatus.

Sic Cicero: Et nisi de via fessus esset, continuò ad nos venturum fuisse (id est, debilitatus) pro quo lassus de via dicit Plautus. Non addo plura: quod fortasse aliquis in judicando dissolutior hæc inania esse dixerit.

XI.

An in Etymologia Vocis sine numero seu inflexilis communia tantùm accidentia vocis *rectè considerentur: reliqua in Syntaxi?*

VOx sine numero est vox, quæ nullum numerum adsignificat. In ejus Etymologia communes vocis affectiones, ut speciem & figuram rectè considerari, extra dubium est. Sed an præterea hîc aliquid Etymologicum sit, ambigi potest.

Tibi præter communia vocum πάθη in adverbio & conjunctione Etymologicum videtur nihil. *Objectio.* Nam inquis, voci alii adjungi & orationis multiplicis partes conjungere, hæc non unicam vocem, sed multarũ inter se structuram considerant:

& absurdum est, Syntaxin pro Etymologica explicatione sumere, cum Etymologia & Syntaxis ex diametro pugnent. Argumentum sanè prima specie difficile, & quod multos movere possit.

Solutio. Verum negatio etsi per se nihil ponit, non tamen cum definiti genere (quod est vox) nihil sed aliquid constituit. Sic istæ proprietates seu affectiones de quibus agitur (intellige adjungi & conjungere) etsi per se syntacticæ, non tamen cum definiti genere Syntacticæ, sed Etymologicæ sunt: quod quidem Bernhardi S. Burdegalensis judiciũ est, à quo non temerè in alia eo.

Objectio. At enim displicent: Quia præstaret ex ipsarum vocum adsignificationibus definitiones haberi, quàm ita ad Syntaxin recurrere. Respond.

Solutio. Præstaret sanè, sicut præstaret etiam definitionem vocis sine numero affirmatam quam negatam haberi. Sed quando id non potes, quod vis, velis igitur quod queas: quæ ipsa quoq; responsio B. S. est.

X I I.

An aliquod Substantivum *varietur per tria genera?*

Nullum substantivum variari per tria genera, docent Grammatici, ut Magister, Magistra, (non Magistrum) Ultor, ultrix, Arbiter, arbitra (non Arbitrum.) Apud Græcos tamen causam significat αἴτιος αἰτία αἴτιον.

Ambrosius in officiis, conscientia vera atq; incorrupta pœnitentię arbitra. At enim verò in latina lingua repugnare videntur Nuncius, a, um, servus, a, um: ut servum prædium, servum pecus apud Cic. & poëtas, victricibus armis apud Poëtas, Rusticus, a, um, & prætextus, prætexta, prætextum.

Ad primum respondeo, servus, a, um, esse Adjectivum idem quod servituti objectum seu devinctum.

ctum. Idem judica de Nuncius, etsi nuncium nonnunquam usurpatur pro re nunciata.

Ad secundum, verbalia in TRIX, neutra de se non faciunt, nisi tantum in numero plurali, eaque adjectivè accepta, ut victricia arma, id est, quæ vicerunt. Sic ab Ultrix ultricia. Sic judicat Nicod. Frischl. in *IX* verbalia fiunt interdum neutra in plurali, & naturam Adjectivorum induunt.

Ad tertium, prætextus, a, um dicitur diversa significatione, aliud significat prætexta, aliud prætextus & prætextum, ein Fürwendung. Et prætextus prætextumq; sunt substantiva, prætexta Adjectivum, ut prætextæ fabulæ, id est, dramata, in quibus inducuntur principes, non quod prætextis uti solent personæ. Sic prætextæ actiones: prætexta toga, id est, toga cui purpura est prætexta. Dicitur etiam prætexta per Ellipsin substantivi togæ, ut frigida, scilicet aqua.

Ad quartum, Rusticus, a, um, Adjectivum est, ut rusticum proverbium apud Livium, & vita rustica, apud Cicero. sed rustica tantum Substantivum. Sic Mendicus, a, um, unde mendicior mendicissimus, pro inope vel invalido, apud Cicer. Adjectivum. Sed Mendicus, a, unde mendiculus, a (substantivum.)

Sic medicus, a, um, quod est medici seu ἰατρικὸν (ut ope medica, manus medicæ) Adject. sed Medicus pro ἰατρῷ. hoc est, qui artem medendi novit, substant. Medica nunquam legi substantivè puto.

Itaq; si mulier ægro medicinam adhibuerit dixerim: *hæc mulier fuit meus Medicus*, non mea medica. Mederi enim propriè viris convenit: & cùm fœmina medetur, viri officio fungitur. *An dicendum fœmina est mea medica.*

Isti igitur quoq; dici potest: Tituli Medicorum remedia præ se ferunt: Pyxides habent venena: quod ut festivum, animi gratia aspergo. Sic Mari-

tus, a, um. Adject. pro, conjugalis: ut jure marito apud Poët. pecunia marita dotalis apud Plautum: At Maritus (uxoris vir marita mulier nupta) substantivè. Sic viduus, a, um Adject. pro desertus, privatus, orbatus, ut viduus lectus, at viduus (vir uxore orbatus) vidua (mulier viro orbata) substantivè.

Faber pro δημιεργὸς substant. immob. sed pro Fabrilis adject. a, um. Ostendit id Plautinum seu priscum adverbium Fabrè pro affabrè (ἐντέχνως) quod hodie usitatius: & versiculus Ovidianus, *Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis*. Ars fabra Græcis est τεκτονική. A Faber, a, um, non à substantivo Faber, est superlativus Apulejanus *Faberrimus*. Annulus in læva aureus signaculo faberrimo. Comparatio enim substantivis non accidit. Sic audacter quidam lingua politissimus vir *Sacrilegissimus* dixit, ab Adjectivo sacrilegus, a, um (ut sacrilegum bellum Cic. Orthogonius pro recto angulo substant.) Orthogonius pro constans rectis angulis, adject. ab artificibus accipitur.

Ovid. Metamorph. 2. Floridorū.

Nota ejusmodi nomina quæ modò substantivè, modò adjectivè sumuntur vocari *Media*. Ita verba quoque vocari possunt, quæ modò activè, modò passivè vel absolutè significant, ut: vertit pro mutat, & vertitur. Sic reciprocat, præcipitat, suppeditat, convertit.

XIII.

An omnis dictio composita *sit composita ex voce & voce: seu ut significantius loquar, ex duabus minimum Vocibus?* Negatur.

Quædam dictiones sunt compositæ ex voce una vel pluribus; & syllabica adjectione, ut *Ejusmodi* compositum est ex duabus vocibus & adjectione syllabica Ce. Non itaque dici potest

omnem

omnem vocem compositam esse compositam ex duabus saltem vocibus: Antecedens probo exemplis: Magistrum volunt dictum a *Magis*, quod cæteris magis possit, vel quod magis quam cæteri diligentiam & solicitudinem rebus quibus præest, debeat: *Ter.* quod adjicitur est extensio seu adjectio syllabica, ut loquuntur Grammatici: Sic *Meditullium* est à voce (medium) Imo significat medium: & Tullium in ea nihil significat. Sic Cicero in Topicis, Tullium in voce Meditullium est extensio vocis nihil significans.

Hic quæri potest, an perpetuum sit, adjectionem syllabicam nihil significare? Respon. Extra compositionem nihil significat, sed in compositione aliquando aliquid significat, ut *pte* extra compositionem nihil significant, sed in compositione verbi gratia, cum dicitur *Meapte*, idem est, quod Ipsius seu Propria, ut (apud Terentium) Meapte causa lætor, id est, mea ipsius. Sic *Tute*, pro, tu ipse, *Egomet*, pro, ego ipse. Non est autem otiosa distinctio inter vocem & syllabicam adjectionem, id quod unico, cùm brevitati studeam, exemplo declarabo. *Ita* cum componitur cum syllabica adjectione *Que*, est conjunctio causalis, idemque significat quod ergo, & habet accentum in prima syllaba, (itaque.) Cum autem componitur cum voce *que*, id est, *et*, idemque significat quod *Et sic*, accentum habet in penultima (Itaque) Verùm de exemplo *Magistri* forte liticulam mihi moveris, *Magister* enim est à verbo Magistro, as, are, quod esto est moderari, regere, temperare. Itaque syllabica adjectio hic locum non habet. Respon. Ut sequester non est ortum à verbo sequestro, sed hoc ab illo: minister non est à verbo ministro, sed ministro est à minister: Sic Magister non existit à magistro, sed magistro à magister.

habere possunt pluralem numerum, cum vel plures eodem nomine fuerint: ut duo Decii, trecenti & sex Fabii. Cicero de Nat. Deor. Joves tres numerant ii qui Theologi numerantur. Duo Elcazari celebrantur, unus qui occidit Elephantum, &c. cap. 6. lib. 1. Machab. H stor Alter sacerdos, &c. lib. 2. cap. 6. *Vel similitudo* significatur; ut, *Sint Mecœnates non deerunt Flacce Marones*, id est, similes Mecœnatibus & Maronibus. Hic propria induunt naturam appellativorum. 3. *Usitatissimus* est pluralis in cognominibus seu nominibus gentilitiis, *hoc est*, nominibus familiæ & cognationis, qualia sunt Cicero, Gracchus, Maro, Scipio, Fabius, Cato. Nam cognomen cùm de pluribus dici possit, siquidem cognationis commune est, abusivè dici proprium εὔλογόν est, *id est*, consentaneum. Nomen verò quod suum cuique est, ut Paulus, verè proprium est. Quod hoc pluribus tribuitur, fit ex accidenti. Vide si collibitum fuerit, Linacrum.

Nota hìc obiter, sacra *Biblia, orum* dici (non Biblia, æ) propter multitudinem in iis historiarum, dogmatum, præceptorum. Athenæ, arum, quia urbs est significans gentem. Saturnalia, Comitia, Nundinæ propter multas diei festi solemnitates & ritus.

XV.

An Philosopho *liceat esse* barbaro, aut mixobarbaro?

A Philosopho, si afferat ad ea, de quibus agit, eloquentiam, non aspernor: si non habeat, non admodum flagitem, inquit ille. Sed ego sermonis puritatem ab eo requiro. Vitabis igitur hæc & similia, quæ in barbaris & mixobarbaris partimve latinè scientibus occurrant, ne in horum vel semilatinorum turbam conjiciare. Admoniti ad lectionem, (pro) excitati. *Cicer. de Finibus.*

Hoc nunquam recipit fallentiam (pro) nunquam fallit, nullam admittit exceptionem.

Ne paralogizeris, pro, ne decipiatis.

Docilimus, pro, maximè docilis: Imbecillimus, pro, valde imbecillus.

De accidentali saltem non essentiali specie loquitur, pro, Tantùm.

Ad Metaphysicum saltem doctrina Categoriarum pertinet, pro, solum. *Saltem enim Diminutiva: Tantum, Duntaxat & Solùm simpliciter exclusiva (quas Barbari juris-consulti Taxativas vocant) particula sunt.* Ad minus, pro, saltem.

Incompotabilia esse, pro, simul esse non posse, & manifestam repugnantiam habere: seu se ipsam perimere.

Exemplificari, pro, aliquid pro exemplo afferre.

Diversificare, pro, diversum facere,

Dolorare, pro dolore afficere.

Validare, pro, validum facere.

Ratificare, pro, ratum facere.

Hęc quàm brevissimè annotasse sufficiant, pro, sufficiat.

Hæc est misericors sua voluntas, pro, ejus.

Furuerunt, pro, insaniverunt.

Pro mea parte, pro, Quod ad me attinet. *Probum interim est (pro mea parte) si accipiatur pro eo, quod est, pro meis viribus, pro mea virili: quod in me est:* **So viel ich kan vnd mag.**

Quantum meam personam attingit, pro, Quod ad me attinet, **So viel mich anlangen thut.**

In Typographia, pro, in Typographea; **In der Officin.**

Contra Cæsarem nullum unquam fœdus icere, nec icientibus consentire, pro, icentibus.

De hoc affirmando facerem mihi conscientiam: pro, **Hoc affirmare mihi religio est:**

Ut

Ut videre est ex libro suo, pro, libro ejus.

Hoc est contra omnes Grammaticas, pro, contra omnes libros Grammaticos: contra omnes auctores Grammaticorum (scilicet præceptorum seu παραγγελμάτων.)

Complexio, pro, constitutione.

Quod apud Scaligerum genere & doctrina illustrem virum exer. 11. legitur: Incus autem à malleo impulsus, pro impulsa, id rejicies ad ἀβλεψίας, hoc est, culpas exscriptoris, vel typorū collectoris.

Vota in puteum ceciderunt, pro, ad irritum ceciderunt.

Aurumne est aut orichalcum, pro, an orichalcum, conjunct. disjunctiva, pro dubitativa. *Bonavent.*

Quamvis illæ naturæ, quantum est de se, sint ad invicem disparatæ, pro, quamvis illæ naturæ per se sint inter se disparatæ.

Vapulatum iri, pro, vapulatum ire.

Venum iri, pro, venum ire, (*id est*, vendi, ut venundare est vendere.)

Degradatus, pro, exauguratus, exauctoratus, dignitate sua cum ignominia spoliatus, exutus.

Apostatare a fide, pro, ad hæreticorum castra transfugere.

Paupertatulam alicujus absumere, pro, reculas alicujus.

Perperè, pro, perperam.

Quodvis durum pati queunt, pro, quidvis durum.

Martyrizari, pro, sacra martyrii corona donari, glorioso martyrio affici.

Mille artifex, pro, mille artium callens, mille fraudum opifex seu architectus.

Aliquot centeni milites, pro, aliquoties centeni.

Mentale (pro) tacito,

Amo

Arrestare, pro, injicere manus in aliquem, in bona, in merces alicujus, mandato judicis inhibere. & Arrestum (pro) manus injectio. *Aliquando tamen puri etiam Philosophi barbaris utuntur cum parenthetica mollitione, vel cum petitione veniæ.* Scali. exer. 307. sect. 9. De alietate & identitate. Quibus verbis in re tam ardua æquè necessariis ut mihi liceat pace latinitatis; novas etiam, cùm opus est, voces faciunt. In re typographica recentiores dicunt *Impressor,* quia novæ rei nova vocis significatio convenit. Rectè etiam distinguunt errata artificum & doctorum à virtutibus, ut *Climax* generis fœminini est. Rhetorico igitur Climaci apud Petrum Ramum & Talæum in Logic. (pro) Rhetoricæ: Arrisit tibi *climax ille* apud Scal. exer. 252. (pro) illa: & Bellam hi versus gradationem seu κλίμακα continent, qui hoc modo soluta oratione expressus fiet conspectior, (pro) quæ expressa, apud Nath. Chyt. in 7. Psal. Buch. notentur, non in usum trahantur. Hæc enim obrepserunt credo illis imprudentibus.

Huc refero furfur candidum. Scalig. exer. 174.

Sed tempus est ut hanc quæstionem concludam: ut summa: sicut inquit Scalig. exer. 51. ope conandum est, ut orationis veritate, gravitate, splendore, boni doctique viri nomen sustineamus; Sic inquam ego, summa ope conandum est, ut sermonis puritate Philosophus Grammatici non sustineat.

XVI.

Nuncium *an substantivum generis neutrius?*

EGo quod sciam apud eruditi seculi oratores *Nuncium* genere neutro seu facto substantivè non legi, sicut ludicrum (ut cùm dicitur à Latinis puerile ludicrum Kinderspiel) A Latinis *Nuncius* etiam de fœminis & rebus intelligitur. Itaque rectè dicitur; Oratio est animi nostri interpres & nun-

nuncius: Cæteroquin nuncia tantum hic diceretur. Gravem, tristem, vel exoptatum nuncium alicui afferre, trawrige/oder fröliche Bottschafft/ apud Cicer. Poetæ veteres ut Catullus & Tibullus. Nuncium substantivè gener. neut. pro re nunciata usurparunt, ut nova nuncia ad aures referre. Porro puto etiam rectè dici *Nuncium* gen. neutr. adjectivè; ut; Signum seu prodigium iræ Dei nuncium.

XVII.

An rectè dicatur: Videtur mihi, generationem fieri in momento?

T*Anta vis est distinctionis seu interpunctionis, ut neglecta pariat solœcismum.* Exempli causa, solœcismus est, Mihi videtur quietem esse motus causam. At probum est hoc Scalig. exerc. *11.* sect. *2.* Nam mihi contra videtur, quietem esse motus causam, non ut tu vis, quietis motum; *Id est*, ego contra sentio, ita mihi videtur: quietem, &c. *id est*, equidem ita censeo. Solœcum est, videtur tibi nullam fieri generationem. Latinum contra est hoc Scalig. exer. *6.* Videtur tibi, præter animæ vim nullam fieri generationem; *id est*, sententia tua est, seu tu statuis, seu statuitur à te. Scal. exerc. *302.* sect. *11.* Mihi contra videtur varietas sui ipsius secum afferre commendationem. Sic Seneca regnante Nerone claruisse traditur: &, Senecam regnante Nerone claruisse, traditur.

XIIX.

An dicatur Latinè, Sex septem dies?

A Grammaticulorum ferula meritò subducimus Scaligerum, cum inquit exer. *294.* sect. 4. Sexseptem dieculas ibi Galenus cùm egisset, non potuit illas videre. Est enim exemplum Asyndeti, locutio elliptica. Ter. in Eunuch.

Illum liquet mihi dejerare mensibus
Sex septem prorsus non vidisse proximis. *Iamb. senaril.*

Ubi si legas sex vel *septem*, versus non constabit, syllaba enim redundabit. Sic dicimus: quinquaginta plus minus annos natus sum, *id est*, plus vel minus, hoc est, circiter Scal. 7. Poetices, sex septem interpretatur sex, imo septem: ac est, inquit, figura augens per correctionem.

XIX.

An venum sit supinum à Veneo?

VErbo *Veneo* tribuitur supinum anamalon *Venum*, quod habeat supini significationem, pro, venitum, præteritum enim est venivi & venii. Sed quia nullum verbum compositum deflexum & compositum è supino suo & alio verbo reperitur; Veneo autem compositum sit ex venum abjecto, um & Eo: Cogita an dicendum sit venum esse adverbium, ut pessum: (Zu Grunde unter die Füsse/ κάτω) quod tamen usurpetur loco supini verbi Veneo. Dicitur enim dare venum & venundare, *id est*, vendere. Ire venum, *id est*, venire seu venale esse, seu vendi, exponere venum, *id est*, vendendum (sic etiam dicitur pessum dare & pessundare, ire & abire pessum.)

XX.

An Dido *sit contractum à Divido?*

VInum *dicitur* in membra corporis, *hoc est*, distribuitur.

Totum tua didita fama per orbem, *id est*, divulgata, dispersa. Verbum Poeticum est. Quidam deducunt à Divido, hoc argumento, quod idem significet, quod divido, sed hoc argumentum meo judicio sic revincitur. 1. ut Dedo est à de & do: sic *dido* à di & do. 2. si *Dido* esset a divido, præteritum ejus esset disi (à disi) At ut verbi dedo præteritum est *dedidi*, Sic verbi *didi* præteritum est *dididi* Ergo. Sed quid ego de his, quæ vel infimi subsellii Grammaticis nota sunt?

An

XXI.

An solæcum sit Adversor cum accusativo?

ADversor adversaris, *hoc est*, obsisto, repugno, contrarius sum, regit dativum, sicut adjectivum adversus: Cæsar Ciceroni: Omnia secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur. Cic. in orator. Quis porro Isocrati est adversatus infensius?

Tacitus ter verbo Adversor addidit accusativum lib. 1. Annal. Sua facinora adversari Deos lamentabatur, libr. 17. ambitionem scriptoris facile adverseris lib eodem. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam Deos infaustam adoptionem adversantes.

Hoc etsi non puto imitandum, tamen rationem in medium venire volo, cur ita locutus sit: Ea hæc est. Dicitur adversus aliquem esse, adversus aliquem ire, Cic. in de offic. Hostis legitimus adversus quem totum jus feciale est, *id est*, contra. Hoc *Adversus esse*, Tacitus extulit per unum verbum Adversari. Itaque adversari hanc rem est esse adversus hanc rem. Sic solœcismus apparens ratione grammatica excusatur.

XXII.

An recte dicatur: Hactenus ita credidi, *pro*, ad hoc usq; tempus? Hactenus, *id est*, in hunc usq; diem metus me deterruit? *Affirmatur*.

LEve hoc videtur Itaque responsu breve. *Hactenus* & *adhuc* significationem habent continuationis. Sed differunt in eo, quod *hactenus* de re vel loco proprie usurpatur. Est enim idem quod adhunc usq; locum, vel ad hanc usque rem. *Adhuc* (ut etiam usq; adhuc) vero utimur de tempore, ut: Adhuc ita credidi, Ich habe also geglaubt biß auff diese Zeit. Etsi nonnunquam etiam accipitur pro *hactenus*, seu *hucusq;*.

tus, a, um. Adject. pro, conjugalis: ut jure marito apud Poët. pecunia marita dotalis apud Plautum: At Maritus (uxoris vir marita mulier nupta) substantivè. Sic viduus,a,um Adject.pro desertus, privatus, orbatus, ut viduus lectus, at viduus (vir uxore orbatus) vidua (mulier viro orbata) substantivè.

Faber pro δημιουργὸς substant. immob. sed pro Fabrilis adiect. a, um. Ostendit id Plautinum seu priscum adverbium Fabrè pro affabrè (ἐντέχνως) quod hodie usitatius: & versiculus Ovidianus, *Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis*. Ars fabra Græcis est τεκτονικὴ. A Faber,a,um,non à substantivo Faber, est superlativus Apulejanus *Faberrimus*. Annulus in læva aureus signaculo faberrimo. Comparatio enim substantivis non accidit. Sic audacter quidam lingua politissimus vir *Sacrilegissimus* dixit, ab Adjectivo sacrilegus,a, um (ut sacrilegum bellum Cic. Orthogonius pro recto angulo substant.) Orthogonius pro constans rectis angulis,adject ab artificibus accipitur.

Ovid. Metamorph 2. Floridorū.

Nota ejusmodi nomina quæ modò substantivè, modò adjectivè sumuntur vocari *Media*. Ita verba quoque vocari possunt, quæ modò activè, modò passivè vel absolutè significant, ut: vertit pro mutat, & vertitur. Sic reciprocat, præcipitat, suppeditat, convertit.

XIII.

An omnis dictio composita *sit composita ex voce & voce: seu ut significantius loquar, ex duabus minimum vocibus?* Negatur.

Quædam dictiones sunt compositæ ex voce una vel pluribus; & syllabica adjectione, ut *Ejusmodi* compositum est ex duabus vocibus & adjectione syllabica Ce. Non itaque dici potest omnem

omnem vocem compositam esse compositam ex duabus saltem vocibus: Antecedens probo exemplis: Magistrum volunt dictum a *Magis*, quod cæteris magis possit, vel quod magis quam cæteri diligentiam & solicitudinem rebus quibus præest, debeat: *Ter.* quod adjicitur est extensio seu adjectio syllabica, ut loquuntur Grammatici: Sic *Meditullium* est à voce (medium) Imo significat medium: & Tullium in ea nihil significat. Sic Cicero in Topicis, Tullium in voce Meditullium est extensio vocis nihil significans.

Hic quæri potest, an perpetuum sit, adjectionem syllabicam nihil significare? Respon. Extra compositionem nihil significat, sed in compositione aliquando aliquid significat, ut *pte* extra compositionem nihil significant, sed in compositione verbi gratia, cum dicitur *Meapte*, idem est, quod Ipsius seu Propria, ut (apud Terentium) Meapte causa lætor, id est, mea ipsius. Sic *Tute*, pro, tu ipse, *Egomet*, pro, ego ipse. Non est autem otiosa distinctio inter vocem & syllabicam adjectionem, id quod unico, cùm brevitati studeam, exemplo declarabo. *Ita* cum componitur cum syllabica adjectione *Que*, est conjunctio causalis, idemque significat quod ergo, & habet accentum in prima syllaba, (itaque.) Cum autem componitur cum voce *que*, id est, *et*, idemque significat i quod *Et sic*, accentum habet in penultima (Itaque) Verùm de exemplo *Magistri* forte liticulam mihi moveris, *Magister* enim est à verbo Magistro, as, are, quod festo est moderari, regere, temperare. Itaque syllabica adjectio hic locum non habet. Respon. Ut sequester non est ortum à verbo sequestro, sed hoc ab illo: minister non est à verbo ministro, sed ministro est à minister: Sic Magister non existit à magistro, sed magistro à magister.

habere possunt pluralem numerum, cum vel plures eodem nomine fuerint: ut duo Decii, trecenti & sex Fabii. Cicero de Nat. Deor. Joves tres numerant ii qui Theologi numerantur. Duo Eleazari celebrantur, unus qui occidit Elephantum, &c. cap. 6. lib. 1. Machab. Alter sacerdos, &c. lib. 2. cap. 6. Vel *similitudo* significatur; ut, *Sint Mecœnates non deerunt Flacce Marones*, id est, similes Mecœnatibus & Maronibus. Hic propria induunt naturam appellativorum. 3. *Usitatissimus* est pluralis in cognominibus seu nominibus gentilitiis, *hoc est*, nominibus familiæ & cognationis, qualia sunt Cicero, Gracchus, Maro, Scipio, Fabius, Cato. Nam cognomen cùm de pluribus dici possit, siquidem cognationis commune est, abusivè dici proprium εὔλογον est, *id est*, consentaneum. Nomen verò quod suum cuique est, ut Paulus, verè proprium est. Quod hoc pluribus tribuitur, fit ex accidenti. Vide si collibitum fuerit, Linacrum.

Nota hîc obiter, sacra *Biblia, orum* dici (non Biblia, æ) propter multitudinem in iis historiarum, dogmatum, præceptorum. Athenæ, arum, quia urbs est significans gentem. Saturnalia, Comitia, Nundinæ propter multas diei festi solemnitates & ritus.

XV.

An Philosopho *liceat esse* barbaro, aut mixobarbaro?

A Philosopho, si afferat ad ea, de quibus agit, eloquentiam, non aspernor: si non habeat, non admodum flagitem, inquit ille. Sed ego sermonis puritatem ab eo requiro. Vitabis igitur hæc & similia, quæ in barbaris & mixobarbaris [illegible] sive latinè scientibus occurrant, ne in [illegible] vel semilatinorum turbam conjiciare. Admoniti ad lectionem, (pro) excitati. *Cicer. de Finibus.*

Hoc nunquam recipit fallentiam (pro) nunquam fallit, nullam admittit exceptionem.

Ne paralogizeris, pro, ne decipiaris.

Docilimus, pro, maximè docilis: Imbecillimus, pro, valde imbecillus.

De accidentali saltem non essentiali specie loquitur, pro, Tantùm.

Ad Metaphysicum saltem doctrina Categoriarum pertinet, pro, solum. *Saltem enim Diminutiva: Tantum, Duntaxat & Solùm simpliciter exclusiva (quas Barbari juris-consulti Taxativas vocant) particulæ sunt.* Ad minus, pro, saltem.

Incompotabilia esse, pro, simul esse non posse, & manifestam repugnantiam habere: seu se ipsam perimere.

Exemplificari, pro, aliquid pro exemplo afferre.

Diversificare, pro, diversum facere,

Dolorare, pro dolore afficere.

Validare, pro, validum facere.

Ratificare, pro, ratum facere.

Hęc quàm brevissimè annotasse sufficiant, pro, sufficiat.

Hæc est misericors sua voluntas, pro, ejus.

Furuerunt, pro, insaniverunt.

Pro mea parte, pro, Quod ad me attinet.

Probum interim est (pro mea parte) si accipiatur pro eo, quod est, pro meis viribus, pro mea virili: quod in me est: So viel ich kan und mag.

Quantum meam personam attingit, pro, Quod ad me attinet, So viel mich anlangen thut.

In Typographia, pro, in Typographea; In der Officin.

Contra Cæsarem nullum unquam fœdus icere, nec icientibus consentire, pro, icentibus.

De hoc affirmando facerem mihi conscientiam: pro, Hoc affirmare mihi religio est.

Ut

Ut videre est ex libro suo, pro, libro ejus.

Hoc est contra omnes Grammaticas, pro, contra omnes libros Grammaticos: contra omnes auctores Grammaticorum (scilicet preceptorum seu παραγγελμάτων.)

Complexio, pro, constitutione.

Quod apud Scaligerum genere & doctrina illustrem virum exer. 11. legitur: Incus autem a malleo impulsus, pro impulsa, id rejicies ad ἀδεπτότης, *hoc est*, culpas exscriptoris, vel typorũ collectoris.

Vota in puteum ciciderunt, pro, ad irritum ceciderunt.

Aurũmne est aut orichalcum, pro, an orichalcum, conjunct. disjunctiva, pro dubitativa. *Bonavent.*

Quamvis illæ naturæ, quantum est de se, sint ad invicem disparatæ, pro, quamvis illæ naturæ per se sint inter se disparatæ.

Vapulatum iri, pro, vapulatum ire.

Venum iri, pro, venum ire, (*id est*, vendi, ut venundare est vendere.)

Degradatus, pro, exauguratus, exauctoratus, dignitate sua cum ignominia spoliatus, exutus.

Apostatare a fide, pro, ad hæreticorum castra transfugere.

Paupertatulam alicujus absumere, pro, reculas alicujus.

Perperè, pro, perperam.

Quodvis durum pati queunt, pro, quidvis durum.

Martyrizari, pro, sacra martyrii corona donari, glorioso martyrio affici.

Mille artifex, pro, mille artium callens, mille fraudum opifex seu architectus.

Aliquot centeni milites, pro, aliquoties centeni.

Mentale (pro) tacito,

Amed.

Arrestare, pro, injicere manus in aliquem, in bona, in merces alicujus, mandato judicis inhibere, & Arrestum (pro) manus injectio. *Aliquando tamen puri etiam Philosophi barbaris utuntur cum parenthetica mollitione, vel cum petitione veniæ.* Scali. exer.407. sect.9. De alietate & identitate. Quibus verbis in re tam ardua æquè necessariis ut mihi liceat pace latinitatis; novas etiam, cùm opus est, voces faciunt. In re typographica recentiores dicunt *Impressor*, quia novæ rei nova vocis significatio convenit. Rectè etiam distinguunt errata artificum & doctorum à virtutibus, ut *Climax* generis fœminini est. Rhetorico igitur Climaci apud Petrum Ramum & Talæum in Logic. (pro) Rhetoricæ: Arrisit tibi *climax ille* apud Scal. exer. 252. (pro) illa: & Bellam hi versus gradationem seu κλίμακα continent, qui hoc modo soluta oratione expressus fiet conspectior, (pro) quæ expressa, apud Nath. Chyt. in 7. Psal. Buch. notentur, non in usum trahantur. Hæc enim obrepserunt credo illis imprudentibus.

Huc refero furfur candidum. Scalig. exer. 174.

Sed tempus est ut hanc quæstionem concludam: ut summa: sicut inquit Scalig. exer. 51. ope conandum est, ut orationis veritate, gravitate, splendore, boni doctique viri nomen sustineamus; Sic inquam ego, summa ope conandum est, ut sermonis puritate Philosophus Grammatici non sustineat.

XVI.

Nuncium *an substantivum generis neutrius*?

EGo quod sciam apud eruditi seculi oratores *Nuncium* genere neutro seu ficto substantivè non legi, sicut ludicrum (ut cùm dicitur à Latinis puerile ludicrum Kinderspiel) A Latinis *Nuncius* etiam de fœminis & rebus intelligitur. Itaque rectè dicitur; Oratio est animi nostri interpres & nun-

nuncius: Cæteroquin nuncia tantum hic diceretur. Gravem, tristem, vel exoptatum nuncium alicui afferre, trawrige/oder frőliche Bottschafft/ apud Cicer. Poetæ veteres ut Catullus & Tibullus. Nuncium substantivè gener. neut. pro re nunciata usurparunt, ut nova nuncia ad aures referre. Porro puto etiam rectè dici *Nuncium* gen. neutr. adjectivè, ut; Signum seu prodigium iræ Dei nuncium.

XVII.

An rectè dicatur: Videtur mihi, generationem fieri in momento?

T*Anta vis est distinctionis seu interpunctionis, ut neglecta pariat solœcismum.* Exempli causa, solœcismus est, Mihi videtur quietem esse motus causam. At probum est hoc Scalig. exerc. *11.* sect. *2.* Nam mihi contra videtur, quietem esse motus causam, non ut tu vis, quietis motum; *Id est*, ego contra sentio, ita mihi videtur: quietem, &c. *id est*, equidem ita censeo. Solœcum est, videtur tibi nullam fieri generationem. Latinum contra est hoc Scalig. exer. *6.* Videtur tibi, præter animæ vim nullam fieri generationem; *id est*, sententia tua est, seu tu statuis, seu statuitur à te. Scal. exerc. *302.* sect. *11.* Mihi contra videtur varietas sui ipsius secum afferre commendationem. Sic Seneca regnante Nerone claruisse traditur: &, Senecam regnante Nerone claruisse, traditur.

XIIX.

An dicatur Latinè, Sex septem dies?

A Grammaticulorum ferula meritò subducimus Scaligerum, cum inquit exer. *194.* sect. 4. Sexseptem dieculas ibi Galenus cùm egisset, non potuit illas videre. Est enim exemplum Asyndeti, locutio elliptica. Ter. in Eunuch.

Illum liquet mihi dejerare mensibus *Iamb.*
Sex septem prorsus non vidisse proximis. *senarii.*

Ubi

XXI.

An solœcum sit Adversor cum accusativo?

ADversor adversaris, *hoc est*, obsisto, repugno, contrarius sum, regit dativum, sicut adjectivum adversus: Cæsar Ciceroni: Omnia secundissima nobis, adversissima illis accidisse videntur. Cic. in orator. Quis porro Isocrati est adversatus infensius?

Tacitus ter verbo Adversor addidit accusativum lib. 1. Annal. Sua facinora adversari Deos lamentabatur; libr. 17. ambitionem scriptoris facile adverseris lib eodem. Vidistis, commilitones, notabili tempestate etiam Deos infaustam adoptionem adversantes.

Hoc etsi non puto imitandum, tamen rationem in medium venire volo, cur ita locutus sit: Ea hæc est. Dicitur adversus aliquem esse, adversus aliquem ire, Cic. in de offic. Hostis legitimus adversus quem totum jus feciale est, *id est*, contra. Hoc *Adversus esse*, Tacitus extulit per unum verbum Adversari. Itaque adversari hanc rem est esse adversus hanc rem. Sic solœcismus apparens ratione grammatica excusatur.

XXII.

An recte dicatur: Hactenus ita credidi, *pro*, ad hoc usq; tempus? Hactenus, *id est*, in hunc usq; diem metus me deterruit? *Affirmatur.*

LEve hoc videtur Itaque responsu breve. *Hactenus* & *adhuc* significationem habent continuationis. Sed differunt in eo, quod *hactenus* de re vel loco propriè usurpatur. Est enim idem quod adhunc usq; locum, vel ad hanc usque rem. *Adhuc* (ut etiam usq; adhuc) verò utimur de tempore, ut: Adhuc ita credidi, Ich habe also geglaubt biß auff diese Zeit. Etsi nonnunquam etiam accipitur pro *hactenus*, seu *hucusq;*.

Per

Per Enallagen interim significationis Hactenus, licet cum doctissimis, Scaligero, Erasmo Roterodamo, & aliis etiam de Tempore usurpare: Sicut Oratores & poetæ (Nunc) etiam abutuntur de loco, quæ exemplis sunt demonstranda, Erasm. in præfatione Adag. præsertim vetustis auctoribus, qui hactenus delituerunt, in lucem emergentibus Oldendorpius: initio progymnasmatum fori. Multi hactenus ex professo susceperunt provinciam scribendi de ordine judiciario Leunclavius: Nunquam hactenus edita, Biß auff diesen Tag. Scal exer. 243. sect. 3. Quare mortalium neminem ingredi ausum hactenus. Oratores & poetę ita loquuntur; Hactenus, &c. Nunc Cicero etiam utitur. Hactenus pro Iccirco, & pro eatenus, ut; Hactenus tibi assentior, *id est*, eatenus.

XXIII.

An Licet *(pro) esto vel quamvis sit verbum?*

Licet (pro) quamvis conjunctionibus annumeratur concessivis a quibusdam, à Ramo discretivis; quæ aliis sunt adversativæ. Pro (esto) concedentis quidam volunt esse adverbium. Virg. 6. Æn. licet ingens janitor antro terreat umbras.

Frischlino & Linacro magis verbum est, quàm conjunctio. Facit cum eo quod etiam licebit, pro, Quamvis ponitur à Martiale lib. 7.

Tu Cæsar vel nocte veni, sint astra licebit,
Non deerit populo te veniente dies.

Ubi Linacer ait verbum esse positum loco conjunctionis per Antimeriam seu Enallagen partis. lib. 2. pag. 99. Aliorum sententia sic est: *Licet* significatione modò est conjunctio, modò verbum. Verbum est cùm significat ἔξεστι, δυνατόν est, conceditur, permittitur, fas est, facile est, esto (Esto enim in significatione concedendi non est adverbium sed verbum, ut; fac, finge, pone, vince) ut; dicas li-

eas licet. Conjunctio verò est proleptica seu occupativa, cum significat: Quamvis. Si enim hic esset verbum, Ellipsis esset particulæ, ut cùm dicitur: Licet quidem ita sentiam; non tamen ea sententia est recipienda: vel quantumvis licet excellas, sicut loquitur Cicero in Dialogo de amicitia.

Et si Licet, pro, quamvis esset verbum, adderetur ei semper conjunctivus. At additur aliquando ei nomen. Dicitur enim: Ut hoc poëtæ παρέργως explicem, licet profana sacris miscens. Ergo, &c. *Petr. Ramus* libr. 14. scholarum Grammaticarum: Priscianum tantum licet, & tam singularem Latinæ linguæ Grammaticum, tamen hîc logicâ non satis instructum perspicimus.

XXIV.

An procul *sit aliquando præpositio?*

SICUT longè, ita etiam *procul* adverbium esse ἀναμφιβόλως asseritur, ut dicimus: longe esse ab eo, sic procul ab eo, ut propius à terra ferri: sic longè à terra, ut propius ab igne stare: sic & procul ab igne: propius autem ferri; & propius ab igne stare, & longe à terra ferri dicitur per regulam de adverbiis: Ergo & procul ferri, Et: Cœlestia procul esse à nostra cognitione, quod apud Ciceronem est, & quod est in sæpè laudato proverbio: *Procul à Jove & fulmine.*

Verum objiciunt quidam, quod apud Columellam est lib. *1.* in præfatione: *Illud procul vero est, id est,* à veritate abhorrens, & apud Suetonium in Claudiano Cæsare: procul dubio, *id est*, sine dubio, certè. Apud alium deniq; patria procul. Hinc enim putant confici, procul aliquando esse Præpositionem.

Sed non vident hi, quod certe videre debebant, in talibus exemplis esse Ellipsin præpositionis A, quæ manifesta est in vulgato versiculo:

Quod procul est oculis, procul est à limine cordis.

XXV.

Utrum Mecum, Tecum, Secum, *sint Etymologiæ an Syntaxeos exempla?*

PLerique Grammatici docent M*ecum*, *Tecum*, *Nobiscum*, *&c.* esse adverbia composita personalia. Sunt qui dicunt esse pronomina ablativi casus composita (ut hujusmodi & cujusmodi, quæ sunt è genitivis duobus pronominis & nominis composita.) Compositionē vulgata scriptura stabilit. Scribuntur enim conjunctim non divisim, ut hactenus, quatenus, eatenus. Sed alii volunt esse dictiones duas non compositas sed transpositas, & præpositionē ibi postponi casui per anastrophen. Cum iis facit, ꝙ dicitur etiam *qui cum* (pro) cum quo, & *quibus cum* (pro) cum quibus. Hoc autem interest inter hæc & illa. Dicitur *nobiscum, tecum*, non cum nobis, cum te. At utrunque dicitur. Cum quo & Quicum seu Quocū, Quod enim quidam doctissimus vir scripsit; Cum nobis omnibus, cum nobis natæ, cum se ipsa, cum seipso; id non ausim imitari: Pro illis dico nobiscum, nobiscum omnibus, secum ipsa, secum ipse. Cicer. Vanè secum ipse disputat. An etiam extent uspiam apud probatos auctores (Cum omnib. nobis, cum omnib. vobis) quæris? Ego non dubito, rectè ita dici: *Gratia Domini nostri* Jesu *Christi sit cum omnibus vobis*, Amen: Ad Philip. ult. *Deus sit cum omnibus vobis*. Ad Rom. ult. Porrò (nobiscum omnibus, vobiscum omnibus) dici mihi videtur, ut quibus cum omnibus, ex Canone: Prępositiones secundi ordinis adsciscunt ablativum. Sunt enim tres *hic* voces.

XXVI.

Proh *an regat accusativum?*

COgitatione præcipio, non placiturum omnibus quod dicam: Dicam tamen. Grammatici docent

docent hîc *proh Deûm atq; hominum fidem*, Proh regere accusativum. At ego suspicor esse locutionem Ellipticam, seu præcisam: *Proh Deum atq; hominum fidem, scil* imploro, vel obtestor, Cicero his verbis utitur. Sic dicitur: Fidem vestram ô divi.

XXVII

An conjunctionum disjunctiones *sint referendæ ad syntaxin, & Annon,* disjunctiva particula *sit potius disjunctio quàm Conjunctio?*

Conjunctionum *Disjunctiones* in syntaxi tradendas nonnulli opinātur, eò quòd conjunctiones orationis multiplicis partes conjungant. Ego quidem syntacticum esse, duas pluresve sententias conjungere, non nego. Sed vim ac potestatem conjungendi, quę in conjunctionibus est non esse Etymologicam, id vero dicere non audeo. Si quæras: Quomodo disjunctiva *Aut* sit conjunctio, cum disjungat, & quomodo stare possit definitio Conjunctionis: *Vox quæ orationes inter se conjungit?* Respondeo, Disjunctionem verba contextumque orationis conjungere, etsi res ipsas segreget, & sensum disjungat.

XXVIII.

Participia in Tus, Sus, Xus, *an tempus adsignificent præteritum?*

Amatus nō magis adsignificare tempus quam nomen Carus, est & quidem is non è fece populi qui affirmat, ut, amatus vel dilectus mihi, idem sit quod Carus mihi. Etsi non negem, Amatus & similia nonnunquam pro nominibus nullam adsignificationem temporis habentibus accipi, nonnunq̄ tamen adsignificare tempus, quod participio convenit, non dixerim. Observitavi enim hęc exempla, & longè his plura in Cicerone:

Observata sunt hæc tempore immenso.

Quæ observata sunt in usu tractatione dicendi.

Cùm ſemper ita *habitum obſervatumq́; ſit.*
Tribus officiis ab aliquo *obſervatus.*
Ab iisdem *dilecti* ſumus.

Sic: *Flagellatus* cruci affigitur, *id eſt,* poſtquam flagellis cæſus eſt.

Mæſtus & iratus abſolutè nomina ſunt: ut, eſt mihi iratior, eſt mihi iratiſſimus, Cic. Eſt mœſtus, *id eſt,* triſtis: Sic nomen eſt *Status,* ut ſtata tempora; pro fixis & certis: *ſtata ſacra, id eſt,* firma, ſtabilia, immobilia, non indicta. *Stati* ſiderum curſus, *id eſt,* firmi. Cicero. *Quædam interdum ut ſimpliciter nomina, interdum ut participia accipiuntur,* ut: Homo conſideratus apud Cicer. pro prudente, ſeu eo qui agenda conſiderat. Apud eundem, *Res conſiderata,* pro meditata & proviſa, ut: Nihil feci non diu conſideratum ac multo antè meditatum, de Aruſp. reſponſ. *Conſultus* participium ſignificat eum à quo conſilium petitum eſt, ut: Nihil de ejus morte populus conſultus Cic. pro Mil. Nomen ſignificat prudentem ſapientem prudentiæ ſapientiævé plenum. Liv. lib. *10.* Callidos ſolerteſq; Juris atq; eloquentiæ conſultos. Sic *Inconſultus* Participialiter, cùm dicitur, Inconſulto Domino. Nominaliter cùm dico, Homo inconſultus & temerarius, *id eſt,* inconſideratus, nullius conſilii. Nec tamen *Inconſultus*, pro eo à quo nemo conſilium petiit, propriè eſt participium. Etſi enim ibi ſignificationem habeat participii, nō tamen habet θεματικὸν ſeu originem verbi. Nemo n. dicit *Inconſulo.*

Diſcretus apud veteres ſemper participium paſſivum eſt: ut, diſcreta ſemina. Sed recentiores jureconſulti & Theologi accipiunt activè virū diſcretum, pro viro prudente, qui qualitates, perſonarum ac rerum momenta conſiderat & diſcernit. Vide Vall. Ein beſcheydener Mann / & diſcretionem pro prudentia.

Sic

Sic veteres discretè & discretim, pro, separatim & distinctè, non, pro, sapienter & providè, ut quidam è recentioribus. Nos loquamur potiùs cum veteribus. *Animans* particip. est quod animat, sed Nom. idem est, quod animal. vel ut placet Senecę, animatum. Memorabilis est locus Scalig. exer. 216. Usus tyrannide corrupta est vocabuli (Animans) ratio. Est enim animans activo flexu. Quid igitur? Animántne animalia, non potiùs animantur? Cic. de Natur. Deor. mundum esse Deum animantem, compotem rationis.

XXIX.

An rectè dicatur Syllaba Monogramma, Polygramma? Negatur.

BErnhardus Salignacus syllabam dividit in *monogrammam* & *polygrammam*: Ac Monogramma, inquit, est quæ constat unica litera, ut α in ἄκύω. Polygramma est quæ multis literis constat. Res vera est: sed vocabula ista è græco deflexa rejicio, & pro iis dico: Syllaba unius literæ, Syllaba plurium literarum, &, si omninò vis græcè, syllaba monogrammatos, *id est*, quæ exprimi potest una litera; syllaba Polygrammatos. *Monogrammus* enim seu Μονόγραμμος non est è γράμμα, *id est*, litera, sed à γραμμὴ, *id est*, linea & μονόγραμμος non est idem, quod habens unam literam, sed quod delineatus tantùm non additis reliquis, quæ justam picturam absolvunt seu tenuiter pictus. Ac dicitur de macilento, tenui seu extenuato & deformi (Welcher ist wie ein gedörrete Birn / ein Alräunichen / vel otioso. Cicer. Epicurus monogrammos Deos & nihil agentes commentus est. Müssige Oelgötzen / de Nat. Deor. *Nota:* Syllabam unius literæ dici etiam μονόφθογγον: quæ unicam vocalem habet, cui opponitur. Δίφθογγος συλλαβή,

 sylla-

syllaba duarum vocalium. Ita autem opponitur ei diphthongus, ut diphthongus subjiciatur syllabæ plurium literarum puræ, ut species generi, non etiam mistæ.

Tabella:

Syllaba { literæ unius μονόφθογγος. / literarum plurium { Pura *Diphthongus*. / Mista ex vocal. & consonan. / Græcè μικτή. } }

XXX.

An dici possit duæ Grammaticæ?

SIcut dicitur, Democritus ait innumerabiles esse mundos: concursu atomorum somniat alibi alios mundos eodem tempore existere. Petulantia humanorum ingeniorum ludens finxit plures mundos. Si plures essent mundi, &c. sexcenta millia mundorum Cicer in Acad. & de Natura Deor. & Mel. Sic P. Ramus lib. 4. Schol. Mathem. pag. *117.* dixit: Non movemur partitione Platonis. Arithmeticam aliam vulgi & practicam, aliam philosophorum & theoreticam facientis. Hac enim logica feceris duas Grammaticas, aliam practicam, aliam theoreticam Intelliguntur hic duæ disciplinæ seu artes. Memineris interim non esse dicendum: Habeo duas Grammaticas: Unam Despauterii, alteram Rami.

XXXI.

An Derivatum *semper servet sensum suæ radicis, fontis, originis*?

DE*rivativum* non semper retinere sensum sui primitivi, in verbis cum sit evidentius, demonstratur particula Adverbiali *Satis*, quæ fere idem est, quod abunde, ut: Hæc dixisse satis sit, *id est*, sufficiat. At *Satius* non idem est, quod magis abun-

abundè: Semper enim significat *Melius*, ut: Satiùs est recurrere quam malè currere (Est regendi satius quàm malè cœpta sequi) absolutum igitur *satius* adverbium Quantitatis: Satiùs verò qualitatis. Volunt & quidam à *Secus, id est*, aliter, esse Secius, *id est*, tardius vel minus. Quod si quis approbet, causam haud dicam [*hoc est*, per me licet, non repugnabo.]

XXXII.

An aliquando vox in compositione sit alius casus, *quam extra compositionem?*

Fieri potest, ut vox in compositione sit alius casus, quam extra compositionem: ut, *Jovis* genitivi casus est, cùm dicit Cicero Stella Jovis: At *Vejovis* (noxium numen) nominativi casus est. Olim enim nominativus fuit Jovis, pro, Jupiter. Dicitur autem à Cicerone de Natura Deor. Stella Jovis, pro, Stella Jupiter: seu Stella quæ habet nomen Jovis, nisi quod ibi Jovis sit nominativi casus, sed quod Genitivus ponatur pro Nominativo, per Antiptosin, ut: *Urbs Romæ*, pro, urbs Roma. Itaque cùm quæro ex te; *Jovis stella ex qua regula dicatur latina?* Non respondebis substantivi rectionē; quia id regit Genitivum, sed Anomaliam appositionis seu convenientiæ substantivi cum substantivo.

XXXIII.

An omnia verba biformia seu plena sint [*hoc est, in o & or desinant*] *quæ accusativum personæ post se regunt?* Negatur.

Dignum sane de quo quæratur. Nam cùm Amo, Colo, Obsecro, Timeo accusativus personæ sequatur (amo te, colo te. *s. Verrina Cic.* pertimescebant Siculi Siculos: *In Catil.* Indocti senes extimescēt) dicitur etiam passivè amor à te, color à te, timeor à te, pertimescitur à te. Sed (hoc me latet) dicitur: At nō dicitur, hoc à me latetur. Hoc

te decet dicitur. At non: Hoc à te decetur. *Epistola tua me delectat dicitur. At non legitur: Delector à tua epistola, sed Delector tua epist.* Bembus, Damiano, Lusitano: D*electatus sum magnopere literis tuis. Ego te oblecto: lectulus meus me oblectat*, Ciceroniana sunt. *Sed ego à te oblector, nuspiam legi.* Dicitur venuste: *Hujus rei capit me oblivio; sed non dicitur: Ab oblivione hujus rei captus sum.* Incidit hîc quæstio seu dubium: Metuo te dicitur: Dicitur ne etiam metuor à te. Causa dubitationis est, quod Calepinus *Metuo* verbum neutrum facit. Si hoc est, metuor non dicetur. Sed non constat sibi Calepinus. Nam in voce Metus passivo bis utitur his verbis: Quo *metuor* ab aliis: Quo Pompejus *metuebatur*. Et *Metuendus* usurpat Cicero de respons. Aruspicum: Est autem *metuendus* à metuor, ut extimescendus (3 belli Gall. apud Cæsarem) ab extimescor, flendus à fleor, pro, defleor (quanquam cum dolendus dicatur, doleor tamē non dicitur.) DISCE HINC: Analogicè & purè loqui non prorsus esse idem: locutionem puritatis laudem non sustinere, cùm analogia destituitur usu rectè loquentium: Analogiam cedere usui. Voco autem *analogiam quæ ex comparatione similium regulam facit.*

XXXIV.

Cur apud Veteres reperitur Tres liberi, *pro, terni. Et an dicendum:* Tres literæ pro tribus epistolis?

REgula est: D*istributiva numeralia addi nominibus pluralis numeri tantum*: ut Binæ literæ, non duæ. Non est itaq; imitandus è recentioribus *Bembus* aliquoties in epistolis suis, tres literas, pro tres epistolas, vel ternas literas adhibens. Ad Christophorum Longolium: Respondeo ad tres tuas suavissimas atque amantissimas literas. Ad Angelum Gabrielem tribus tuis literis brevi respondebo. *Duæ etiam nuptiæ Frischlini* rectè sunt reprehensæ

hensæ à Crusio. Cur ergo tres liberi pro terni liberi apud Livium?

Resp. hoc inde est, quod olim in usu erat nominativus singularis *liber* pro filio. Exemplum est apud *Catullum in Argonaut*: Porro liberorum appellatione unus etiam filius & una filia intelligitur. Non est sine liberis cui unus filius vel una filia est. *Cujus in lege: Non est, ff. de Verb. signif.* Qui illum decreverunt dignum suos cui liberos cõmitterent. Terent. in Hecyr. En cui tuos liberos committas. Cicer. de uno agens. Idem 1. Philip. Pax per Antonium & liberos ejus cum civibus confirmata. De uno se locutũ infrà apertè Cicero declarat.

Huc aliquid facere videtur locus Gellii ex Asellione.

Gracchus orare cœpit, ut se defenderent liberosq; suos.

Eum quem virilis sexus tum in tempore habebat, produci jussit. Positum hîc est *liberos*, pro filium, & *eum*, pro, eos per Synthesin seu ὑπόνοιαν, quod accusativus ad intellectum non ad vocem referatur. Sed dici in singulari numero liberum, pro, filium, ex hoc loco probari non potest. Simile est apud Ciceronem exemplum, in quo oratio à literis ad Epistolam traducitur. Adverterunt etiam Virgilii interpretes 10. Æneid. *Gnatis* pro uno tantùm adhibitum: *Gnatis parce tuis.* Vide Gell. lib. 2. cap. 13. *Exemplum apparentis solœcismi.*

XXXV.

An Amores etiam in honestis rebus latini utantur? Affirmatur.

A*Mores* pro Venereo amore accipi notum est. Sed traduci etiam ad rei honestæ significationem non omnes perinde norunt. Scaliger. qui mihi in amoribus. Cicer. *Pomp. nostri amores*, id est, nostræ deliciæ seu ex quo magnam voluptatem &

 delecta-

delectationem percipimus. Idem: Quid amores & deliciæ tuæ Roscius? Idem: Dionysius mihi quidem in amoribus est. Erat autem Dionysius Ciceronum puerorum præceptor.) Dicit etiam Cicero, In amore & deliciis esse alicui eodem sensu. Idem ad Atticum: Filiæ salutem dices & Atticæ deliciis atq; amoribus meis.

Antiquarii ex Plauto pro his usurpant *Oculissimus* adjectivè ab *Oculus* substantivo, pro, æquè carus atq; oculi. Sed ego à talibus abhorreo.

XXXVI.

Differántne cœlum & hoc cœlum?

Cœlum & *hoc cœlum* interdum differunt non tantùm Latinis, sed & Philosophis, sed his aliter quàm illis.

Cœlum latinis est extremum illud universitatis corpus, quod cætera omnia ambitu suo continet. *Hoc cœlum* est aër seu expansum, in quo meteora.

Cicer. *2.* Tusc. Cœlum hoc, in quo nubes, imbres ventiq; coguntur, quod & humidum & caliginosum est, &c. Plin. lib. 1. natural. hist. cap. *38.*

Hoc *cœlum* appellavere majores, quod alio nomine aëra, omne quod inani simile vitalem hunc spiritum fundit.

Psalmo *148.* Laudate eum aquæ, quæ supra hoc cœlum sunt, id est, nubes quæ in expanso collocatæ sunt.

Aristoteli 1. de Cœlo cap. *9.* *Cœlum* est forma, (ut est essentia) *Hoc cœlum* est forma cum materia (id est, existens cum sensili materia, & constituens hoc individuum.) Quidam ex interpretibus Aristotelis *Cœlum*, *inquiunt*; speciei rationem habet, seu denotat naturam specificam. *Hoc cœlum* designat individuum seu singulare. Sed hæc λογικώτερα aliò rejiciamus.

An

XXXVII.

An una & eadem vox possit esse adverbium & conjunctio?

NUNC adverbium temporis est: Sed interdum est conjunctio, ut Græcum νῦν (quod & interdum nominaliter accipitur: ut, ἐν τῷ νῦν, id est, in momento temporis) quæ vel est συλλογιστικὴ, id est, vel assumptionibus argumentorum adhiberi solet, ut: Nunc autem νῦν δὲ. id est, At: vel est expletiva: ut Luc. 11. νῦν ὑμεῖς, Nunc vos, id est, vos quidem: vel dicendum est, esse ἀντιμετάθεσιν, id est, adverbium poni pro conjunctione.

Sic Cum modò conjunctio causalis est, modò adverbium temporis. *Ita* adverbium similitudinis [οὕτως] & illativa conjunctio (itaq;) mutata significatione. Cic. 1. de Natura Deor. *Virtus actuosa est. At Deus vester nihil agit. Expers virtutis igitur. Ita ne beatus quidem est*, id est, igitur ne beatus quidem est. Logici solent dicere, pro, *Ita*, Et per consequens, seu, & ex consequenti.

Interdum *Ita* ponitur, pro, tam seu adeò seu valde: ut, non ita multò pòst in Galliam proficiscitur. Non ita pridem abiit. Non ita magna mercede, Nicht so sehr.

Quidam PER Adverbiis jurandi annumerarunt in hoc versiculo. Virgil. 10. Æneid. *Per te, per qui te talem genuêre parentes*, & in hoc Ciceronis: Quid (per Deū) optabilius sapientiâ? Accipio qua Præpositionem Adverbio, ut partem toti subjicis, non autem qua adverbium præpositioni opponis: Per enim quandocunq; regit accusativum, est præpositio. Sive jurijurando serviat, sive non. Quidam statuunt, cùm dicitur, *est domi*, domi esse adverbium loci, sicut & Humi, Militiæ, Rure: cum verò dicitur, *est domi mea*, τὸ domi esse nomen pro-

pter

pter construct. convenientiæ. Sed mihi videtur utrobique esse nomen, etsi in eo significatio adverbialis non sit obscura: cæteroquin etiam cum dicitur, *est Romæ*, id est, in urbe Roma, Romæ adverbium locale fuerit: At *Roma* inter nomina relinquimus. Sunt qui, cùm dicitur, *Vive ætatem*, pro, diu, Ætatem faciunt adverbium: Ego dico esse & manere nomen, sed habere ibi vim adverbii, & hujus vice fungi, ut cùm dico *Altum clamat*; Dixeris forte hanc sententiam cum illa parum dissidere.

XXXIIX.

An Adjectiva in osus *semper significent copiam*, & *utrum habeant vim agendi an patiendi?*

IN *osus* significant vel abundantiam, copiam, plenitudinem: vel excessum: vel proclivitatem & frequentiam: quod exemplis est ostendendum. *Curiosus* est plenus curarum, nimium diligens in quærendo. *Officiosus* est plenus officii. *Vinosum*, ut Græcum οἰνώδης, est quod plus vini appetit, quàm par sit, vel plus substantiæ vel saporis aut odoris vini obtinet. *Mulierosus* est, qui nimis appetens est mulierum. *Vultuosus* accipitur pro eo, qui est nimia vultus ostentatione, vel mutatione: vel qui est tetrico vultu. Græcis σκυθρωπός, ein Sawerkaß/ *Studiosus* est, qui rei alicujus studio præditus est: ut, fœmina culinæ studiosa. *Ebriositas* est animi affectio vel habitus, quo quis citò vel facilè fit ebrius. *Ebriosus* est, qui proclivis est ad ebrietatem. At *Sobriosus* non dicitur. *Gravedinosus* qui proclivis est ad gravedinem. Probatur hæc explicatio ex Tusc. Ciceronis. Sunt alii ad alios morbos procliviores: Itaque dicimus gravedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia jam sint, sed quia sæpe sint. *Famosus* dicitur, quia est in magno nomine & gloria, vel (in partem deteriorem) qui est infa-

infamis, ut famosa mœcha. Sic *gloriosus* in mediis est vocabulis: Est enim vel qui maxima est in gloria seu præclarus, vel qui est ostentator. *Importuosum* mare, apud Sallustium est, pro sævo. *Globosum* est rotundum quod Græcis Σφαιροειδὲς. Pro *Superciliosô* Cicer. dicit, qui importuno est vultu. *Honorosus* non dicitur, sed honoratus, pro pleno gravitatis & auctoritatis. Sic pro barbaro *Timorosus*. Cic. plenus timoris: pro, *judiciosus*, qui est magni judicii.

Porro quædam in *osus* significant activè, ut rixosus: Quædam passivè, ut ignominiosus: Quædã activè & passivè, ut laboriosus (qui multum laborat & in quo multum laboratur) Cic. in Tuscul. Industrios homines Græci studiosos vel potiùs amantes laboris (φιλοπόνους) appellant. Nos commodius Laboriosos. Laboriosus homo, id est, multum laboris sustinens. Cic. de L. Nihil laboriosius molestiusque provinciâ. Laboriosus ager, id est, in quo colendo plurimùm laboratur. Quædam exponuntur ἑκτικῶς, ut pecuniosus, id est, qui habet multum pecuniæ.

XXXIX.

In Aster, *ut Antoniaster, quo Cicero usus est, an semper significent deminutionem?* Negatur.

Quia ex Græcia in Latinam civitatem recepta sunt *Philosophus, Theologus, Parasitus*, veteres latini ad similitudinem vocum *Oleaster* & *Surdaster*, effinxerunt *Parasitaster*, & recentiores *Philosophaster, Theologaster*. Euricius etiam Cordus ausus est dicere *Sophaster*, & Castellio *Deaster*. Sed quæsitum est de horum & similiũ significatu, hoc est, significéntne imitationem, an deminutionem. Videtur *Parasitaster* non esse deminutivum (pro parvo parasito) quod Terentius otiosè adjecisset

epitheto (Parvulus) in Adelph. ex aliis quidam *parasitaster parvulus*. Sed perparva hæc ratio est, ut enim nunc silentio præteream, quod Latini nonnunquam & adjectivum & substantivum deminuunt, ut vafriuscula, inversiuncula, argutula, ratiuncula, lunatula & politula, oratiuncula (sic Germani, ein kleines Kindlein) parvulus in illo loco Ter. de corporis statura intelligi potest: ut, si de parum docto magistro eodemq; humili brevisque corporis dicerem: *magistellus ille parvulus*.

Ego statuo quædam in Aster denominativa significare similitudinem & imitationem: quædam deminutionem, quædam deniq; utranq; notionem admittere: *Pullaster* non est parvus pullus, sed gallus adolescens, ein jung Hänlein / ut *pullastra*, ein jung Hennlein / parva gallina. *Pinaster* est pinus sylvestris miræ altitudinis. *Oleaster* est olea sylvestris. *Surdaster* est subsurdus. *Recalvaster*, cui subcalva est frons seu sinciput, non totum caput. *Deaster*, est Deunculus vel εἴδωλον seu simulacrum repræsentans Deum. *Philosophaster* minutus philosophus, vel simia philosophi. φιλοσοφόμιμος imitator philosophi. *Parasitaster*, imitator parasiti seu assecla alienarum mensarum: vel non planè parasitus.

X L.

An substantiva in mentum *significent activè?*

Substantiva in *mentum* significant agens vel ipsum actum: ut, *Argumentum*, quod arguit vel arguere potest, non verò quod arguitur vel argui potest. Sic *Documentum* quod docet. *Instrumentum*, quod instruit, *Monumentum*, quod monet. *Nocumentum*, quod nocet, *Alimentum*, quod alit, *Augmentum*, quod auget. *Incrementum*, id quo crescit aliquid. *Fundamentum*, super quo quid fundatur, id est, quod stabilit & sustinet, ut *Fulci-*

mentum, quod aliquid fulcit & sustentat. *Sternutamentum*, id est, actus sternutandi seu sternuatio.

At passivè tamen significant *Pavimentũ* & *Stramentum*, id est, quod pavitur, id est, feritur, quod pecori substernitur. *Experimentum* idem est, quod experientia. *Segmentum*, quod à re resecatur. *Figmentum* quod fictum est. *Excrementum*, quod egeritur de cibo & potu. *Fragmen* & *fragmentum* est pars rei fractæ.

XLI.

Nauta *integrúmne sit, an Syncope affectum?*

GRammaticulo hanc pono quæstiunculam, sitne *nauta* vox Syncopen passa à navita, an nauta dicatur pro navita per Epenthesin, seu insertionem syllabæ. Prius multis placet: At mihi magis arridet posterius. Ita enim naufragium quoq; dicitur, pro, navifragium & naufragus, pro, navifragus, quâ voce Latini etiam usi sunt. Ovid. 14. Metamorph. *Navifragumq; fretum*, nisi fortè velis naufragium esse græcolatinum à ναῦς & frango (pro quo Græci Ναυάγιον) quo tamen me recipere non est necesse, cum detur propius. Nec tamen contra eos, qui Syncopes exemplum vocem *Nautæ* esse volunt. Sic arguo: *Nauta usitatius est quàm navita. Ergo nauta non contractum est à navita (integro) per Syncopen*. Est enim hæc objectio similis isti: Usitatius est æternitas, æternum, quàm æviternitas, æviternum. Ergò æternitas, & æternum non sunt contracta per Syncopen ab æviternitas & æviternum. Ex falsa hypothesi; Vox integra semper est magis in usu: nihil concluditur. Interdum enim vox affecta est usitatior celebriorque, quàm non affecta. Fabrûm in genitivo plurali Ciceronis ætate usitatius erat, quam fabrorum, ut præfecti fabrûm lib. 9. ad Attic. Itaq; in Oratore, Fabrûm, inquit, audeo dicere, non Fabrorum.

Sic igitur quod proposui perquàm breviter perstrinxi. Quid verò, si dicam Nauta esse integrum à Græco ναύτης, ut charta χάρτης, Cometa à κομήτης? Non ἀλογίστως dixerim hoc, vel te ipse judice.

Veritas penè ipsa ab hoc pronuntiato me non depellet. Video enim à doctis usurpari vocem *Mesonauta*, pro iis, qui partim ut nautæ navi regendæ operam suam impendunt, partim etiam ut victores nonnihil n iviculatoribus aut navarchis præcedunt. *Mesonauta* autem verisimilius est compositum esse ex duabus græcis, quàm ex una græca, altera latina.

XLII.

De significatione nominum in Bundus.

IN *Bundus* (ut vitabundus apud Sallustium & contabundus apud Tacitum, & concionabundus apud Livium) *quid significent, docet Scal.* libr. 4. de causis latin. ling. cap. 98. Eo te rejicio. Breviter significant *Vehementiam & exsuperantiam*, ut: mare fluctuabundum: *Vel ostentationem, professionem, & ut ita dicam satagentiam*, ut populabundus, id est, palam præ se ferens animum & spiritum populatoris seu populantis, Sitibundus, pro, vehementer sitiens, cujusmodi sunt, qui sunt omnis ferè humoris expertes: Meditabundus & suspiciosus incedit, In Gedancken. Dissertabundus, plorabundus, id est, vehementer plorans. Sic minitabundus. *Interdum tamen pro ipso participio poni videntur*: ut Ludibundus, pro, ludens. Mirabundus apud Livium, pro, admirans, sic & lacrymabundus. Erat moribundus (ἤμελλε τελευτᾶν) 7. cap. Lucæ: id est, agebat animam, Er war in letzten Zügen. P. Manut. Unam omnium difficilimam rem eandemque gloriosissimam eloquentiam ludibundi conse-

consequamur, mit spielen werden wir so ein schwere vnd herrliche Kunst nicht erlangen? Furibundus, pro furens est apud Cic: Singulare est. Noctuabundus apud Cicer. lib. 12. ad Attic. epist. 1. Cum complicarem hanc Epistolam *noctuabundus* ad me venit cum epistola tua tabellarius.

Nota hic obiter de orthographia: In *Bundus à verbis primæ in am vulgo tertiæ conjugationis in Mo habere proximè ante Bundus E*; ut: gemebundus, fremebundus, tremebundus.

XLIII.

An veteres dixerint, Pro Philosopho facere?

Scripsi alicubi, veteres dicere, Cum Philosopho facere, non pro Philosopho facere, Mit dem philosopho halten. Veteres dico: Quia Erasmus Roterod. vir linguarum cognitione usuq; præcellentissimus utraq; φράσει eodem sensu utitur. Sic & Scalig. in exer. 77. sect. 4. & exer. *168*. pro nobis faciet potius, wirdt für vns dienen. Sed videor redargui his exemplis, ut mihi adversis. Pro sano loqueris, qui meo me appellas nomine. Et: Non pro insano hoc verbum respondit. Plaut. in Menech. Et: Nec pro amico, nec pro Philosopho facere. Apuleius. Hic respondeo cum doctissimis interpretibus, in his formis *pro* accipi, pro, *Ut* seu *Tanquam*: Itaque has esse exemplorum objectorum sententias: Tanquam sanus loqueris: Non ut insanus respondit: Nec ut amicum, nec ut philosophum decet, facere. Vides in exemplis his (quæ tamen rariora sunt) *pro, non esse particulam defensionis, societatis & auxilii, sed comparationis*. Sic conversatio, pro conversione (ut conversatio orbium cœlestium) latinorum aureæ ætatis est. Sed conversatio pro convictu est posteriorum, Plinii & Quintiliani: Itaq; barbarum cum quibusdam di-

cere hîc non audeo. Nec ut ad institutum redeam Scaligeri, Erasmi, & aliorum doctiss. pro aliquo facere repudio.

XLIV.

Ad *in compositione, an significet aliquando* Ab, De, *ut sanè videtur in Adimo, id est, aufero?*

PRæpositio *Ad* in compositione nunquam minuit aut tollit, seu *Ab* significat. Sed obloqueris mihi fortè allatis exemplis *Adimo* & *Addubito*. *Adimo* n. est subtraho, aufero, eripio: & *Addubito* est *a* aliquantum dubito. Ad primum respondeo. *Adimo* esse ex Ad & Emo compositum. Qui igitur adimit, sibi comparat, acquirit & adjungit, vel auctore Festo, *Emere* prisci accipiebant etiam pro sumere. Itaque adimere pro assumere, ubi *Ad* non minuit, ut *Ab* in verbo Absumere. Jam qui assumit, aliunde solet accipere, seu alii detrahere. Hinc ergò fit, ut Adimo pro Aufero accipiatur. *Addubito* puto poni modò pro simplici dubito, modò pro valdè dubito: ut verbum admiror, est vel miror, vel valdè miror.

a *Ambr. Calepin.*

Non est autem adimo ab A & Demo. Repugnat enim quantitas mediæ syllabæ. Di in adimo brevis est. Demo primam habet longam, quod quidam à *De* & *emo* deducunt, quorum sententiæ me non ascribo. Nam Demo dempsi præteritum habet: at Emo emi. Asporto, Ich trag hinweg/ non est ab *adporto*, sed ab absporto, quo propter κακοφωνίαν Latini usi non sunt.

XLV.

An H *sit litera: & unde interdum exsistat scriptura diversitas?*

DE *H* an litera sit controversia quidem diuturna: Sed nondum controversiæ finis, nec dum res judicata videtur. Mihi placet hæc sententia ut probabilior: H *non tantum aspirationis nota, sed*

Rabanus H *modò pro litera, modò pro*

ſed & litera eſt, & quidem conſonans imbecillior idéoq; cum alia conſonante poſitionem non facit.) Ac vel *præponitur differentiæ cauſa: ut ara, hara; hora, ora: vel interponitur vitandi hiatus cauſa, in concurſu vocalium earundem*, ut vehemens, prehendo: cohors: *aut diverſarum*, ut traho, ahenum. At non ſemper. Dicitur enim coopto non cohopto, coorior non cohorior. Id eſt: excipiuntur compoſita quorum ſimplicia non ſeparantur. Si igitur quæras, cur ſcribendum Coërceo, non coherceo, coaleo non cohaleo. Reſpond. Quia illud componitur à con & arceo, hoc à con & aleo inuſitato. Nihilum ſcribitur, quia eſt ab hilum: cohibeo, quia eſt ab habeo. De INCOO variant. Nizolius ſcribit Inchoo. Camerarius Incoo, Scaliger Inchoho, quem ſequuntur nonnulli ex recentioribus. Nizolius utitur hac ratione, quod Inchoo ſit à Latino & Græco χάος, auctore Feſto: Camerarius iſtâ, quòd in Latina lingua nulli conſonanti adſpiretur. Pro Scaligero facit vitatio hiatus. *Volunt & quidam H interponi differentiæ cauſa: ut*, inquiunt, *charum* per aſpirationem ſignificat idem quod dilectum ſeu gratum. *Carum* ſine aſpiratione, id eſt, quod magno venditur ſeu pretioſum eſt. Sed errant. Sive enim hoc ſive illud ſignificetur, ſemper ſcribitur *Carus*: & differentiam illam nullam eſſe, vel hinc patet, quod altera ſignificatio ex altera, poſterior nimirum ex priore eſt deflexa. Quod enim magno venditur, carum & gratum eſſe ſolet. Neque verò audiendi ſunt, qui ex eo tuentur diverſas iſtas ſcripturas, quod *Charum* à Græco χάρις deducatur. *Carum* à verbo Careo, refragatur enim quantitas primæ ſyllabæ χάρις & Careo brevi. Carus & Charus long. Et *careo* potiùs eſt à *carus*, quia deficiente annona

nihilo habet. Scal. exer. 308.

homines carebant,atq; ibi tum illa cara erat.lib.1 cap.17.de causis lat.linguæ Scaliger.

H interdum adhibetur: quia dictio origine græca est,ut machina,schola,thorax,thalamus, nothum (id est, adulterium non legitimum) Pulcer quod violentè derivant quidam à polleo, testimonio Ciceronis antiquitus sine aspiratione scribi consuevit. Hæc scriptura defendi potest ex regula: Nulli consonanti in Latina lingua aspiratur: usu deinde effectum est,ut aspirationem receperit.

Sed Scaliger eam admittit, quod pulcer sit græcum πολύχεις, id est, fortis. Romani enim qui omnia ponebant in fortitudine, eum demum bonum & formosum putarunt,qui esset fortis. Itaq; *Fortis* quoque pro pulchro positum est apud Plautum. Vide Scaligerum de causis lat. Ling. cap. *17.* lib.1. Aliis *Polcer* est à *polio*,ut fulcrum à fulcio.

Scribuntur vulgò, *Anchora,trophæum* & *triumphus*, sed græca sunt ἄγκυρα,τρόπαιον,τρίαμβος.

Frischlinus & Melissus scribunt *lymfa,triumfus*, quia latini dicunt, pro φύγη *fuga*, pro, φήμη *fama*.

Scribunt & *Lachryma*. Sed sive Lachrymas à græco δάκρυα derives, sive dictas velis velut *lacerrimas*,h tollendum est.

Sepulchrum refutat Analogia. Ut enim Involucrum & ambulacrum, sic & sepulcrum & simulacrum.

Ab hara est *haruga*,id est,hostia quæ servatur in hara Hinc *hariolus* & *haruspex*. Alii tamen hariolum dictum volũt quasi fariolum à fari.Sed quantitas repugnat. *Olus*,ab oleo malo,quàm *holus*.

Alucinor qui scribi volunt,pro iis est,quod propriè est à *luce* aberro, fallor videndo, alterum objectum pro altero conspicere mihi videor (translatè enim est à judicio aberro) seu propriè est à

luce

luce aberro. Etsi non fallit me Gellium deducere ab ἀλύω, quod est tardus, languidus & stupidus sum. Sed placet Aristarcho *Hallucinor* deduci ab *Hallux* (ut à *sermo* & *ratio* sunt ratiocinor & sermocinor) quæ vox significat maximum digitum pedis, pollicem. Ita hallucinor significat propriè hallucem ad saxum allidere seu illidere saxo. Pro eodem etiam Hallus dicitur. Itaq; ut à balbus balbucinor, sic ab hallus hallucinor.

Scola quidam scribunt sine h, quod usu latinum factum sit: sed ego quia Græcè σχολὴ est h retineo.

Scheda à σχέδη, scida à scindo.

Schida à σχίζω, ut schidia Zimmerspän / Hawspän / *Diversitatem igitur scripturæ facit diversitas Etymologiæ seu deductionis, ubi versor sequenda fuerit.* *Posthumus* quidã scribunt cum aspiratione, quod significet eum qui posthumatum, hoc est, sepulturæ datum patrem natus est. Quidam verò scribunt *postumus* sine aspiratione, quia deducunt à post, & volunt significare futurum, sequentem, posterum, postremo loco natum. Virg. 6. Æneid. *Tua postuma proles.* Apud Apulejum *postuma* spes. In quibus tamen locis alii scribũt *posthuma*, statuentes posthumo significari modò postremo loco natum, vel postremum: modò post patris mortem natum, vide Gellium lib. 2. cap. 16. in Noctibus.

Sic, ut obiter aliquid his addam, *Sylva* quibusdam placet ab ὕλη (id est, materiâ seu lignis.) Spiritus enim asper interdum mutatur à latinis in h, ut ἅλες sales, ὗς sus. Aliis *silva* à sileo.

Quidam scribunt *subsecivus* à subseco. Quidam *subcisivus* seu *succisivus* eodem significatu à succido. *Subcisivum* autem veteres dixerunt tẽpus quod operam sibi succideret, & operam subcisivam quæ temporis succideret portionem, ut: Hæc medita-

tus sum horis subcisivis. Quidam scribunt *fetus* tanquam esset participiū ab obsoleto *feo, fevi, fetum*. Sed *fœtus* usitatiùs est à φοιτᾶν vel à *fotus*. κακογραφίας exempla sunt: Omnivarius omnivariam; multivarius multivariam, Vatidicus, Eulogium; scribendum est Omnifariam, Multifariam, &c. Elogium, Fatidicus. At Vaticinius probum est. Solemne etiam, ut nunc quidam scribunt, non recipio: Solenne retineo ex lege etymologias. Anulus & anellus vitiosa: Annulus & annellus vera esse puto. Primigenium enim est Annus, unde triennium. Annus autem à circuitu temporis est nominatus, quia veteres posuerunt *Am*, pro, circum. *Cærimonia* scribunt vel *Caremonia*, qui deducunt ab oppido Cære. *Ceremonia*, qui à Ceres: Alii dicunt, ut à sancti sanctimonia, sic à ceri cerimonia. *Cerus* autem prisca lingua est sanctus, *sed a usu approbavit*.

Chemicus his, *Chymicus* illis probatur: posterior scriptio est εὐλογωτέρα, quia ei favet derivatio à χύμι: Chimicus prorsus rejicio. *Alchymista* est Arabicograecum. Volunt enim τὸ *al* esse articulum arabicum. Sed sunt quoq; qui dicant, *Al* significare Arabibus regulam.

Sic ex Arabico & Græca facta sunt vocabula, *Almagestum* pro syntaxi magna & *Algorithmus*, pro Arithmetica (ἀριθμὸς Græc. numerus, μέγιστον maximum est.)

XLVI.

Sacrosanctus & sitibundus, *quantam habent antepenultimam?*

O In compositione medium corripitur ut, *Bardocucullus* apud Mart. Non igitur imitandi, qui o in *sacrosanctus* produxerūt Buchananus rectè Psal. 105. *saci osancti* fœderis: Ti in meticulosus & Di

& Di in pediculosus corripiuntur. At Ti in *siticulosus* producitur. Buchan. Psalm. 105. per siticulosæ arenæ. Sic sitibundus à sititu.

XLVII.

An vox Sincerus *composita sit ex præpos. sine & nomine cera?*

Sincerum idem est, quod purum, veluti sine cera mel, ait Scaliger, ex Donato, sed reclamat L. Valla, quòd propositio *sine* nusquam inveniatur in compositione. Hic Scaliger contra affert ἄνευ vocis *simplex*, quę videtur esse facta à sine & plica. Alii scribunt *Syncerus*, ut sit græcolatinum, velut mel cum cera partiens cum socio, ut integrum ἄδολον hominem decet.

Ego tueor Scaligerum. Nam 1. σὺν significat conjunctionem & societatem. At sincerum idem est quod purum, cui nihil est conjunctum, est sine aliquo admisto. Itaque Sincerum non est à syn. 2. Sincerum est, cui nihil est commistum: sine autem significat negationem conjunctionis & commistionis. Ergo sincerum est à sine & cera.

XLIIX.

Plural. Adversaria *unde derivetur?*

Quæ Græcis sunt ὑπομνήματα Latinis sunt *adversaria*, quod cum quidam non intelligeret, putavit me adversus magnum illum Julium Scaligerum calamum strinxisse ex eo, quod edidi libellum, cujus inscriptio: Adversaria R. G. in Jul. Scaliger. exercitat. aliquot. Dicuntur autem adversaria ex eo, quòd adversa etiam parte scriptis implerentur & per transversum quoque. Solebant autem veteres ex altera tantum parte scribere, quod admonet Juvenalis illo versu Satyr. 1. *Scriptus & in tergo nec dum finitus Orestes.* Proinde *Opisthographi* dicebantur libri utrinque scripti.

Alij putant dicta ab advertendo, id est, animadvertendo, attendendo & quasi observando. (Cic. Advertebatur Pompeji familiares assentire Volcatio, id est, animadvertebatur) quod propter animadversionem & memoriam conficerentur. Mihi placet sic dicta esse quòd semper præstò & ad manum sint, seu adversa, hoc est, objecta, non aversa, **Ein Handbuch/ darin man allerley ding zum Gedächtnuß auffschreibt/ ein Klitterbuch.** Cicer. Quid est quòd negligenter scribamus adversaria? quid est quòd diligenter conficiamus tabulas?

XLIX.

An dicatur Cum vobis, Cum se ipso?

NOn vacas ad nugas, qui parcissimus temporis es lector. Propono igitur quęstionem utilem latinæ linguæ studioso; parva quidem illa prima facie, sed magna si magnorum hominum auctoritatem intueare. Veteres Latini non dixerunt. *Cum nobis, cum se, cum seipso.* Et quidem *Cum nobis* non dixerunt, veriti ne in vitium αἰσχρολογίας (turpiloquii) inciderent. At est non nemo in senatu nostro, qui ita locutus est Joannes Serranus latinissimus Platonis interpres, *Cum nobis nata:* & cogitans anima nihil aliud facit, quàm ut disserat *cum seipsa.* Joan. Leunclavius: Cum nobis ipsis. Et vir ille nunqũam satis laudatus Julius Scaliger latinorum velut Aristarchus *Cum seipso* comparatus. In exer. pag. 1061. Et componi *cum se ipsis* lib. 8. de caussis latin. Ling. cap. 157. Et alibi, *cum seipsa.* Et Zabarella: Non debet aliquid comparari *cum seipso*, cap. 8. lib. de Accretione & Nutritione.

Et pugnaret cum seipso: Oldendorpius in Topicis, pag. 97.

An sunt hi nævi in pulcerrimis corporibus?

Pro hoc igitur Scalig. exerc. 58. Aquæ collisio fit aut cum aliis, aut cum seipsa dico ipsius secum.

Cum Vobis quidem apud Ciceronem est, sed particula *cum* ibi est conjunctio caussalis, vel adverbium temporis.

L.

An Verbum, Nomen &c. *sint orationis partes?*

VUlgo docetur sic: *partes orationis sunt octo, Nomen, Pronomen &c.* At magis logicè diceretur: Vocum differentiæ seu species sunt Nomen & Verbum, Adverb. & Conjunctio. Vulgus Grammaticorum simile est illius, qui in logica definierit, Caussam partem enuntiari; Genus partem enuntiati. At non omnis enuntiati pars est caussa, nec omnis enuntiati pars est genus. Cum dico, *Verbum dans mihi Christe tuum, non das mihi Verba*, hujus quidem orationis partes sunt nomen, pronomen, participium, verbum, adverbium: sed hæc non inveniuntur in qualibet oratione. Nec omnis oratio habet octo illas partes, sed quædam duas, ut nomen & verbum, quædam tres, quædam plures, quædam omnes, ut:

Væ tibi ridenti quia mox post gaudia flebis.

Enthymem. *Potest sententia dari, quæ confecta sit sine Vocibus inflexilibus:* Partes igitur sententiæ esse octo, non est κατὰ παντὸς verum.

LI.

An Adverbio in Grammaticis princeps locus assignandus?

MEmini quendam virum ingeniosum & doctum sic argumentari: *Faciliora & quæ ab aliis non accipiunt lucem intelligentiæ, præcedant in disciplina.*

Doctrina de Vocibus sine numero, ut adverb. conjunct. & facilior est doctrina de Vocibus cum numero, nec accipit lucē ab hac intelligentia, quia neq; genus, neq; flexio, neq; numerus, neq; casus, neq; persona in ea considerantur.

Ergo in legitima ordinatione præceptorum Grammatica, doctrina Adverbii præcedet doctrinam nominis & verbi.

1. Major non est simpliciter vera. Doctrina enim syntaxeos facilior est, quàm etymologiæ, & tamen hæc illi proponitur. Doctrina cœlestium difficilior est, quam sublunarium, & tamen hæc illi postponitur. In Theologia explicatio Trinitatis majore difficultate conjuncta est, quàm creationis, & tamen illa hanc antecedit. In Grammaticis defectiva verba facilius discũtur, quàm integra. 2. Assumpt. nego: Doctrina enim adverbii lucem aliquam accipit à doctrina nominis. Quædã enim adverbia comparantur ut adjectiuum: ab his cõparationem accipiũt: certa deniq; ratione ab his formantur & deflectuntur. Sed esto neq; adverbii cognitio doctrinæ nominis & verbi, neq; nominis & verbi cognitio lucem afferat aliquam doctrinæ adverbii: Nihilo secius doctrina nominis & verbi præcedet ordine φύσεως καὶ ἀξίας *id est*, naturæ & dignitatis. Prius enim & simplicius *hoc est*, Cæsar pugnat, quàm Cęsar pugnat fortiter. Prius natura & dignius est categorema, ut nomen vel verbum, quam syncategorema, ut adverbium, κείμενον quàm προσκείμενον, principale quàm accessorium & adminiculare. Principes autẽ & semper necessariæ voces sunt nomen & verbum, ut sine quibus sententia perfecta fieri nequeat, reliquæ sunt ancillantes.

LII.

An Neutra, quæ vocantur, verba aliquando in R *transeant: ut, an dici possit A Ror?*

NEutra, quæ vocant Grammatici verba, in tertiis personis etiam fieri posse passiva, tritius est, quàm ut à me dici proponive debeat. Dicimus: *aratur terra: vita vivitur misera: via curritur.*

tur: *Domus habitatur*: *artes discuntur*: etsi *sedetur*, *statur*, ante se nominativum respuunt. Sed primæ quoq; & secundę personarũ usum esse posse, non perinde omnibus notum. Quid enim obstat, quo minus ad domum conversus, dicam: *O domus antiqua quam dispari inquilino habitaris?* Et quidni liceat per prosopopœiam inducere loquentes terram, Bacchum, domum. Grammaticã sic: *Ego terra aror; Bacchus bibor, Ceres edor, domus habitor, Grãmatica negligentius discor*. Habeo mecum Nicodemum Frischlinum, cujus hæc sunt verba in Gram. παραλειπομένοις pag. 343. Quod si res non desint ne prima quidem & secunda persona defuerit. Fac enim terram loqui, & dicet, aror, curror (etsi non dissimulo, eundem in Grammatica nova pag. 446. sic scribere: dicitur, *Vigilata noctes, aquor arandum*: Nemo tamen Grammaticorum huc usq; fuit, qui verba illorum faceret passiva: ut, *Vigilor, aror*) A me quoq; facit Thomas Linacer in lib. 1. de emendat. rat. loquen. pag. 24. *Aratur & arantur* & similia his etiam per prosopopœiam primas & secundas personas recipere possunt. Et pag. 23. *Navigatur, potatur, aratur, natatur*, in prosopopœia primas & secundas personas possunt accipere. Non igitur facile patior me à mea opinione depelli. At enim, inquis, neutrum in O desinit, & accepta R litera latinum non est, descrip. Donat; Resp. Hæc descriptio vitiosa est: dicitur enim *adeor praetereor, transeor*, ut (ego miser ab omnibus prætereor) & rectius definitur neutrum, *cujus actio in alium non transit, sed in eo qui agit remanet*. Quæris hîc in transcursu: cur *praetereor & adeor* dicatur, *pereor* verò *& abeor* dici non possit. Resp. *pereor & intereor* non dicitur, quia pereo & intereo per se habent significationem passivam, nec recipiunt accusativum (dicitur enim *intereo ab illo*: nec dicitur *in-*

tereo

tereo illum) *Abeor* non dicitur, ut *adeor*, quia dicitur *adeo aliquem*, at non dicitur, abeo aliquē, sed ab aliquo. Eccur non dicitur *terra statur*, ut *stadiū curritur*? Respon. Quia *sto* prorsus intransitivè seu absolutè usurpatur. At *curro* regit accusativum cognatæ significationis: nam curro stadium, spatium, cursum, latina sunt. Quod *disco* interdum recipiat accusativum personæ, de eo vide in verbi examine.

Vindicandus postremo loco mihi est Linacer à contradictione. Dixit pag. 23. *Aror* dici per prosopopœiam. Sed pag. 222. lib. 4. dicit. Mihi *Aro* activum est, tametsi in prima persona passivum non recipit: Non, inquam ego, vere est hæc ἀντίφασις. Posteriore enim sententia Linacer intelligit, *Aror* non dici sermone seu locutione simplici: priore, dici elocutione figurata.

LIII.

An omne activum verbum *fiat. passivum accepta litera R?*

OMne *activum verbum* ex se flecti passivum in r patitur, præter admodum pauca, ut *sunt Volo, malo, facio*, cum compositis *calefacio, liquefacio*: præterea *Doleo*: ut docet Linacer lib. 4. de Emendat: structur. latini sermon. Sed *Doleo* neutrū potiùs est, ut *palleo*, vel transitivum cum accusativo rei. Cùm igitur Grammatici alii docent, *Omne activum* verti posse in passivum, intelligunt posse natura. At ex usu, Malo, Calefacio in passiva non possunt commutari Itaq; Linacer lib. 1. de verbo satis cautè inquit pag. 23. *Activum est quod o finitum ac agente in aliud ceu patiens transfundit actionem*, transpositisq; patiēte in nominativū & agente in ablativum, cum à vel ab, præpositione, eundem sensum, NON REPUGNANTE PUBLICO dicendi (hoc est loquendi) usu, passiva voce reddere potest.

An

LIV.

An latinè dicatur Sequester, Sequestra, Sequestrum:*ut* niger, a, um?

TRipliciter dici I. *hic Sequester hæc sequestris hoc sequestre:* ut hic acer hæc acris, hoc acre. II. *hic & hæc sequestris, hoc sequestre:* ut hic & hæc acris, hoc acre. III. *hic sequester, hæc sequestra, hoc sequestrum,* habent Ambrosius Calepinus, & quidam rei Grammaticæ scriptores. Tertium nõ approbo. *Sequester* enim, unde *sequestra* (ut pax sequestra pro induciis) substantivè accipitur, nec *sequestrum* uspiam legitur adjectivè: Nec obstat quod dicitur *sequestro* adverbialiter, (ut pecuniam sequestrò deponere) *Sequestro* enim idem hic est, quod apud sequesttum, nomine substantivè accepto, à quo *sequestri* genitivus est apud Gulielmũ Budæum. Itaq; ablativus è *sequestro* unde adverbium *sequestro* (ut à falso ex falso.) Interdum etiam *sequester* in genitivo *sequestris* substantivè usurpatur, ut cum a Cicerone pro Cluentio dicitur, sed quid opus erat ad eam rem judice *sequestre.* Nam *sequester* adjectivum ut Equester facit ablativum in tantum (ut viro *sequestri,* sicut ordine equestri.) Accipitur etiam substantivè *sequester,* cum *sequestrare* exponitur apud sequestrem deponere quod si quis adverbium *sequestro* à substantivo neutrius generis *sequestrum* deducere malit, non admodum ei repugnabimus, modo hoc obtineamus, *Sequestrum* adjectivè acceptum nuspiam reperiri.

LV.

Alumnus sitne adjectivum an substantivum?

ALiud ex alio incidit: *Alumnus & alumna* Ciceroniana sunt, *alumnus pacis, alumna licentia.* Sed genere neutro, an rectè dicatur *Alumnum* dubitari potest. Nizolius quidem habet *Alumnus a, um:* (ut alius, a, um:) sed neutrius exemplũ non habet.

habet. At rursus in Theatro vitæ humani Zuingeri, *Alumnū* genere neutro seu ficto legitur his verbis: *Luxuria alumnū est corpus* pingue & crassū, nec sibi commodum, nec aliis utile, lib. 18. pag. 1186. Contra *Meus alumnus, mea alumna* dicitur, *Meū alumnum* non dicitur: Hîc mihi dicendum videtur: ut servus adjectivum est (us, a, um) pro servilis & servile, & sic dicitur servum pecus, *id est*, servile: substantivum verò est, cùm dicitur meus servus, mea serva, & ita non dicitur meum servum, sic alumnus adjectivum est & dicitur animal alumnū (ut domesticum animal) substantivum verò & dicitur *meus alumnus, mea alumna, non meum alumnum* (ut non meum domesticum) sic famulus οἰκέτης famula οἰκετὶς substantivum, pro, servo, ancilla, ut meus famulus. Famulus, a, um, pro, famulans seu famularis, δουλικὸς, adjectivū apud Ovidiū. *Inquis*, si dicitur *Alumnus, a, um*, dicitur etiam vertumnus, a, um. Respondeo ego hic esse disparitatem. Vertumna Vertumnū dici non potest, quia Vertumnus est nomen unius rei proprium, intellige nomen Dei cujusdam apud Ethnicos.

LVI.

An pronomen Sui *sit generum trium?*

PErvulgata doctrina est *sui* esse generis omnis, ut vocant vulg. & canon Grammaticorum sic habet: Omnia pronomina sunt adjectiva. At huic exceptionem addit quidam è recentioribus Joha. Becc. Affirmat enim, Omnia pronomina esse adjectiva excepto *sui*. Quid audio? Annō ut dicimus Deus amat te hominem, te creaturam, te mancipium, sic quoque dicimus, *Deus amat, se* intellige Deum, *timentes, Numen amat se timentes, Dei majestas se ad nos demittit.* Annon dicimus *se virum, se mulierem, se mancipium.* Quid si dicam, Ego, Tu Sui esse substantiva & per Appositionem dicta

esse

esse: Te Deum laudamus, Te numen colimus, Ego Carolus, Ego fœmina, vos sidera! si dixero. erit mihi aliquid cum omnibus Gramaticis; Dicā tamen. *Nam substantivum est cujus significatio per se absq; altero addito intelligitur. At significatio τῦ Ego per se absq; altero addito intelligitur.* Ut enim dicitur, poëta scribit: sic dicitur ego scribo. Nec dicimus tantùm: Te Deum laudamus, sed etiam te Deus laudamus. *Ergo EGO est substantivum. Adjectivum est cujus significatio absq; addito altero intellegi non potest: At τῦ EGO significatio absq; addito intelligi potest. Ergo* Ego *non est adjectivum* Sed hîc potest negari assumptio. Cum enim dicô *Ego*, ὑπακούεται seu subauditur homo, vir, fœmina, numen &c. Speciosius est istud: *Deus ipse* dicitur per convenientiam adjectivi & substantivi. Ergo etiā *Ego Deus.* At hic responderi potest, disparitatem esse in exemplis. *Ipse* enim sequitur, at *Ego* præcedit. Dicis: *Adjectiva sequuntur. At* Ego *præcedit. Igitur non est adjectivum.* Responderi hic potest majorem propositionem non esse universalem. Repugnant enim *Hic Omnis, Nullus*, ut dicitur hic vir ille vir; sic ego magister. Genitivi tamen Mei, Tui, Sui pro substantivis habentur: ut placādi tui, placandæ tui, interimendi sui, interimēdæ sui, sicút & nominativi & obliqui *Ipse ipsius* &c. cum dicitur. Ego ipse, Ego ipsa. Tu ipse, tu ipsa, Te ipsum.

LVII.

An Verbalia in Bilis *ut sensibilis significent tantum passivè: concl. Neg.*

NOn est ambigendum de hoc, verbalia in *Bilis* sæpissime significare passionem & aptitudinem ad sustinendos motus ut: *amabile* quod aptū est amari: *Visibile*, quod sub visum cadit, quod videri potest; alias *visile* & *aspectabile*, *comprehensibile* quod comprehendi potest. *prædicabile* quod prædi-

prædicari poteſt, *amabile* quod dignum eſt amari, *commemorabile* quod dignum eſt commemoratu, *impatibilis* dolor apud Ciceronem in lib. de finibus, qui ferri tolerariq; non poteſt, *Patibilis* contra apud eundem qui tolerari poteſt, alias *tolerabilis* græcè παθητὸς. *Inſeparabile* apud Quint. quod non poteſt ſecari, ut Atomi, quæ ideo corpuſcula individua dicuntur. *Probabile* quod videtur rationibus probari poſſe. *Lætabile* apud Ciceron. pro lætandum ſeu lætitiâ dignum, ſeu dignum quod lætitiâ excipiatur.

At Logicis *patibilis qualitas* παθητικὴ ποιότης activè ſignificat, afficiens ſeu movens ſenſum vel mentem: Sic color, odor, ſapor, frigus, patibiles dicuntur qualitates, quia perpeſſionem afferunt aſpectui, odoratui, guſtatui, tactui.

Et *penetrabile* latinis eſt quod facit penetrare: Ut frigus penetrabile apud Poëtam, *hoc eſt*, quod facit aërem penetrari, & ſic frigidum eum facit: *penetrabile* igitur accipitur activè: At *impenetrabile* paſſivè quod penetrari non poteſt. Apud Tacitum, *pudicitia impenetrabilis*, hoc eſt, quæ tentata ſeu attentata violari non poteſt. *Spirabile* quomodo accipiatur, patet ex quorundam philoſophorum definitione aëris, quæ eſt, Spirabile ac frigidiſſimum omnium Elementum. Spirabile, inquã, ad refrigerandum & ſiccandum. Eſt enim illa natura (*Spirabilis* quam & amabilem vocat Bodinus) omnium animantium generi, quibus pulmo datus eſt ad ſpirandum attributa. Cicero de natura Deorum: Terra ſita in media parte mundi circumfuſa vndiq; eſt hac animali ſpirabiliq; natura, cui nomen eſt aër. Sunt tamen qui *Animabili* hîc legendum putent, pro eo, unde anima, ut Spirabile unde ſpiritus ducitur: quod annotavit M. Nizolius.

Effabilis ῥητὸς passivè pro *ineffabili* Cicero ad Atticũ dicit ἄφατον. *Affabilis* activè & passivè significat. Affabilitas enim ut comitatem sermonis, facilitatem alloquendi & facilitatem audiēdi: sic affabilis in sermone jucundum seu gratum & comē & facilē in audiendo significat. **Der gesprech-sam ist vnd freundlich die Leut anzureden / Vnnd der sich gern anreden lest.** Cicero: Cùm in omni sermone omnibus affabilem se esse vellet.

Ter. Meditor esse affabilis. Gellius; *Affabilissimè* hæc dicebat. Virg. *Nec dictu affabilis ulli.*

Flabile πνευστὸν Cicero dixit pro aërio seu aëris.

Risibile pro apto ad ridendũ (activè) non est Ciceronianũ, Græcè γελαστικόν, utuntur eo philosophi Zabarella, Scaliger & alii philosophi. *Lacrymabile* patiendi vim habet, ac idem est quod dignum ploratu, miserabile: ut lacrymabile bellum; activè tamen exponi potest pro lacrymas cōmovens. *Illacrymabilis* apud Horatium (Pluto illacrymabilis. lib. 2. Carm.) absolutè significat idem quod (tam durus, ut lacrymas emittere non possit, ut, ad lacrymas & misericordiam commoveri nequit qui aliàs est inexorabilis.) Ita interpretatione passivam nanciscitur significationem.

Conducibile, pro, utile, quod usui est, quod possumus uti, & quod Prisc. dixerunt, *utibile*, & pro eo quod conduci potest, passivè significat. Potest tamē exponi transitivè, per, afferens utilitatem: Scaliger nihil conducibilius ad sanitatem, nihil honorificentius ad gloriam.

Sensibile, sunt qui activè & passivè usurpant, Dicunt enim anima sensibilis, pro, sentiens: sed alii sensibile in barbaris numerant. *Ioan. Bodin. 3 lib. theat. nat.*

Stabilis absolutè significat *idem* quod firmus, cōstās, habens aliquid stabilitatis, ac potest exponi passivè pro immutabilis, fundatus, optime cōstitutus,

ſtitutus, Cicero: Divitiæ parabiles, *hoc eſt*, paratu faciles, *Amicabilis compoſitio* apud Jureconſult. & *amicabilis opera* apud Plautum, exponi poteſt amica amicitiam concilians, conveniens amori, digna amore. Amicabilem operam dare, *id eſt*, quam dare dicitur amicus.

Delectabilis non ſignificat paſſivè. Eſt enim idē quod jucundus, ſuavis, afferens ſeu habens magnā delectationem. Sed Ciceroniani ferè hanc vocem refugiunt. Utitur ea Scalig.

Labile eſt, quod facilè labitur: abſolutè igitur accipitur. Sed paſſive etiam exponi poteſt, quod facile deorſum fertur. Hoc à præſenti eſt, præcedentia ſunt à ſupino.

Favorabile à Suetonio & Quintiliano (ſicut & Juriſconſ paſſivè, pro gratioſo cui favetur, favoris plene: a Livio autem 2. bell. punic. activè, pro eo qui favet, ut favorabilis populus.

Inteſtabilis qui teſtamentum facere non poteſt, quod non habeat facultatem adhibēdi teſtes. Sed & paſſivè exponi poteſt, cujus teſtimonio nō creditur, qui ad teſtimonium non admittitur, cujus teſtimonium non recipitur.

Exitiabilis apud Livium pro exitialis, exitium afferens, ut *perniciabilis*, pro, pernicialis ſeu perniciofus: ſeu ad interitum omnia trahens, apud Q. Curtium lib. 7. & Tacitum lib. 4.

Sonabile & *ſonorum*, te idem ſonant. Ovidius: *Crepuit ſonabile ſiſtrum.*

Incogitabile activè accipitur pro incogitante ſeu conſiderato ſeu ἀλογίςῳ: à Plauto & Lactātio paſſivè pro ἀπινοήτῳ, *id eſt*, eo quod cogitatione cōprehendi nō poteſt. Sic accipiūt Philoſophi.

Senſile accipitur a veteribus ut Lucretio, & Scal. exer. 107. modò paſſive pro eo, quod ſenſu percipi poteſt, quod ſub ſenſum cadit, quo ſenſus cietur, græcè

græcè αἰσθητὸν: modò activè vel habitualiter pro eo, quod est sensu prædítum, quod obtinet vim sentiendi, quod sentit: græcè αἰσθητικὸν: ut anima sensilis, animus pars sensilis.

LVIII.

An Patior *sit Verbum Deponens? Affirmatur.*

ID quod minimè dubitandum est, in dubitatione pono, sed non sine caussa. Docetur enim à Lexicographo, *patior* verbum commune esse, sed & ab auctoritate, opinor, deseritur, nec, ut patior te, *id est*, tolero te, sic etiam patior à te, *id est*, toleror à te, dicitur. At sustinere videtur posse Calepinus suam sententiam hac ratione. Dicitur, *patior à te, id est*, tolero seu fero à te. Cùm igitur constructionem passivi habeat, verbum passivũ erit. Resp. Si hoc sequeretur: Disco, peto, spero, exspecto, abstineo, arceo, caleo, algeo, vapulo, fio, veneo essent generis passivi. Dicimus enim Algeo à frigore, caleo ab igni, abstineo à te, vapulo à te, disco à præceptore.

Ratio igitur allata nulla est, perinde Græcorũ fidei mandandum, *id est*, non credẽdum, *patior* esse verbũ cõmune. Dicitur autẽ, quod præter propositũ addo, *patior à te* per regulam, Quæ prohibendi, recipiẽdi &c. significationẽ habent, sequũtur passivorum constructionẽ, qui enim patitur, recipit. Porrò quod dixi veneo, fio & vapulo nõ esse generis passivi, de terminatione intelligendũ est, non de significatione: hæc enim est παθητική. Sed hîc paululum respiremus & acquiescamus.

LIX.

U*trum omnium Verborum genera sint* certa & perpetua, *an quædam sint* ambigua *& Varia seu media? Posterius Affirmatur.*

CErtum est, non omnium verborum genera esse ita certa, ut nullum sit duorum ge-

nerum. Dicitur enim lugeo te, moror te, activè: Moror hîc absolutè seu neutraliter. Dicitur; Rideo te, emergo me, patior te, offendo te activè, Et offendo in tenebris, lugeo, *id est*, in luctu sum, rideo, patior, emergo, absolutè seu ut αὐτενεργητικά. Sic amo & lavo nunc transitivè, nunc absolutè sine accusativo ponuntur. *Invetero* activum est Plinio & Columellæ, pro, vetus facio, ad vetustatem servo, ut interpretatur Budæus. Ciceroni absolutum est, pro, invalesco, vetustatē acquiro: ut, Nec una cum seculis ætateq; hominū hæc opinio divinitatis inveterare potuisset. Sic apud Columellam quoq;. Si jam inveteraverit morbus.

Supero hostem. Et: si superavero, *id est*, si superstes ero. Fleo absolutè & Fleo te, pro, defleo te.

Horresco, Perhorresco veniunt à neutris, innatamq; habent significationem passivam, & tamen in activa significatione dicit Virg. lib. 3. Æneid.

Ne tu mensarum morsus horresce futuros.

& Cic. Tu imagines ipsas non perhorrescis.

Quanquam etiam Horreo activè usurpatur ab eodem poëta 2 Georg.

Aut impacatos à tergo horrebis Iberos.

Et Cic. Deos horrent, *id est*, timent. Et Livius 2. ab urbe: Consules suas vires, sua arma horrebant.

Ita quorundam participiorum significatio duplex est: ut potus, qui hausit: (ut bene potus) vel haustus, ut poto sanguine, *id est*, hausto; sic dimensus, pro eo qui mensuravit & qui mensuratus est, ut dimensa dies, ein abgetheilter Tag/ de qua vide Budæum & Græcum lexicon in verbo διαμετρέω.

Qui ad scribendum se comparant, iis talium ignaris esse non convenit.

LX.

An rectè dicatur* Solenniis, Insigniis *Doctorum: Exemplariorum, Paganaliorum?

Geni-

GEnitivus pluralis in dierum festorum nominibus quibusdam pluralis numeri tātum est regulariter declinationis in Bus, quæ vulg. tertiæ, *ἀνομάλως* verò seu irregulariter & ex auctoritate declinationis in IS, quæ vulg. secūdæ, ut Bacchanalia Bacchanalium & Bacchanaliorū, Paganaliorū & paganaliū, (*Linquite ruricolis sua paganalia docti*: Man lasse den Bawren jre Kirchmeß.) Dico diserte, *Quibusdam*: Quia Anomalia in Orū in certis vocibus, non in omnibus confirmata est, *Feraliū* enim *Floralium* & *Liberalium* usus potiùs probat, quàm Feraliorū, Floraliorum, Liberaliorum. Illa abundantia dico, imitantur etiam *Sponsalia*, sponsalium & sponsaliorum. *Ancilia*, anciliū anciliorum, *Vectigalia* vectigaliū & vectigaliorū, teste Macrobio. His ipsis simile fuerit, si quis dicat *exemplarium & exemplariorū* simul. Sed *anciliorū* Poëticum est & quidem Horatianum, *Vectigaliorū* rarius est, *Exemplariorum* apud recentiores quidē invenitur, ut P. Florentinum, & quendam Ciceronis interpretē, cujus nomē nec memini, nec à bibliotheca mea remotus quęrere possum. Et Plinius usurpavit nominativū *exemplarium*, unde plural. genitivus *exemplariorum*: Sed hic nominativus non est usu receptus, Genitivos verò in orū Laurentius Valla latinæ linguæ doctissimus ideq; loquentiū censor acerrimus in Dialogo cōtra Poggium improbat, quòd à veteribus latinis non habeat auctoritatem. *Ut autē Jure-consultus sine lege: Sic latinus sine auctoritate loqui erubescit*. Porrò festorū illa, quæ dixi, nomina dativū in *Bus* faciunt. Sed pręterea quæritur an etiā dupliciter dicatur: *Insignium & Insigniorum, Insignibus & Insigniis. Solennium & solenniorum, solennibus & solenniis.* Respōsio est negans. Etsi enim è recentioribus quidā *solenniis* & *Insigniis* usi sunt, auctoritate tamen seu

h 3 exem-

exemplo classici auctoris destituuntur: Et singulare est *Insigne,is*,ut,insigne regni apud Ciceronem & *insigne pudoris vitta*,apud Ovidium.

LXI.

An ab Adjectivis in Us *etiam sint diminutiva in* Ellus,*& ab* ER *in* Culus?

A*Djectivum in Er diminutivum facit Ellus*, ut, tener tenellus, niger nigellus.

Attamen *Vafricula* (a vafer, quam vocem quidam composuerunt ex valde & Afer) *in versiuncula* legi apud Jul. Scalig. in exercitationibus adversus Card. Tu dispice, an alibi præsertim apud majorũ gentium scriptores latinos invenias. Equidem putarim pro *vafricula* esse legendum. *vafriuscula*, sic alibi Scalig. Paulò acriusculè dictu. *Vafrissimus*, quo quidam usus est, prorsus barbarum est, latinum vaferrimus.

Adjectiva in us & is diminutivum faciunt ulus: ut rusticus rusticulus,fuscus fusculus (non fuscellus,qua quidem voce aliquando usus sum in carmine:sed eandem paulò post ex eo sustuli.)

Excipitur contractum Bellus pro bonellus à bonus.Sic Novellus à novus.

A Blandus est blandulus, blandiusculus,blãdiculus,& blandicellus (apud Festum) sicut à *mollis* fit molliculus & mollicellus. Nam blandicus & mollicus à quibus nonnulli hæc trahi voluerunt, latinæ linguæ periti non agnoscunt: Quanquam rectiùs dicitur, *Blandiusculus* esse à comparativo blandius,blandicellus à blandiculus, mollicellus à molliculus,ut proxima origine. A Brevis est breviculus Scal.exer.161.Brevicula capitula. Breviusculus est à Brevius. A Levis est leviculus, à Levius levisculus..Sic dicitur à sæpe adverbio sæpicule: à sæpius sæpiusculè, Fatuellus à fatuus, habet Justus Lips.in Politicis suis, ein närrichen. Sed hebis quæ-

rere

rere latiùs fortaſſe non eſt pretium curæ. Hoc tãtum obiter libet adjicere, quendam è recentioribus uti à voce *Modus* diminutivo Modellus. Tu non imitaberis: *dices modulus*: ac uſum probatorum auctorum ubique ſpectabis.

LXII.

An fleo *regat Accuſativum perſonæ & rei: ut crimina flere ſua, matrem ſuam? Affir.*

FLeo abſolutum verbum eſt, ut ploro; Sed poſitũ pro, *defleo* regit Accuſativum perſonæ vel rei. Nam flere Daphnin eſt apud Virgiliũ: & apud recentiorem Poëtam. *Flete malos mores & noſtri perfida ſecli Tempora.* Itaq; Ramus pro paradeigm. ſecundæ in Bo adhibuit Fleo & Fleor in Grammatica ſua. In verſu tamen crebriùs occurrit quàm in proſa. Apud Ciceronẽ eſt, *Defleti liberi*: Apud Virg. fleti. Sic *ploro mortẽ* ejus vel eũ, pro, deploro, poëticum eſt Plorata domus, ploratus rogus, Ovid. & Stat. Sic *rideo* pro derideo te & hanc rem, lugeo eũ & obitum ejus. Hic lugetur à ſuis propinquis. *Ludo eum pro* deludo, & poëtis & oratoribus vſitata ſunt. Sed hæc etiam abſolutè uſurpantur. Sic cõcedo & abſolutum & tranſitivum eſt.

Comedisſent te Muſca. Iſte comeditur. &c.

Lacrymo tantùm uſurpatur abſolutè.

Non dicitur Lacrymo, vel lacrymor te, lacrymor funus. Nihil autem obſtat hoc Terentianum; Id lacrymat: Ellipſis enim ibi eſt præpoſitionis O B.

Lamentor, Doleo, Gemo, & Mœreo, nunc abſoluta ſunt, nunc habent Accuſativum rei ferè. Sunt enim Ciceroniana, id dolemus, doleo dolorem tuum, ipſius vicem doleo: Dionis mortem doluit: Reipublicæ caſum doluit, *id eſt*, dolenter tulit. Lamentari alicujus cœcitatem, calamitatem. Mœreo ejuſmodi caſum: Graviter

mortem filii mœret, *id est*, dolet vel deplorat. Suam matrem lamentari mortuam, est apud Terentium. Dicitur etiam *dolere* vel *mœrere* mortem filii.

Doleo, mœreo: id est, in dolore sum, in mœstitia sum, posita absolutè trita sunt.

Graviter gemes istam virtutem, Beseufftzen. Vestrum malũ gemeretis. Hæc gemebant boni, sperabant improbi. Objicias fortasse hîc quoq; esse Ellipsin præpositionis OB. At non esse convincit nos exemplum Ciceronis, in quo passivo (gemitur) præponitur Nominativus. Hic status una omnium voce gemitur: Ad Atticum, *id est*, deploratur.

LXIII.

An Dies masculinum tantùm pro 24. horis vel spatio temporis ab ortu in occasum; pro tempore verò fœmininum? Negatur.

DEcretum Grammaticorum est; Dies in singulari esse fœmininum, pro ἀδιορίςῳ, *i.e.* indefinito seu incerto tempore: hinc Dieculã esse exiguum tempus (Ego diem statuo satis laxam. Ein gute gereume Zeit.) Masculinum verò pro *die naturali* vel artificiali, quem vulgò vocant, seu luce, ut: dies meus natalis. In plurali semper esse masculinũ. Sed repugnant exempla Ciceroniana sequẽtia. Postera die, hesterna die, multa prima die cum de ipsa morte quæreremus. Socios illa die quęstione liberatos fuisse. Vel una dies mihi erit utilis. Ut ea die maneré invitat Caninius, postera die familiares suos. Quę formido illa die. Ea ipsa die demũ ad vesperum rediit, producta dies in quartum. Iduum Februarii. Nos in Formiano esse volumus usq; ad pridie Non. majas, eo si ante eam diem nõ veneris, Romæ te fortasse videbo. Sic dicimus *Dies κυριακὴ*, pro, dies dominicus. Masculino plurali adversatur locus in Orat. pro Plan. O reliquas omnes

omnes dies noctesque. Sed hic puto *tritius in dubiis tutius esse sequi.* Forte enim hic locus est mendosus, cujusmodi putatur esse iste Tibull. *Venit post multas una serena dies:* legunt n. alii (multos.) Nec perpetuum est *Diecula* significare exiguam temporis moram, seu aliquam temporis dilationem, cùm etiam significet brevem diem, qualis est brumalis. Commodùm hic incidit mihi lepidum Euricii Cordi Epigramma de pugna duorum Grammaticorum super genere hujus voculæ:

Certarunt duo Grammatici Probus & Polydorus,
Unus dicendum num sit, an una dies?
Acris utrinq; fuit magna contentio voce,
Armatas donec conseruere manus.
Unam dumq; diem defendit vindice dextra,
Tres Probus in læva perdidit hebdomadas.

LXIV.

An Alec *sit generis utriusq; seu fœminini & neutrius?*

FEstivus Poëta *Euricius Cordus 2. Epigrammatum ad Sextum* sic jocosè:

Quod tres aleces dixi, me Sexte reprendis,
Et non Grammatices scire putas canonas.
Qui lautos uno tractas alece sodales,
Pluralem vitas providior numerum.

Ita autem res habet: Halec apud Horatium neutrius generis est, & caret plurali (etsi apud quendam è recentioribus legi aleca.) Apud Plinium & Martialem fœmininum, & habet pluralem, unde halecula apud Columellam: Quod quia protritum est, ad alia transeo.

LXV.

Quid Holophanta?

IDem in oblocutorem:

Me quidam obliquè mordens Holophanta lacessit,
Non caligas dignus solvere docte tuas.

Scilicet exspectat victura nomina fama,
Nil agit: in versu non erit ille meo.

Hic quid sit *Holophanta*, dubium. Lexicographus annotat ὁλοφάντην esse, qui ob consuenda mendacia vili cōducitur mercede, ab ὅλος & φαίνω. Ac laudat exemplum Plauti in Curcul. Ædepol nugatorem lepidum hunc nactus est Phædromus. Holophantam, an sycophantam hunc magis dicam, nescio. Sed libr. 4. Novarum lectionum Canterus & alii Critici hanc lectionem suspectam reddunt. Quidam enim legunt *Halapanta* moti auctoritate Festi, qui ait, Halapanta significare omnia mentientem, ab eo quod halet omnia, ut sit vox latinogræca (gemischt Futter) ut *pultiphagus* apud Plautum. Sed quis usus est Halo pro mētiri? Alii igitur legunt Halophantam: in quibus Canterus, qui quidem existimat, Curculionem parasitum habitu marino seu nautico, quandoquidem è Caria per mare Epidaurium appulerat, ad Lyconem Trapezitam venisse, lib. 4. cap. 10. & dicit dubitare choragum, utrùm parasitum hunc, cui vestes suas commodarat, Holophantā potiùs quàm Sycophantam dicere debeat: quod sive ad habitum ejus nauticum respiceret, transmarinus quidam non urbanus impostor appareret, seu ipsum hominem contemplaretur, nihil aliud quàm permagnum ardelionem & ad fallendum calumniandumq; aptissimum comperiret. Jam parasiti multi etiam sycophantæ olim erant. Hæc conjectura est Canteri, hominis non arrepti mihi ex circulo aliquo aut trivio. Sed est quoq; (Eras. Roter.) qui suspicatur, quemadmodum Sycophantæ dicti sunt, qui deferebant seu accusabant exportantes ficus Athenis: ita & ἁλοφάντην dictum, qui defert eos, qui telonas conantur fraudare vectigalibus.

Festus: Sycophanta quasi ostēsor eorum, qui ficus furantur.

Hæc

Hæc cuicuimodo sint aliis non Varronibus discutienda & arbitranda relinquo, eosq; rejicio ad Centur. 1. Chiliad. quintæ Adagiorum Erasmi. Simili flexu dicitur Hierophanta, pro eo, qui monstrat sive ostentat sacra seu mysteria, sive sit æditius (qui barbaris est Sacristarius & Sacrista) sive sit sacerdos, à φαίνω & ἱερὸν. Ein Opfferpriester/ Sacricola, quo utitur Tacitus. Si esset à φάγω, nostra lingua esset, ein Heiligenfresser.

LXVI.

Cùm dicitur involare alicui in capillum, *an Involare sit compositum ab in & Volo, as, are?* Negat.

TErentii in Eunucho est: *Vix me contineo, quin ei involem in capillum.* Hoc quidam hyperbolicè dictum putant, ut *involem* sit à Ξεπικῷ Involo, à Volo, as, are, ut cùm Columella dicit, ipsis nidis involare. Sed ego sentio esse à nomine vola, quod significat concavitatem manus seu cavū in mediā manu: Involare autem à volo factum, tantum potest, quantum in volam capere, volam injicere vel manus violentas injicere. Ita Nathan Chytr. interpretatus est illud Georg. Buchanani Psalm. 10.

Circa viarum compita insidias locat,
Ut innocentem clam involet:

Hoc est: quasi vola injecta comprehendat & constringat.

LXVII.

An nox, cum nihil videat, cæca sit? Affirm.

COecum dicitur, quicquid caret lumine, seu: Cœcus non tantum significat eum, qui caret oculis, sed etiam eum, qui non videtur, qui caret lumine externo, ut solis, qui est obscurus, qui latet, vide Erasmum in Chiliadibus, & perpende sequentia exempla: *Obscurum & cæcum Cicer. Nox cæca* apud eundem. *Cæca vestigia.* Virgil. id est, latentia,

tentia, quæ videri seu oculis notari nequeunt. *Sic Vada cæca*, apud eundem. *Via cæca*: Ovid. *Fata cæca*: Horat. *Cæca fraus arte* est apud Buchananum Psal. 18. ubi *cæcum* est occultum, clandestinum ἀόρατον, quod sub aspectum non cadit. *Cæcus morbus*, pro obscuro & difficili, est apud Columellam. *Alta sunt animis latebræ, cæciq; recessus*, meum est, ex Cicer.

LXIIX.

An dicatur latinè, Reipsa sum compertus, Ich habs befunden? *Negatur.*

PAssivè dicitur *Compertus*, ut cognitum & compertum habere, Cic. Manifesto compertum & deprehensum facinus. Suetonius. Et de eo tibi compertum erat. Sallust. in Cicerone. Et comperto absolutè, id est, cùm compertum esset, est apud Tacitum, & jureconsultos veteres. Sed compertus sum, pro, comperi latinum non est: Etsi compertior Deponenti usus sit Sallust. pro quo Cic. Cæsar. Terentius & alii *comperio* utuntur. Dicitur etjam compertum mihi est, pro, comperi. (Compergio non dicitur) ut exploratum est mihi, pro, exploravi. *Indocti abutuntur* expertus sum, pro, comperi: & vicissim comperiri est invenire vel cognoscere ab alio; certum deprehendere. Experiri verò est probare, tentare, periculum facere, quod solet fieri instrumentis & sensibus. Dicitur, par est medicos multa vel omnia experiri, non comperire. Cicer. dicit id certis auctoribus comperi. Hîc non debet dici *expertus sum. Ejusdem est*, cum indicia mortis suæ se comperisse manifesto & manu tenere diceret. Ex multis audivi, nam comperisse me non audeo dicere. Cicer. ibid. Disce hîc aliud esse comperire, aliud ex aliquo audire.

LXIX.

Quomodo sit latinum servus bonæ frugi, *cùm sit dicendum bonæ frugis*?

Non

NON ut structuram ad normam, libellam, & perpendiculum respondere oportet, ut ait Plinius 36. cap. 22. sic necesse est ad Analogiam omnia revocari in latina lingua. Hoc ita se habere, cum alia, tum quod Latini non tantùm dicunt, *homo frugi*, *homo bonæ frugis*, sed etiam *homo bonæ frugi*, a Cicerone, Plauto, Ulpiano, L. Neratius ad L. Aquiliam, pro utilis, temperans, parcius vivens, virtute præditus, bonus homo. Ac primùm *homo frugi*, quidem dicitur, per regulam convenientiæ adjectivi & substantivi, *Frugi* enim, ut *nauci & nihili*, ibi naturam adjectivi induit. Secundùm *homo bonæ frugis* dicitur, per Canonem: Laudem aut vituperium expressuri, &c. seu cùm formā aut qualitatem alicui inesse significamus, genitivo vel ablativo utimur. Tertiùm *homo bonæ frugi* *ἀνωμάλως* dictum apparet. Nam sunt, qui per modò dictam regulam hoc dictum quidem velint, sed ità, ut per Apocopen, *frugi*, pro frugis, ut Achilli, pro, Achillis adhibitum sit. Sed hoc nimis durum & violentum mihi esse videtur. Nam Achilli, pro Achillis poeticum est. At bonæ frugi in prosa etiam oratione locū habet. Imò Achilli genitivus contractus est, pro, Achillei à nominatione Achilleus, ut Orphei est ab Orpheus, Tidei à Tideus, Ulyssei ab Ulysseus. Itaq; alii hoc excusāt σολοικοφανὲς regula: Verbo substantivo adduntur gemini Dativi, quorum alter personam, alter commodum aut incommodum significat. At neq; hoc placet mihi, quia non quadrat ad regulam: ubi enim hic est Dativus personæ? Auguror igitur hanc constructionem, (quæ etsi duriuscula videatur, sæpe tamen occurrit apud religiosissimos Latinæ linguæ custodes.) Analogam esse illi Antiptosi: magister ei ludo, orbi pater, soror Encelado, ornamenta bubus, opercula doliis, apud Caton. vel dicendum

Ellipsis

Ellipsin hic esse & Dativum personæ subintelligi, ut sit *frugi* homo vel servus, qui est sibi vel aliis bonæ frugi. Sic Latini dicunt, *Id gloria ducitur*, Zum Ruhm/hoc est, voluptati, quod græci dicunt, τοῦτ' ἐστι πρὸς ἡδονὴν, id est, hoc est ad voluptatem.

LXX.

An Prisci dixerint Erciscceor, *ut Tueor*? Negat.

ERciscceor quidam volunt esse secundæ conjugationis in Bo. Sed ego nullibi *Erciscceor* invenio, omninoq; statuo, veteres dixisse *Ercisco* & *Erciscor*, pro, partio seu divido & dividor in conjugatione tertia, quæ prima est in Am. Dicitur enim *Erciscundæ*, pro, *erciscendæ*, ut dicundæ, pro, dicendæ: regundæ, pro, regendæ, *quod in secunda conjugatione non fit*. Ubi enim legisti docundæ: flundæ, pro, docendæ, flendæ? *Erciscundæ familiæ causam agere*, habet Cicero. Ebutius nomine heredis arbitrum familiæ herciscundæ postulavit, habet idem. Est autem arbitrium vel judicium familiæ erciscundæ, quod fit in bonorum seu hæreditatis divisione. Ego tamẽ malo scribere *Herciscundæ*, quia videtur Herciscor factum esse ab ἑρκίζω, quod interseepire & dividere significat (abtheilen) Scalig. exerc. 9. Justus rex suum cuiq; reddit herciscens familias, & finium regundorum rationem iniens. At, *inquis*, Cicero de Orat. dixit: *Verbis hercisceri*. Hic ego respondeo, castigata exempla habere. Qui quibus verbis *herescis* oporteat nescit, &c.

Sic Scaliger. exerc. 288. Quibus tandem artibus duo vitella sunt, si nullo septo hercisceuntur (id est, dissepiuntur.)

LXXI.

An dicatur Jusjurandi, Jurejurandis?

JUs postulo, hoc est, æquum peto, melior vincat ratio. Quod si melior in medium non afferatur, quod major pars judicarit, id jus ratumque esto.

esto. *Jusjurandum* est compositum ex duobus integris; utrinque igitur declinatur, ut *Jurisjurandi* (non jurejurandi, non jusjurandi.) *Jurisjurando* Cicero alicubi interposuit *que*, jurisq; jurandi: At bis legitur apud eundem Jusjurandi pro Font. & Q. Roscio. Resp. Ego non dubito, quin hæc lectio sit mendosa. Quid verò de hoc recentioris cujusdam Grammatici; *In his jurejurandis* mehercule, mecastor, *subaudiendum est amet, adjuvet*. Resp. Regula exposcebat juribusjurandis, sed juribus inusitatum est. Etsi *jura* satis tritum & probum sit. Livius quidem Dec. 5. lib. 1 Jurejurare, pro, jurare dixit: sed jurejurandum, pro, juramentum adhuc quæro, si ex angulo aliquo eruere possim. Itaque jurejurandis non dico.

LXXII.

Cedò *pro, Dic* εἰπὲ *Velda, sit ne Verbum an Adverbium?*

CEdò prima brevi quidam volunt esse interjectionem, flagitantis exhiberi, ut *Apage* corripientis: Cedò manum, Cedò senem. Alii qui verbis defectivis accensent, volunt esse Imperativum solum, pro, Dic vel exhibe. Cicer. Cedò tabulas, Cedò mihi leges, Cedò mihi orationes: Sunt & qui plurale Cedite ei adjungunt. Ego sic statuo. *Cedite*, pro, date vel concedite, est à verbo Cedo Cessi, Cessum, ut: *Vero mendacia cedite palmam*: Cedò verò adverbium est, quod subjici potest adverbiis hortandi (quale est age) constructione interdum simile particulæ Hem, ut: Hem, Davum tibi. Quandoq; etiam absolutè positum, ut: Cic. Cedo, mihi ipsius Verris testimonium recita. Cedo, id est, age, φέρε δὴ, wolan/ Sic græci φέρε, δὴ, εἰπὲ. Sed adverbiũ etiam cum significatione verbi Imperativi, vel potiùs transiens in verbum Imperativum: De Divin. Cedò tandem qui sit ordo so-

mniorum, id est, Dic. In Ver. Cedò cui Siculo, cum is fieret reus civis Romanus cognitor factus sit unquam, id est, dicit Cicer. de senectute: Cedò, qui Rempublicam tantam amisistis tam cito. ubi nota, *cedò* plurali numero junctum perinde ac si dictum esset, dicite. Terent. Quin tu mihi argentum cedò, id est, da.

Dicas fortasse, natura sua *Cedo* esse verbum, ex adjunctione casus Dativi & Accusativi. Respond. non satis valida videtur hæc ratio. Nam & *hem* aliquando Dativum habet cum Accusativo, & tamen non est verbum. Sic *Ecce* interdum habet Dativum cum Nominativo, ut: Ecce tibi nova turba atq; rixa. Idem, En quatuor aras. Virgil.

De cætero. *Apage*, revera Imperativus est ab Apago, ut: Apage caniculam: Apage te à me, id est, aufer, remove.

LXXIII.

Unde sit Baccalaureus?

BAccalaureus dicitur, qui confecto literarum humanitatis tyrocinio in celebritate Academiæ publicum sui progressus testimonium consecutus est. Hanc vocem unde procusam putas? Eam deducunt quidam à baculo, quod habeat jus gerendi seu tenendi baculum in templo & ludo literario. Nugatorium hoc: sicut etiam quod de baculo aureo afferri memini. Verior est notatio à *Baccis lauri*, quod qui primo honoris gradu decorati essent, iis olim colla ex lauri baccis nexa imponeretur. Sed ne hæc quidem omnibus placet. Laurus enim, *inquiunt*, id est, laurea, hoc est, corona lauri foliis contexta debetur imperatoribus & militibus triumphantibus & poëtis solùm. Ii ergo pedibus in sententiam eunt Joan. Ludovici Vivis, qui hanc vocem à militia profectam credit. Gallorum enim veteri lingua *battalum* prælium, & tyrones

tyrones milites, quique castra sequi & velitari cœpissent, ac semel cum hoste conflixissent, quos Græci πρωτείρους vocant, *battalarios* nominatos; newe oder junge Kriegsmänner. Hinc posteà in Academia Parisiensi perantiqua, ubi scholasticæ hæ promotiones videntur natæ, Battalarios vocari solitos, qui in studiis disciplinarum, quæ ad humanitatem pertinent, rudimenta & quasi tyrocinium posuissent, & publicè disputando eruditionis suæ specimen præbuissent, & ita tanquam cum hoste (barbarie & inscitiâ) manum conseruissent. Sed consuetudinem & ignorantiam ut alias innumerabiles, sic ipsam vocem depravasse, ac pro Battalariis primùm baccalarios, deinde Baccalaureos in sermonem Latinum induxisse. *Habes diversas opiniones, optio tua est.*

LXXIV.

Quæ Etymologia Vocis Magister *plus habeat probabilitatis?*

DEridiculi sunt qui *Magister* deflectunt, à *magis ter* quòd ter aliis eruditis major sit. Apage igitur cum notatione ista, non ab te dixerit aliquis. Propius accedunt ad Etymologiam, qui deducunt à *magistro, as, are*. prisco, id est, rego, moderor. Ita *magister* est moderator. Sed ut minister non est à ministro, as, are, sed hoc est à minister: sic videtur potiùs Magistro deflexum esse à Magister: Itaq; his tolerabiliores sunt Jureconsulti, qui derivant ita à magis, ut *ter* sit abjectio syllabica, præsertim cùm *Magister* non tantùm accipiatur pro didascalo seu præceptore liberalium artium, sed generatim pro quovis præside, cui præcipua & major, quàm aliis, personarum vel rerum cura incumbit. Dicitur enim *magister* morum (pro censore) pagorum, collegiorum, conviviorum, equitum: *Magister* igitur dicitur, qui magis potest quàm

alii, vel qui magis quàm cæteri diligentiam & curam, iis quibus præest, debet. Nisi obstaret hîc mihi generalis significatio seu notio vocis, dicerem (ne rideas, quæso, suave delirium philologi) esse origine græcam, hoc est, descendere à Græco μαγίστωρ, qui dictus est, quasi μαγίας ἵστωρ, id est, magiæ sciens, seu sapientiæ peritus. Sic πολυΐστωρ est multiscius.

Audivi olim qui diceret: *Magister dictus est à magus*, per diminutionem, pro, Magister, id est, parvus magus: sed explosus quoque hîc fuit, ut frivolus nugator. Quam sententiam sequi malis, optio tua sit.

LXXV.

An barbara λέξις sit *Convivo, is, ere?*

Convivere à multis profanum barbarúmve esse putatur. Sed est Plauti & Quintiliani. Apud illum est: Tecum convivere: apud hunc convivere cum adolescentibus, & convivere alicui. Factum hoc verbum ad imitationem græci συμβιόω, cap. 14. vers. 1. adjectionum ad Danielem est: *Convixit autem Daniel huic regi*, id est, erat regis convictor, vel regi convictor. (ὁμόσιτος) utraq; enim σύνταξις latina est: Convictum habere cum aliquo, est apud Columellam. Convivare pro convivari antiquatum est, ideoque ab ejus usu abstinendum. Græci συμποτάζω dicunt.

LXXVI.

An in Grammatica arte præcipiendum sit de verbo Communi? *Negat.*

De hac quæstione duo ita contenderunt, ut alter alteri dicam scriberet.

Nō est autem dubium olim fuisse *Verba communia*, id est, q̄dam verba in or olim promiscuè significasse actionē cum Accusativo, & passionem cum

Ablati-

Ablativo. Non enim ostendunt hoc tantùm participia præteriti temporis passivè accepta, *adeptus, meditatus* & similia: sed etiam quod Cicero citante Prisciano dixit: Hoc restiterat etiam, ut à te fictis aggrederet donis, id est, tentaret. Et cupio eum tam invidiosa fortuna cōplecti, id est, involvi, &, quod ex Ennio 1. Off. scripsit: *O domus antiqua quàm dispari dominaris domino*, id est, teneris. Sed nobis jam passivè istis uti non licet, desierunt enim esse communia. Itaq; pro deponentibus habemus: & statuimus in Grammaticis præceptis in divisione generum verb. verbi communis mentionem faciendam non esse. Jureconsulti tamen veteres & recentiores elegantissimi usurpant *contestari* passivè: ut, *Contestatio litis* est ejus rei, de qua controversia est, apud judicem ex utraq; parte facta narratio, testibus præsentibus. Hoc genere res in judicium deducitur & litis nomen accipit: nec enim lis est, antequam contestetur. Sed controversia hæc non magnæ rei lectori.

LXXVII.

An rectè dicatur, Ambo est & bonus Philosophus & pius Theologus, *pro, uterq; est: ambo alterum verberarunt: in ambo paratus, pro, in utrumq; paratus*? Negatur.

QUi ex errore imperitæ multitudinis pendet, hîc in magnis viris non est habendus, inquit Deus & pater Eloquentiæ Romanæ. Adde, quod nihil turpius est, quàm sapientem ex insipientum sermone pendere: quæ vox est ejusdem: loquamur igitur cum linguæ latinæ peritis. *Horum uterque* cecidit victus, dicitur. *Horum ambo* ceciderunt victi, non dicitur: sed hi ambo. *Nos utriq;* & Socratici & Platonici esse volumus, dicitur: *Ad utrumq;* paratus dicitur, non ad ambo. *Nos ambo* & Socratici & Platonici esse volumus, non dicitur. *Cicer.* *Cicer.*

Domus *utrumq; nostrûm* ædificatur strenuè, dicitur à Cicerone. Domus *amborum nostrûm* ædificatur, non dicitur. Magna vis est fortunæ in utranque partem. Magna est vis conscientiæ in utranq; partem. Multa mihi veniunt in mẽtem in utramque partem, dicuntur à Cicerone: In ambas partes non dicitur. At utrumq; dicitur. Plato & Aristoteles ambo philosophi: & uterq; Philosophus. Utroque oculo & ambobus oculis.

De ipsius Scipionis & Lælii ingenio ea jam est laus, ut plurimùm tribuatur ambobus. Cicer. & utriq; Epistolæ duæ prid. Calend. ambæ datæ. Cicer. & utraq; data. Sumus enim ambo curiosi. Cicer. & uterque. Quos ego ambos unicè diligo, Cicer. Et, quorum utrumque. *In magnis læsi rebus uterque sumus:* Ovid. Interdum igitur uterque & ambo sunt synonyma, interdum non. Sosipater ait, ambo non esse dicendum, nisi de iis qui uno tempore quid faciunt, ut: Etheocles & Polynices ambo perierunt: id est, unà. Romulus autem & Africanus non ambo triumpharũt, (quia diverso tempore triumpharunt) sed uterq; Thesaurus latinæ linguæ hæc habet, uterq; & ambo differunt.

Utrumq; fecisse dicimus, si & hic & ille fecerit divisim, hoc est, seorsim & separatim: Ut uterq; fecit domum: Ergo duæ domus factæ sunt. *Ambos fecisse dicimus, si duo conjunctim aliqui fecerint*; Ut, ambo sibi monumentum constituerunt, hoc est, unum monumentum commune.

Terent. Ambo accusandi estis, Gleich miteinander/ Liv. 1. ab urbe 179. Ambo se foras ejiciunt, Zusammen miteinander/ Cicer. Idem: Obtutus amborum oculorum. Oculi enim simul eodem tempore apprehendunt visile.

Hor. Ambo iter peragunt. Idem, ambas buccas iratus inflat, Virg. Ambas palmas ad cœlum tẽdit.

Utimur

Utimur enim *Ambo* cùm loquimur de iis, quæ tantùm sunt duo. Interdum adjicitur una, ut Terent. Unà ambo abierunt foras, **beyde zugleich**. Proverbialia ab Erasmo habētur *Ambabus manibus haurire. Ambabus manibus largiens*, **Der milte Märtin**. *Ambobus pedibus fugere*. Erasmus etiam dicit, manu utraque, ut utraq; manu cædere. Aristophan. χ᾽ ἀμφοῖν χεροῖν μυστιλλᾶται τῶν δημοσίων, id est, utraq; manu bona dispergens, publica sugit. Apud Aristidem in oratione Panathenaica est, ὁ δ᾽ ἀμφοτέρᾳ τῇ χειρὶ παρῆν id est, At ille utraq; aderat manu: hic uterque exercitus intelligitur. Græci dicunt & ἀμφοῖν δωρούμενος, ambabus manibus largiens, & ἀμφοτέραις & ἀμφοτέρᾳ τῷ χειρὶ, id est, utraq; manu. In nova Adagiorum appendice est, utramq; inflare tibiam, εἰς ἑκάτερον αὐλὸν αὐλεῖν. Sic dicimus; Academicorum more disputare, εἰς ἑκάτερον, id est, in utramq; partem. Dicitur etiam jam utroq; pede claudicare: utroq; velo fugere, utrumq; velum expandere: utroque cornu bovem continere. Utramque audi partem & rectè judica: Utrique fures & qui recipit, & qui furatur, ἀμφότεροι κλῶπες καὶ ὁ δεξάμενος, καὶ ὁ κλέψας. Phocyl.

Virgil. Super utraque quassat tempora.

Porrò in divisionibus non utimur Ambo sed Uterque, ut: Enuntiatio est vera aut falsa. Utraque est necessaria vel contingens. Hic non dicendum Ambæ sunt, &c.

Ad extremum dicitur à Cic. Quorum uterque suo studio delectatus contemsit alterum. Hic non potest dici, Qui ambo suo studio delectati alterum contemserunt: Vel, ambos contemserunt. Terent. dicit, uterque utrique est cordi: At non

potest dici, ambo ambobus sunt cordi: Vel, ambo alteri sunt cordi.

Uterque alterum verberavit, rectè dicitur, id est, hic illum, & ille hunc verberavit. At ambo alterum verberarunt, vel ambo verberarunt ambos, non rectè dicimus, quia significaretur eo, ambos seipsos verberasse. Tolerari autem potest; ambo se mutuò verberarunt, quod elegantius dicitur: verberarunt inter se, *Grammatici e trivio vel circulo aliquo arrepti hac turpiter ignorant. Tu cave evadas eis similis.*

LXXIIX.

An dicendum secum ipso *diffidet*, se ipsum *excruciat*? &c.

Ciceroniani non dicunt: Secum ipso diffidet: hoc secum ipso pugnat: Sed *secum ipse* diffidet: & hoc *secum ipsum* pugnat, quibuscum loqui consuesces.

Cicer. Tuscul. *3.* sic loquitur. Quid ille Terentianus ipse se puniens, id est, ἑαυτὸν τιμωρούμενος, Sed Gilbertus Cognatus respiciens ad λέξιν Græcam ἑαυτὸν, sic loquitur: *Heautontimorumenos* Comicis dicitur seipsum excrucians, mentis perturbatione seu lãguore vel certa animi passione æger. Sic J. Ulp. in proverbiis dicit: qui honorat, seipsum honorat κἀγὼ μαυτῷ βαλανεύσω, & ipse mihi balneum parabo. Sic vertit Erasmus congruenter sermoni græco ἐμαυτῷ βαλανεύσω, id est, mihi ipsi balneum ministrabo, sicut hoc idem Erasmus πρὸς λέξιν vertit, qui tamen etiam sic loquitur, Ipse mihi balneator ero.

Ipse sibi mali fontem reperit, Eras. Chil. 1. Cent. 1. Plautus, Ipsa sibi avis mortem creat.

Odys. φ. ὃς δ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν ἔυρετο οἰνοβαρείων, id est, Qui sibi perniciem vel primum reperit

rit ipse vino victus. Libr. 3. Rhetor. citat Aristoteles hunc versiculum: ὅς τ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων. Id est, Ipse sibi mala cudit, quisquis alii mala cudens, ut vertit Eras. Chil. 4. Centur. 8. & addit verissimè dictum est, *Ipsus se lædit, alium qui lædere quærit*, & alibi: *Ipse sibi nocet is, alium qui lædere quærit.* (Sed hic versiculus vitiosus est, Is enim corripi debet) paulò tamen ante sic loquitur: Nemo potest alterum injuria afficere, nisi prius lædat seipsum, qui alium fraudat pecunia, seipsum spoliat bona mente, gravius seipsum lædit quàm alterum.

Conscius ipse sibi, de se putat omnia dici. Sibi ipse exitii auctor, Junius & Erasmus. At idem: Qui ubimet ipsis obsunt, Chiliad. 1. Centur. 1. pag. 176. Tibi ipsi Calendas dicito, Junius in Adagiis. Idem tamen etiam, Tibi ipsi novilunii diem edicito σεαυτῷ νουμηνίαν κηρύσσειν. Qui ipse sibi malorum est auctor, suo jumento sibi malum accersere dicitur. Erasm. Chiliad. 1. Cent. 1. Κίχλα χέζει αὐτῇ κακόν. Turdus ipse sibi malum cacat. Erasm. Chiliad. 1. Centur. 1. pag. 38. In illis dici solitum, qui sibiipsis ministrarent exitii causam: ait idem. Technam in te ipsum struxisti. Te ipsum inspice. Te ipsum laudas, te ipsum non alens, canes alis: sunt apud eundem. Probet quisque seipsum, 1. ad Corinth. cap. 11. Diliges proximum sicut teipsum. Cicer. In tuum ipse incurras mucronem necesse est, pro quo etiam potest dici *ipsius*. Nunquid seipsum interfecturus est? Johan. 8. Abstine à me manum, interficiam meipse. Hic non dicendum meipsum. Ut à me ipso incipiam. Hîc non dicendum ipse. Tu de ipso testaris, Etiamsi ego testor de me ipso. Johan. 8. Contra, cui ex se ipso apta sunt omnia:

Auson.

Cicero.in Tuscul.quæstio;Hic non dicendum;cui ex seipsi. Cicero in Epistola quadam ad Trebatium. Et quando cœpi agere Medeam, illud semper memento: qui sibi ipsi sapiens prodesse nequit, nequaquam sapit. Idem libr.de divinatione citat ex Ennio in divinos, qui sibimet ipsi non sapiunt, alteri monstrant viam. Plato.in Hippia Πολλοῖς συνδοκεῖ ὅτι τὸν σοφὸν αὐτὸν,αὐτῷ μάλιστα δεῖ σοφὸν εἶ): Id est, plerisq; videtur, quod oportet eum, qui sapit, ipsum sibi maxime sapientem esse. Eras.in Adag.Chil.1. Cent.6. pag.158. idem tamen (μισῶ σοφιστὴν,ὅστις οὐχ αὐτῷ σοφὸς) vertit: sapientem ego odi, qui sibi ipsi non sapit, nisi forte legendum sit *ipse*. Erasiniana etiam sunt: sibi ipsi capere dicitur, qui non ad alienum arbitrium facit quippiam,sed animo obsequens suo: In Platonis convivio jubent tibicinam sibi ipsi canere. Sibi ipsis placentes in Adag. Chiliad.3.Cent.5.pag.590. Nequis seipsum ex assentatorum laudibus aut vulgi opinione, aut fortunæ favore, verùm propriis ac veris dotibus animiq; virtutibus æstimet. Chiliad.1. Cent.6. pag. 177. Aristophan. in avibus. Οὐκ ἀναμετρήσεις σεαυτὸν, ἀπιὼν ἄλλαχῆ, id est, non ipse te rem etieris, hinc loci aliò profectus. Erasmus ibidem. Idem Chiliad.4. Cent.4. Multis se ipsum modestè jactat.

Cic.epist.fam. lib.1. epist.1. Cæteris satisfacio omnibus (pietate erga te) mihi ipse nunquam satisfacio.Cic.qui se ipse norit primum,aliquid sentiet se habere divinum.Macrob. in somn.Scipion. si teipsum cognoveris. Plato. considero meipsum. Cic. Nihil unquam pro me ipse deprecor.

Johan.Serr.in Plat.version. Non possunt homines sibi ipsis temperare à cupiditate. Non simus nati nobis ipsis. Homines non sunt nati sibiipsis,

Cic.

Cic. si quis cùm caussam est acturus in itinere secum ipse meditetur. Cic. quæq; ipsa ex se generata stirpibus continentur. Theod. Bez.

Sollicitus de suis potiùs, quàm de seipso (non de seipse.)

Seipse intuebatur (intellige non alii ipsum.)

Seipsum intuebatur (intellige non alios.)

Cic. de orat. Cæteræ ferè artes seipsæ per se tuentur singulæ (intellige non aliæ ipsas. Itaque hic non dicendum seipsas.)

Pro me ipso loquar (non pro alio) pro me ipse loquar, (non alius pro me.)

De ipso dicit, non de alio, Dicit de se ipse modestè.

Ignis per se ipse, ac sua sponte movetur.

Ipse me docebo (non alius me.)

Docebo me ipsum (non alium) Me ipsum defendam (non alios.)

Nolo te nosse, sed meipsum.

Tu non nosti me: novi me ipse. Defendam me ipse, non alius.

Multa mecum ipse reputavi (non mecum ipso aut cum meipso.)

Sæpè mecum ipse cogito. *Cic.*

Quærere ipse secum cœpit. *Cic.*

Secum ipsa discors. *Liv.*

Sed ipsum à se oritur, & sua sponte nascitur. *Cic.*

Ipsum ex se sua sponte moveri. *Cic.*

Animus à se ipse diffidens secumq; discordãs. *Cic.*

De his consule theses disput.

LXXIX.

An rectè dicatur, complexum est, dimensum est, meditatum est passivè?

PUgna mihi aliquando fuit (sine cæde tamen & sanguine, cujusmodi Scholasticæ esse debent) cum quodam, qui contendebat quibusdam

debet in omnem usum. Idem: Ad hujus vitæ studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui. Idem: Nocturnis vigiliis institutum illud conceptum ac meditatum est.

Sed quid est opus exemplis in re manifesta.

LXXX.

Vergor an dicatur?

VErgo usitatè neutrum verbum est (quo quidem nihil est vulgatius) idémq; potest, quod nclinor seu inclinatus sum, declino. Sueton. in Othon. Vergente die, *id est*, inclinante, pro quo etiam dicitur, Vergente diem in noctem. Cicer. omnes partes terræ in medium vergentes. Buchan. *O si scelestum vergat in caput scelus, suisq; pereat artibus. Vergat*, id est, recidat. Apud Lucanum tamen Poëtam est, *polus calidi quà vergitur Austri*, quod mitari te nolim.

LXXXI.

An dicantur Inquilinus, Inquilina?

NOn memini equidem me legere *inquilina.* Ut tamen dicitur *civis Attica, & Romana* à Terent. & Cic. Sic puto dici posse de fœmina, *Inquilina quieta.* Sed per mihi per, inquam, mihi ratũ feceris, si in probo aliquo auctore *Inquilina* mihi ostenderis. Significat autem *Inquilinus* modò advenã seu peregrinum: licet etiam habitet in nproto & proprio (talis fuit Cicero Romæ. Apud ul. Catilina ita ait: M. Tull. Inquilinus civis urbis Romæ: græcis est μέτοικος: opponitur Indigene seu civi ἐγχωρείῳ ἢ πολίτῃ) modò eum qui alienam domũ incolit, seu in aliena privatũ habet id est, habitat) græcè ἔνοικος, hinc, ἐνοίκιον, quo utitur Cice. ad Att. Est pretium conductæ domus, quod una voce dicitur Locarium Haußzinß.

LXXXII.

(Inter nemo suos evasit magnus amicos) *latine di-*

ne dicitur: sed quaeritur an liceat etiam dicere evasit in magnum? *Negatur.*

EVadere, pro, fieri latinum est, cum nominativis duobus altero antecedente, qui tamen saepe reticetur, altero consequente constructu, Cic. in Verrem. Tu ejusmodi evasisti in furis & divisoris disciplina educatus. Livius lib. 1. ab urbe: Juvenis evasit vere indolis regiae. Cic. in Orat. E philosophorum scholis tales ferè evadunt. Aliam significationem habet *Evadere*, cùm additur ei IN. Terent. Profectò evadet in aliquod magnum malū nimia illa licentia. **Wirdt außgehn zum grossen Vnglück.** Quintilian. In infinitum evadere **zu keinem Endt lauffen.** Livius. Evadere in summum, evadere in tutum, *id est*, pervenire. Scias itaq; Graecismum & Germanismum esse in Tremellii versione cap. 4. ad Ephes. vers. 13. Donec evadamus omnes in virum adultum, ubi versio Theod Bezae habet: Donec fiamus omnes, unus homo perfectus. Sic Hebraismus est Gen. 2. Factus est homo in animā viventē, pro quo latinè dicitur: Factus est homo anima vivens, sicut habet versio Fr. Junii.

LXXXIII.

An Participium factus *sit à* Fio? *Neg.*

Facior dicitur in compositis mutato a in i.

FActus non est à *fio*, sed ab antiquato *Facior*: pro quo nunc dicimus *fio*. Priscos autem dixisse *Facior*, duo arguunt. Primum est, quod dicimus *efficior, inficior, afficior.* Alterum quod legitur in Catone; *Graeco ritu faciebantur Saturnalia.* Tu *Facitur* à novantiquario ne mutuator.

LXXXIV.

An ut servetur Euphonia, modò alioqui *modò* alioquin *sit scribendum?*

Baptist. Pius in Lucret.

QUidam sic praeceperunt, sequēte vocali imitatione graecorum dicimus *alioquin*, ut vitetur hiatus seu concursus vocalium; sequente verò con-

consonante *alioqui*. Idem judicium esto de *Cateroqui* & *Cateroquin*. Cicer. secundo de leg. Alioqui multa. De oratore, alioqui quo modo. Primo de Natura Deorum. Cæteroqui doctus Sed discrimē hoc non semper observari, non obscurum esse ei potest, qui classicos auctores evolvit. Cic. in orato. *Cateroquin* rectè. Sic, quidam 2. de leg. legunt multa &c. παρὰ μέλος est, quòd cùm penultima in Cæteroqui & alioqui sit longa, non sit pronuntiandum alíoqui, cætéroqui, sed alióqui cæteróqui.

LXXXV.

An Instans idem sit, quod præsens?

INstans de tempore idem est latinis, quod imminens; propinquum, seu proximum.

2. Itaq; futurum ac secuturum quidē, sed quod brevi erit, seu evadet præsens, ut: Instante nocte, Instans dies.

3. Philosophi, Physici accipiunt Instans pro præsenti. Quod Martianus Capella, rectè vocat Extans, quia præteritum fuit seu raptum est, futurum nondum est, Præsens autem est re ipsa.

4. Toto autem cœlo aberrat Baptista Egnatius, cum in Lucret : Explicatione judicat, barbare balbutire recentiores philosophos, qui Instans pro præsenti dicant, cum Extans dici debeat. Nam & Instans pro præsenti sumserunt. Quintilianus & Tacitus. Ille quidem cùm inquit (lib. 5. cap. 10.) Præteritum, Instans, Futurum. Hîc verò cùm ait, præterita, instantia, futura, pari oblivione diviserat: quos Ill Hass. princ. in Grammatica sua imitatus esse videtur.

5. Porrò cùm philosophi dicunt Instans, elliptice loquuntur, intelligentes tempus : Græcè ἐνεστάμενος χρόνος.

MOX.

LXXXVI.

MOX.

CAve sic loquaris cum imperitis: Mox illũ verberasse, Jch hette jhn baldt geschmissen / pro, parum aberat, quin. Et: Curre mox, lauff baldt/ pro, celeriter. *Nam mox est adverbiũ temporis, idem quod statim*, vel paulò post. Celeriter verò est adverbium qualitatis, Cic. Discedo parumper à somniis, ad quæ mox revertar. Idem: De summo bono mox videbimus. Idem: Nulla nox intercessit mox interfectus est. Baldt darauff/ protinus.

Equi pernicissimi & tabellarii cursoresque velocissimi quos postas vocant, possunt dici Pegasi, ὑπερβολικῶς. Rhodiginus vocat pegasarios.

LXXXVII.

An dicatur Appellare ad aliquem?

PRo Quint. legitur, Ad tribunos appellare: sed nemo veterum sic unquam locutus est, sed omnes (appellare tribunos) dixerunt sine præpositione. Ergo aut hîc mendum est, aut solus id Cicero idq; tantum hoc loco usurpavit, inquit Guarinus Veronensis.

LIBRI TERTII

PROBLEMA I.

Cur dicitur latinè Jubemur hoc facere; *non præcipimur hoc facere?*

HIc experge te facias puer: Quæstio Grammatica est à nemine hactenus tractata: Dicitur à Cicerone *præcipio tibi*, pro, auctoritate mea mando tibi, impero tibi, jubeo tibi, quanquã hîc accusativus est frequentior. Cur igitur dicitur jubeor hoc facere. Præcipior verò hoc facere, mãdor vel imperor hoc facere, non dicitur; quod tamen analogia eademq; constructio activorum admittere

tere videtur. Responde. Tu verò, inquis, præsta hic mihi operam mutuam. Dico igitur caussam petendam esse ex aliqua dissimilitudine actitorum, quæ in constructione animadvertitur. Dicitur enim *jubeo tibi & jubeo te*, ut κελεύω σε καὶ σοί. At non dicitur mando tibi & te: Impero tibi & te, &c. Quod igitur rectè dicitur *jubeor hoc facere*, ex eo est, quod dicitur *jubeo te*. Quòd verò rectè non dicitur, præcipior vel mandor hoc facere, inde est, quod solœcum est, *præcipio te*: &c. Sed promoveamus.

II.

Cùm bipes & quadrupes *sint generis Omnis*, *cur dicatur*, *Bipedum impurissimus*: *Bipedum nequissimus*, *non nequissimum*?

DIcitur à Cicerone: Hic omnium non tantùm bipedum sed etiam quadrupedum impurissimus est. An quia hic Ellipsis est Animantium, quæ vox etiam masculino genere usurpata legitur à Ciceronianis? An quia *Biped. & Quadruped.* accepta sunt substantivè, pro, hominibus equis & porcis? Sic *Bipedum nequissimus*, id est, hominum. An quia impurissimus cum antecedente *Hic* convenit. Cur dicitur: *Ego sum omnium mortaliũ miserrimus*, *non miserrimum*. Quia Mortalium hîc accipitur substantivè, pro, hominum, ut illic: Nihil melius datum est mortalibus, *id est*, hominibus, Philosophiâ. Porrò tripliciter dicitur: *Canis est animantium sagacissimus*, *sagacissima*, *sagacissimum*. *Animans* enim substantivum trium generum est Exemplum masculini quæris. Cicer. de universit. A quo animante omnes reliquos contineri vellet animantes, hunc ea forma figuravit, qua omnes reliquæ formæ concludantur. Idem genus etiam apud Horatium invenies. Nec recẽtiores Ciceroniani ab eo abhorrẽt, ut Anton. Flaminius,

1.
2.
3.

minius, Jo. Perionius, Joan. Bodinus. Sed de hoc satis: prosequamur cætera.

III.

*An regula (*Superlativus partitionis *in genere respondet genitivo) sit universè vera? Negatur.*

Docuerunt quidam Grammatici *Superlativū partitivum* Genitivo plurali respondere in genere non substantivo, ut Alpha literarum prima est. Luna omnium (scilicet stellarum) ultima. Cic. Sed repugnant sequentia exempla.

Terent. *Quod rerum omnium est primum*, ubi non rectè prima dixeris.

Bene dicere, est res una omnium humanorum operum difficilima, ubi non probè *difficilimum*.

Wesenbec. Ad quam curam & meditationem omnium operum humanorum longè maximam,

Nilus. Πάντων χαλεπώτερον, ἐστι ἄρχειν ψυχῶν. Omnium rerum laboriosissimum est animis præesse.

Modus omnium rerum vtilissimus, Plinius lib. 18, cap. Eoban Hess. Psal. 55:

O prælate aliis, ô formosissime rerum.

Sic dulcissime rerum. Huc fortè videatur referendum istud Ciceronis: Mors omnium rerum extremum: Sed hic dico, *extremum* capi substantivè, pro, extremitas seu terminus seu finis. Poëtæ est, *ultima linea*. Sic cœlum quod ultimum mundi est, apud eundem. Commune, pro, communis res apud eundem: Commune animantium omnium est cōjunctionis appetitus procreandi caussa; imitatione græca: ἡ ποικιλία τερπνόν. Varietas gratū, *id est*, grata est. grata res est. *Adjectiva enim neutro genere posita pro substantivis usurpantur*, ut: Humana ferenda sunt, *id est*, res humanæ, græcè τὰ ἀνθρώπινα.

Dicen-

IIII.

Dicendúmne: Nostrati Stylo, an Nostrate? Resp. Utrumque.

ADjectiva duum vocum habere ablativum singularem in i tantum, decretum Grammaticorum est constantissimum. Cùm igitur dicatur: Hìc & hæc nostras & hoc nostrate, quomodo à barbarismo vindicabitur, quod dicimus nostrate vino: & Lips. ad Fris. stylo nostrate. Respond. Nullum hic argumentum est, cùm assumatur, quod positum est in quæstione, quod Dialectici peripatetici dicũt τὸ ἐξ ἀρχῆς seu principium petere. Sunt autem *Nostras & Vestras* non duum sed trium generũ, ut *Arpinas, Aquinas, Capenas* Quod docent exempla ejus temporis, quo latinæ linguæ majestas ac integritas una cũ imperio florebat. Dicunt enim Latini *Bellum Capenas, iter Arpinas, Vulgus nostras.* Attamen Grammatici quidam docent esse communia Respond. Illi deserendi tibi sunt, cùm reclament exempla antiquæ illius ætatis.

Nobis probum & certum haberi debet, quòd illa ipsa usurpat, etsi Grammaticorum omnium cohorti aut non lectum aut neglectum: quod non tam meum, quàm viri cujus? Lipsii judicium est.

Opponi etiam potest Scaliger qui exercitatione 206. *Nostrate* in genere neutro, *pro, nostras* usurpavit, sic enim ait: vocabulum nostrate &c. Resp. Imitatus est priscos & post hos Plautum, qui dixerunt hic & hæc Cujatis & hoc Cujate.

V.

An sit Solœcum in disticho quod Mantuano tribuitur, Ambitiosus honos? *&c.*

IMperfecta sententia est in protrito disticho:

Ambitiosus honos & opes & fœda libido:
Hæc tria pro trino numine mundus amat.

Cùm enim *Hac tria* hîc ſint accuſativi, *Ambitioſus*, *opes* & *voluptas* cum iis non cohærent. Itaq; ſi perfectam vis eſſe ſententiam, ſic emenda:

Ambitioſus honos & opes & fœda libido,
Sunt quæ pro trino numine mundus amat.

Sic Afranius pulcrè.

Iamb. *Ætas & corpus tenerum & morigeratio,*
Hac ſunt venena formoſarum mulierum.

Ubi licet hoc nunc non agatur, adverte *e* in (*mulierum*) correptum. Productio non placet:

Multa audire decet mulierem, multa tacere,
Eminet & non eſt in muliere fides.

Apud comicos ſemper e correptum lego.

VI.

An ſemper conjungantur res cognatæ *in Appoſitione, quam vulgo vocant? Affirmatur.*

Docent Grammaticorum filii *in Appoſitione* eodem caſu conjungi res cognatas: ut cùm dicitur: *Vrbs Roma* conſentiunt *Vrbs, & Roma*, ut communius & anguſtius, ut ſuperius & inferius, ut genus & ſpecies. At appoſitio eſt, cùm dicitur: *Virgo mater Domini*, cùm tamen virgo & mater ſint oppoſita. Reſpondeo; communi quidem naturæ lege & ordine oppoſita eſſe, nec uni ſimul tribui poſſe: At in certo individuo ſcilicet *Maria*, non κατὰ φύσιν, ſed extra ordinem & præter rerum ſeriem hæc conſentire, & ratione tãtum diſſentire. nam virgo eſt Maria, quà non conſuevit cũ viro: mater verò quà peperit filium. De quo nolo eſſe prolixior, cùm ab irritatis crabronibus mihi pertimeſcam: etſi, ſi rem ipſam, ſepoſitis paulisper affectibus & miſſis ſtudiis partium, putemus, ſit expeditiſſima.

Obiectio. Solutio.

VII.

An rectè dicatur, Iſtis pilis *inditum eſt nomen* ciliis? *Affirmatur.*

Nomẽ

NOminativum in Appositione interdum mutari in genitivũ vel dativum, protritum est. Dicimus enim, est illi nomen Petri, & Petro: Sic quoq; dicitur latinè: *Pili quibus nomen inditum est ciliũ, id est*, cilia: Enallage hæc casus dicitur.

VIII.

An rectè dicatur: Prope est Dominus omnibus *invocantibus* eum?

COnfusio *Reciproci & Relativi* cavenda est linguæ studioso, idque eò magis, quòd docti etiam offenderunt in hoc loquendi genere. Non dicẽdum: Acceptos habet Jehova timentes *eum*: sed timentem *sui*: qui spem suam positam habent in benignitate ipsius (si timẽtes *eum*, ergo non Dominũm, seu alium, quàm Dominum) Propinquius est Jehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide. Servat Jehova omnes amantes ipsum: Placitum timentium se efficit. Psal. 145.

Bonus pater intelligit omnes æque filios se attingere, ad *seq;* pertinere. Hic *eum* dici non debet: Ac pro *se* potest etiam dici *ipsum*. Dicimus: loquitũr de iis, quæ *ipse* scripsit; sic loquitur de iis, quæ ab *ipso* scripta sunt, non quæ ab *eo*, Datum est mihi hoc à Sabino, ut breviter *à se* dicta & à capite repeterem. Ille parabat desinere, paratus audire, quod contra *se* afferretur. Quintil. lib. 11. cap. 1. est tamẽ rerum *à se* gestarum, quæ sine dubio magnæ fuerunt, quàm eloquentiæ major in omnibus jactator: de Cicerone loquitur. Sic quidam è recentioribus propter argumentum à *se* conscriptum discipulis convertendum proponit. Sic quidam præclarus vir loquitur; Verbum Dei & sacramenta ejus semper integra & illæsa, quantum *in se est* manent, etsi per impium distribuuntur: dicendum potius erat: *quantum in ipsis est*. Cicero.

t. *in chroni.* D. Hieronymus & Ruffinus presbyter Aquilejensis orta *inter se* simultate pro quæstionibus scripturarum, libros invectivarum satis quidem luculento, sed nimis mordaci sermone alter in alterum scripsêre: dicendum erat, orta *inter ipsos* simultate.

Lib. 10. Dig. tit. 4. rectè dicitur, illa ratione etiã studiosum alicujus doctrinæ posse dicere, *sua* interesse illos libros exhiberi *sibi*, sed Glossographus ibi non rectè; pro hac doctrina, *licet sua intersit, non agitur*, dicendum erat, *ipsius* vel *ejus*.

Vir quidam non unus de multis sic scripsit: peccare humanum est, ideoq; doctissimus piæ memoriæ philosophus insanire eos existimavit, qui peccata sua corrigi reipublicæ perniciosum arbitrarētur. Ex illius igitur sententia per meam definitionē suam definitionem hoc loco corrigo. Nam & ille aut eam ante obitum jam correxerat, aut, si diutius vixisset, nõ dubito, quin libenter correxisset. Si correxit, nobis certè *suam* correctionem adhuc videre nõ contigit, Suam, pro, *ejus* seu *ipsius* Probum est: *suam* correctionem nobis adhuc non dedit videndam. Præterea magis studebant

s. Judæi Jesum trucidare, non solùm, quòd solvisset Sabbathum, sed etiam quòd de Deo, quòd patrem suos esset dixisset: Hîc non dicendum ejus.

Ciceroniana sunt: Ipsum à se oritur, & sua sponte nascitur. Posterius membrum est prioris explicatio.

Philosophorum de se ipsorum opinio firma in hoc & stabilis inventa est.

Cicer. Ita senectus honesta & sese ipsam defendit.

Audom. Talæi est: Tullius exclamat in Epicureos: O admirabilem licentiam & miserabilem inscitiam differendi, cùm tamen in oratorem sua exclamatio propriè conveniat: in oratorem *sua*,

id

id est, in ipsum oratorem: seu ejus in seipsum. Linac lib. 4. pag. 110. Transeunt in id quod fateri nequid, quod in se sit.

IX.

An recte dicatur Sylleptice: Hic aut ille aderunt? Affirmat.

VErè dictum est ab Oratore: Commenta opinionum delet dies. Ejusmodi est quod traditum est à nonnullis, duobus singularibus conjunctis per copulativam; conjunctivam & non disjunctivam *Aut* addi plurali. Exempla enim Jure consultorum & aliorum repugnant. In Institut. lib. 1. ti. 4. v. de libert. §. servi. veluti cùm prætor aut prœses aut proconsul in balneum vel in theatrũ *eant*.

Scaliger exer. 299. sect. 2. Tunc enim Mida vel Crassus vel alius, qualis Xerxes aut Pytheas: *percipiant* ex opulentis opulentam voluptatem. Ubi *considerabunt* suas potentias talenta Tantali superasse.

Hac tamen græcismum sapere non dissimulo.

X.

An dicendum, Tempus disciplina *multorum?* Calor effectrix? *Neg.*

D*Isciplina* est apud Plautum in Aulularia, & Plinium lib. 10. cap 29. & alios, qui integrè casteq; locuti sunt. Respondet ei græcum μαθήτεια vel μαθητείς. Quæritur igitur: An dicendũ: *Tempus est discipula & magistra seu præceptrix & inventrix multorum?* Respon. Dicendum : Tempus est discipulus, & magister seu præceptor & inventor multorum At ætas inventrix , magistra: non inventor, magister. Quid ita? Quia in ea Appositione, cujus pars est Neutrum, masculinum fœminino dignius est & præstantius.

Calor effector dicitur ex convenientia substantivi cum substantivo in eodem genere, numero &

casu: *Non Calor effectrix*: nisi per Ellipsin intelligatur caussa. Scal. exer. 28. sect. 1. primum efficiens ævi Dominus est. Conscientia accusatrix malo, quã conscientia accusator. Si tamen quæras: Quis est meus accusator? Rectè respondetur, conscientia tua. Apud Scal. exer. 6 Sect. 9. lego sic: Themistius sentit, Animam esse sui domicilii architectam. Ita ego non loquor cum Scaligero, *Architectus* enim apud veteres mystas puræ latinitatis lego: Architecta non lego. Dico pro eo Architectatrix.

XI.

An solæcum sit: Et flesti, & nostros vidisti flentis ocellos? *Ovid. in Heroid.*

Solœcophanes est seu apparens solœcismus: *& flesti & nostros vidisti flentis ocellos*. Nam dicendum erat *flentium vel meos flentis*, sicut dixit Lucianus, ὅλως οὗτοι σπαθῶσι τ᾽ ἀμὰ τοῦ κακοδαίμονος: Omninò hi res meas infelicis dilapidant, sic dicitur: Omnes sua ipsorũ quærunt. 2. Philipp. Vestras ipsorum laudes. Cicero. Tuum hominis simplicis pectus vidimus, mea periclitantis salus: Meum consulis factum. Cicero. Excusatur autem illud solœcum per figuram, quæ Hyponœa seu intellectio dicitur, cùm dictio non vocem, sed sensum seu intellectum respicit. Per *nostros* enim intelligitur *meos*, sicut apud Ciceronẽ *nos*, pro, *ego* usurpatur. Nos populo oratores visi fuimus, *id est*, ego. Nostrum studium, *id est*, meum. Sic analogia requirit, ut dicatur πνεῦμα, ὕδωρ, αἷμα, τρία, ut est in epistola Paul. Fides, Spes, Caritas, tria hæc: sed. 1. Jo. 5. dicitur: πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα καὶ οἱ τρεῖς: Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. Hic masculinum tres respicit personas; ideoque sensum, non neutrum genus, quod antecedit. Hæc igitur generis Enallage τῇ ὑπονοίᾳ subjicitur;

tur, sicut etiam quæ dicitur vulgo σύνθεσις, sed minus commodè, qua nomini multitudinis singulari respondet dictio numeri pluralis. Nomina enim multitudinis seu collectiva, voce & terminatione singularia sunt, sensu verò pluralia, ut: *Turba ruunt.* Minus rectè dixi hanc syntaxin vocari Synthesin. Quid enim Synthesis aliud est, quā cōpositio? Malo igitur vocare Anomaliam numeri vel syllepsin vel intellectionē. Talis est Hebraismus hic Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginē nostram qui dominentur in pisces maris. Hic ponitur *homo* non loco individui, sed speciei, seu ut alii loquuntur, non loco speciei sed generis. Ideò additur *Dominentur*, sicut ait insignis quidam Theologus: *Dominentur* numeri pluralis est appositum singulari, ut intelligamus nomen Adami de specie esse intelligendum sylleptice. Porrò etiā solœcophanes est apud Virg. *Vos ô Calliope precor aspirate canenti.* Usitatius enim dixisset *ô vos Musæ.* Calepinus facit exemplum syllepseωs, qua multi pro uno ponantur. Ego simpliciter interpretor sic: O Calliope, vos, scilicet musæ, aspirate. Nec patrocinatur hoc barbariei, quæ invaluit: Reverende Episcope, oro vos, ut assignetis mihi munus, pro, oro te ut assignes. *Sylleptice & singulariter hic Theologus opponit.*

XII.

Quomodo idem valent Diem obire & mortē obire?

MOrtem *obire* est mori, quia mortem obire est nihil aliud, quàm ad mortem ire seu adire mortem. Prisci enim dixerunt *ob*, pro, ad, ut Ennius, ob Romam legiones ducere. Ob Tiviam ducere exercitum. Cic. Papyrio poetæ: Cujus ob os Graii ora obvertebant sua. Hi dicebant obmoveo, pro, admoveo, sic adhuc dicitur vadimonium obiisse, *id est*, ad vadimonium iisse, & obviā pro ad viam? Sic Crassus diem cædi destinatū non

obiit, *id est*, ad præstitutum diem se non stitit, exhibuit se præsentem, Suetonius in Cæsare. Dicitur tamen etiam *Obire* absolutè, pro, mori & additur ablativo (morte) ut morte obiit repentina, Suetonius in Augusto. Diem obire, quod idem est: mortem obire seu mori. Intelligitur enim dies certus definitusq; nempe dies *Fati, hoc est*, Diem obire est adire diem fati. Cic. Nuntiatū est mihi Marcellum diem suum obiisse.

XIII.

Cur dicatur: Agitare mente & cum mente, pro, considerare seu cogitare. At non, scribere cum penna & penna: Cur scribere cum labore, At non, scribere cum manu?

CUm *in constructione significat societatem vel comitatum & quasi terminum comitantem alios in actione, vel subjectum* ut, Abiit cū diluculo, *quasi comite*, non autem caussa vel instrumento abitionis. Damnum est cum mala fama lucrum. Vir bonus & cum primis honestus. Scripsi cum labore, quasi *quodam scriptionis socio*, non autem caussa instrumentóve. Sic dicere cum metu Cicer. Ita si accipias istud Ovid. lib 1. Metamorph. *Terrificam capitis concussit terq; quaterq; Cæsariem* cum quo terram, mare, sidera movit, nō abnuerim *cum qua, id est*, simul cum cæsarie. Scripsi manu, *ut instrumento*, non cum manu. *Caussam enim instrumentúmve motus* aut *quietis significantes præpositione (cum) non utimur*. Itaq; barbarè dicitur *in facetiis Bebelianis*: Non potes te solùm cum septem artibus nutrire. *Dicitur* cum dicto abest, *id est*, vixdum finito sermone, statim post verba (alias: dictum ac factum) At dicitur sine præpositione: Dic uno verbo (ut caussa) mit einem Wort. Cū animo suo recordari vel agitare dicitur, quia idem quod secum recordari, secū agitare bey sich betrachtē, sic Cice-

Cicero, Mecum ipse cogito 2. de legibus Mente vel animo agitare dicitur à Cicerone, Sallustio & Livio) qua mens habet se ut causa. Stella movetur cum orbe suo, ut cum subjecto. Singulare est quod dicitur, *Oblecto me eo*, in eo, cum eo sensu eodem, Oblectare se cum Musis, cum libellis, Ciceronis sunt. Ejusdem est: cum fide aliquid facere. Omnis cũ fide persoluta est pecunia Quintiliani est. Cum eo, pro, ea lege, Columellæ & Celsi est. In mente aliquid agitare, Ciceronis est 1. de Natura Deor. Tuum est, studiose adolescens, majorum vestigia persequi. Rarius absolutè seu per se, *hoc est*, sine adjecto Cic. *Agitare* utitur. 5. Verr. dicit. Quod si ille hoc unum agitare cœperit, *id est*, animo agitare, tractare. At cogitare frequentiùs, ut:

Docto viro quid cogitare? Vivere est. Jamb.

Agitare sermonibus (non cum sermonibus) est tractare sermonibus. Liv. lib. 3. ab urbe. 140. versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaq; re plus minusq; esset, conferrent.

XIV.

Utrùm semper Possum *ponatur absolutè, an verò aliquando regat accusativum rei? Post.* Affirmat.

NOnnunquam latini verbo *possum*, pro, valeo adjungunt accusativum rei. Cicer. Eloquentiæ latinæ antistes. Si quantum in agro audacia potest, tantum in foro impudentia valeret. Hoc tu si potes. Respublica, quæ minimum nunc quidem potest. Quoniam id quidem non potest. Sic etiã loquuntur doctissimi Arithmetici & Geometræ, Clavius & Ramus, aliique, qui eruditum pulverem attigerunt. Si latus Octaedri *poterit* majus & minus segmentum rectæ lineæ extrema ac media ratione sectæ: *Poterit* latus Icosaedri in eadem sphæra, descripti duplum minoris segmen-

 ti, ex

ti, ex Theor. 24. prop. 24. lib. 14. Euclid. Latus inscripti triangulari æquilateri *potest* triplum circularis radii. Ram. libr. 18. Geom. elem. 7. Tota & minus segmentum possunt triplum majoris. Idem lib. 14. elem. 6. Linea recta *potest* quadratum, quia in seipsam ducta facit quadratum. lib. 12. ad elem. 2. Sic usurpant etiam *potens* participialiter, pro, Quod potest: ut linea recta potẽs quadratum. Recta potens id: potens totam, Clavius Theor. 10. prop. 10. lib. 14. Euclid. In omni mutatione physica tria sunt velut principia. Terminus à quo, Terminus ad quem, & Subjectum *potens* accipere terminum ad quem; pro quo diceret Cicero, Quod habet potestatem accipiendi. Usurpat enim *potens* nominaliter, vel cum genitivo vel absolutè.

X V.

Examinare & Discere an admittant accusativum personæ?

NUspiam apud Ciceronem accusativus personæ verbo *examino* additus reperitur. Ejus sunt: examinare rem, hoc, aliquid, verborum omnium pondera. Attamen Latina sunt, examinare aliquem, candidatos, id est, doctrinam & mores eorum, pro, explorare & excutere, sicut Cicero dixit: non excutio te: excutere unumquenque comitum: Decem viri, qui nostros imperatores excutiant. Et, quod jurisprudentibus frequens est, examinare testes, **Zeugen abhören**. Barbari (vel potius, **der Teutsche Michel/**) dicunt: Quisq; eat in suum cor, pro, quisq; examine exploret suam conscientiam, quisq; excutiat sese, vel conscientiam, quisq; diligenter in se ipsum inquirat, **Ein jeder greiff in sein eygen Busen**. Accusativus personæ verbo *Disco* additur à Virg. *Crimine ab uno Disce omnes*, id est, cognosce. Nec verò sequitur: Dicitur, disco à te, Igitur non potest dici, disco te. Nam dicitur

dicitur etiam Tolero te, & toleror à te, apud Cic. aufero te, & aufero à te, abduco te & abduco à te, asporto te, & asporto à te, peto te & peto à te, patior te, & patior à te, recipio te & recipio à te, apage te à me. Sed dicitur etiam, apage sine accusativo, ut: Apage Satana, id est, abi, Matth. 4.

XVI.

Cur & an Verbo Habeo *Latini addant Vocem privationem significantem?*

VErbo *Habeo* in propria significatione, quæ *ἕξεως* est; Latini non addunt vocem privantem, ut, non dicunt: Habere paupertatem, cæcitatem. Ille habet surditatem: Ille habet inscitiam. Ἀγνωσίαν quidem ἔχειν, id est, (αὐτολέξει) ignorantiam habere, Græci sermonis est (legitur in novi Instrumenti lib. alicubi) pro eo Latini ignorare. Ac iidem rectè notitiam, scientiam habere. Ratio: Quod habitus est, propriè habetur (sicut cum non habetur propriè carere dicimus, modo res bona sit, non mala. Carere enim quartana improprie à Cicerone dicitur.) Quod privatio est, propriè non habetur. Si objicias locum Ciceronis: Adventus ejus habuit equitatus interitum; Respondeo ibi *Habuit* significare idem, quod secum attulit. Si objicias quod dicunt Latini: Habere febrim, ac febrim esse caloris naturalis privationem: respondeo: Febrem propriè esse rem positivam speciem vitii corporis, seu morbi, ut cùm dicitur: hic equus habet vitium. Singularia: Vulnus habent in capite, Infantes habent peccatum nativum: ubi *στέρησις* haberi dicitur.

XVII.

An dicatur latinè, sonnit horam?

OὙ τὸ μαθεῖν ἔγκλημα: ἀλλὰ τὸ ἀγνοεῖν κατηγορία. Discere non est vitiosum, sed ignotare *Chrysostomi est.*

Cùm enim *Hac tria* hîc sint accusativi, *Ambitiosus*, *opes* & *voluptas* cum iis non cohærent. Itaq; si perfectam vis esse sententiam, sic emenda:

Ambitiosus honos & opes & fœda libido,
Sunt quæ pro trino numine mundus amat.

Sic Afranius pulcrè.

Iamb. *Ætas & corpus tenerum & morigeratio,*
Hæc sunt venena formosarum mulierum.

Ubi licet hoc nunc non agatur, adverte *e* in (*mulierum*) correptum. Productio non placet:

Multa audire decet mulierem, multa tacere,
Eminet & non est in muliere fides.

Apud comicos semper e correptum lego.

VI.

An semper conjungantur res cognatæ *in Appositione, quam vulgo vocant? Affirmatur.*

DOcent Grammaticorum filii *in Appositione* eodem casu conjungi res cognatas: ut cùm dicitur: *Vrbs Roma* consentiunt *Vrbs*, & *Roma*, ut communius & angustius, ut superius & inferius, ut genus & species. At appositio est, cùm dicitur: *Virgo mater Domini*, cùm tamen virgo & mater sint opposita. Respondeo; communi quidem naturæ lege & ordine opposita esse, nec uni simul tribui posse: At in certo individuo scilicet *Maria*, non κατὰ φύσιν, sed extra ordinem & præter rerum seriem hæc consentire, & ratione tãtum dissentire. nam virgo est Maria, quà non consuevit cũ viro: mater verò quà peperit filium. De quo nolo esse prolixior, cùm ab irritatis crabronibus mihi pertimescam: etsi, si rem ipsam, sepositis paulisper affectibus & missis studiis partium, putemus, sit expeditissima.

VII.

An rectè dicatur, Istis pilis *inditum est nomen* ciliis? *Affirmatur.*

Nomẽ

NOminativum in Appositione interdum mutari in genitivũ vel dativum, protritum est. Dicimus enim, est illi nomen Petri, & Petro: Sic quoq; dicitur latinè: *Pili quibus nomen inditum est ciliũ, id est*, cilia: Enallage hæc casus dicitur.

VIII.

An rectè dicatur: Prope est Dominus omnibus *invocantibus* eum?

COnfusio *Reciproci & Relativi* cavenda est linguæ studioso, idque eò magis, quòd docti etiam offenderunt in hoc loquendi genere. Non dicẽdum: Acceptos habet Jehova timentes *eum*: sed timentem *sui*: qui spem suam positam habent in benignitate ipsius (si timẽtes *eum*, ergo non Dominũm, seu alium, quàm Dominum) Propinquius est Jehova omnibus invocantibus ipsum, omnibus qui invocant ipsum fide. Servat Jehova omnes amantes ipsum: Placitum timentium se efficit. Psal. 145.

Bonus pater intelligit omnes æque filios se attingere, ad *seq́;* pertinere. Hic *eum* dici non debet: Ac pro *se* potest etiam dici *ipsum*. Dicimus: loquitur de iis, quæ *ipse* scripsit, sic loquitur de iis, quæ ab *ipso* scripta sunt, non quæ ab *eo*, Datum est mihi hoc à Sabino, ut breviter *à se* dicta & à capite repeterem. Ille parabat desinere, paratus audire, quod contra *se* afferretur. Quintil. lib. 11. cap. 1. est tamẽ rerum *à se* gestarum, quæ sine dubio magnæ fuerunt, quàm eloquentiæ major in omnibus jactator: de Cicerone loquitur. Sic quidam è recentioribus propter argumentum à *se* conscriptum discipulis convertendum proponit. Sic quidam præclarus vir loquitur; Verbum Dei & sacramenta ejus semper integra & illæsa, quantum *in se est* manent, etsi per impium distribuuntur: dicendum potiùs erat: *quantum in ipsis est.* Cicer.

D.Hieronymus & Ruffinus presbyter Aquilejensis orta *inter se* simultate pro quæstionibus scripturarum, libros invectivarum satis quidem luculento, sed nimis mordaci sermone alter in alterum scripsêre : dicendum erat,orta *inter ipsos* simultate.

In chroni.

Lib.10.Dig.tit.4.recte dicitur, illa ratione etiã studiosum alicujus doctrinæ posse dicere, *sua* interesse illos libros exhiberi *sibi*, sed Glossographus ibi non rectè; pro hac doctrina, *licet sua intersit, non agitur*, dicendum erat, *ipsius* vel *ejus*.

Vir quidam non unus de multis sic scripsit: peccare humanum est,ideoq; doctissimus piæ memoriæ philosophus insanire eos existimavit,qui peccata sua corrigi reipublicæ perniciosum arbitrarétur.Ex illius igitur sententia per meam definitioné suam definitionem hoc loco corrigo. Nam & ille aut eam ante obitum jam correxerat,aut,si diutius vixisset,nõ dubito,quin libenter correxisset. Si correxit, nobis certè *suam* correctionem adhuc videre nõ contigit,Suam, pro,*ejus* seu *ipsius*.Probum est : *suam* correctionem nobis adhuc non dedit videndam. Prætereà magis studebant Judæi Jesum trucidare,non solùm, quòd solvisset Sabbathum,sed etiam quòd de Deo, quòd patet suos esset dixisset:Hîc non dicendum ejus.

Ciceroniana sunt:Ipsum à se oritur,& sua sponte nascitur. Posterius membrum est prioris explicatio.

Philosophorum de se ipsorum opinio firma in hoc & stabilis inventa est.

Cicer. Ita senectus honesta & sese ipsam defendit.

Audom. Talæi est: Tullius exclamat in Epicureos : O admirabilem licentiam & miserabilem inscitiam disserendi,cùm tamen in oratorem sua exclamatio propriè conveniat : in oratorem *sua*,

id

id est, in ipsum oratorem: seu ejus in seipsum. Linac. lib. 4. pag. 110. Transeunt in id quod fateri nequid, quod in se sit.

IX.

An recte dicatur Sylleptice: Hic aut ille aderunt? Affirmat.

VErè dictum est ab Oratore: Commenta opinionum delet dies. Ejusmodi est quod traditum est à nonnullis, duobus singularibus conjunctis per copulativam; conjunctivam & non disjunctivam *Aut* addi plurali. Exempla enim Jure consultorum & aliorum repugnant. In Institut. lib. 1. ti. 4. v. de libert. §. servi. veluti cùm prætor aut præses aut proconsul in balneum vel in theatrū *eant*.

Scaliger exer. 299. sect. 2. Tunc enim Mida vel Crassus vel alius, qualis Xetxes aut Pytheas: *percipiant* ex opulentis opulentam voluptatem. Ubi *considerabunt* suas potentias talenta Tantali superasse.

Hac tamen græcismum sapere non dissimulo.

X.

An dicendum, Tempus disciplina *multorum?* Calor effectrix? *Neg.*

D*isciplina* est apud Plautum in Aulularia, & Plinium lib. 10. cap 29. & alios, qui integrè casteq; locuti sunt. Respondet ei græcum μαθητεία vel μαθητεὶς. Quæritur igitur: An dicendū: *Tempus est discipula & magistra seu praceptrix & inventrix multorum*? Respon. Dicendum: Tempus est discipulus, & magister seu præceptor & inventor multorum. At ætas inventrix, magistra: non inventor, magister. Quid ita? Quia in ea Appositione, cujus pars est Neutrum, masculinum fœminino dignius est & præstantius.

Calor effector dicitur ex convenientia substantivi cum substantivo in eodem genere, numero &

casu: *Non Calor effectrix*: nisi per Ellipsin intelligatur caussa. Scal. exer. 28. sect. 1. primum efficiens ævi Dominus est. Conscientia accusatrix malo, quā conscientia accusator. Si tamen quæras: Quis est meus accusator? Rectè respondetur, conscientia tua. Apud Scal. exer. 6 Sect. 9. lego sic: Themistius sentit, Animam esse sui domicilii architectam. Ita ego non loquor cum Scaligero, *Architectus* enim apud veteres mystas puræ latinitatis lego: Architecta non lego. Dico pro eo Architectatrix.

XI.

An solœcum sit: Et flesti, & nostros vidisti flentis ocellos? *Ovid. in Heroid.*

SOlœcophanes est seu apparens solœcismus: *& flesti & nostros vidisti flentis ocellos.* Nam dicendum erat *flentium vel meos flentis*, sicut dixit Lucianus, ὅλως οὗτοι σπαθῶσι τ' ἀμὰ τοῦ κακοδαίμονος: Omninò hi res meas infelicis dilapidant, sic dicitur: Omnes sua ipsorū quærunt. 2. Philipp. Vestras ipsorum laudes. Cicero. Tuum hominis simplicis pectus vidimus, mea periclitantis salus: Meum consulis factum. Cicero. Excusatur autem illud solœcum per figuram, quæ Hyponœa seu intellectio dicitur, cùm dictio non vocem, sed sensum seu intellectum respicit. Per *nostros* enim intelligitur *meos*, sicut apud Ciceronē *nos*, pro, *ego* usurpatur. Nos populo oratores visi fuimus, *id est*, ego. Nostrum studium, *id est*, meum. Sic analogia requirit, ut dicatur πνεῦμα, ὕδωρ, αἷμα, τρία, ut est in epistola Paul. Fides, Spes, Caritas, tria hæc: sed 1. Jo. 5. dicitur: πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα καὶ οἱ τρεῖς: Spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. Hic masculinum tres respicit personas; ideoque sensum, non neutrum genus, quod antecedit. Hæc igitur generis Enallage τῇ ὑπονοίᾳ subjicitur;

tur;

tur, sicut etiam quæ dicitur vulgo σύνθεσις, sed minus commodè, qua nomini multitudinis singulari respondet dictio numeri pluralis. Nomina enim multitudinis seu collectiva, voce & terminatione singularia sunt, sensu verò pluralia, ut: *Turba ruunt.* Minus rectè dixi hanc syntaxin vocari Synthesin. Quid enim Synthesis aliud est, quā cōpositio? Malo igitur vocare Anomaliam numeri vel syllepsin vel intellectionē. Talis est Hebraismus hic Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginē nostram qui dominentur in pisces maris. Hic ponitur *homo* non loco individui, sed speciei, seu ut alii loquuntur, non loco speciei sed generis. Ideò additur *Dominentur*, sicut ait insignis quidam Theologus: *Dominentur* numeri pluralis est appositum singulari, ut intelligamus nomen Adami de specie esse intelligendum sylleptice. Porrò etiā solœcophanes est apud Virg. *Vos ô Calliope precor aspirate canenti.* Usitatius enim dixisset *ô vos Musæ.* Calepinus facit exemplum syllepseωs, qua multi pro uno ponantur. Ego simpliciter interpretor sic: O Calliope, vos, scilicet musæ, aspirate. Nec patrocinatur hoc barbarici, quæ invaluit: Reverende Episcope, oro vos, ut assignetis mihi munus, pro, oro te ut assignes. *Sylleptice & singulariter hic Theologus opponit.*

XII.

Quomodo idem valent Diem obire & mortē obire?

MOrtem *obire* est mori, quia mortem obire est nihil aliud, quàm ad mortem ire seu adire mortem. Prisci enim dixerunt *ob*, pro, ad, ut Ennius, ob Romam legiones ducere. Ob Tiviam ducere exercitum. Cic. Papyrio poetæ; Cujus ob os Graii ora obvertebant sua. Hi dicebant obmoveo, pro, admoveo, sic adhuc dicitur vadimonium obiisse, *id est*, ad vadimonium iisse, & obviā pro ad viam? Sic Crassus diem cædi destinatū non

 obiit,

obiit, *id est*, ad præstitutum diem se non stitit, exhibuit se præsentem, Suetonius in Cęsare. Dicitur tamen etiam *Obire* absolutè, pro, mori & additur ablativo (morte) ut morte obiit repentina, Suetonius in Augusto. Diem obire, quod idem est: mortem obire seu mori. Intelligitur enim dies certus definitusq; nempe dies *Fati, hoc est*, Diem obire est adire diem fati. Cic. Nuntiatū est mihi Marcellum diem suum obiisse.

XIII.

Cur dicatur: Agitare mente & cum mente, pro, considerare seu cogitare. At non, scribere cum penna & penna: Cur scribere cum labore, At non, scribere cum manu?

CUm *in constructione significat societatem vel comitatum & quasi terminum comitantem alios in actione, vel subjectum*: ut, Abiit cū diluculo, *quasi comite*, non autem caussa vel instrumento abitionis. Damnum est cum mala fama lucrum. Vir bonus & cum primis honestus. Scripsi cum labore, quasi *quodam scriptionis jacto*, non autem caussa instrumentóve. Sic dicere cum metu Cicer. Ita si accipias istud Ovid. lib 1. Metamorph. *Terrificam capitis concussit terq; quaterq; Cæsariem* cum quo terram, mare, sidera movit, nō abnuerim *cum qua, id est*, simul cum cæsarie. Scripsi manu, *ut instrumento*, non cum manu. *Caussam enim instrumentúmve motus* aut *quietis significantes præpositione (cum) non utimur*. Itaq; barbarè dicitur *in facetiis Bebelianis*: Non potes te solùm cum septem artibus nutrire. *Dicitur* cum dicto abest, *id est*, vixdum finito sermone, statim post verba (alias: dictum ac factum) At dicitur sine præpositione: Dic uno verbo (ut caussa) mit einem Wort. Cū animo suo recordari vel agitare dicitur, quia idem quod secum recordari, secū agitare bey sich betrachtē, sic Cice-

Cicero, Mecum ipse cogito 2. de legibus Mente vel animo agitare dicitur à Cicerone, Sallustio & Livio) qua mens habet se ut causa. Stella movetur cum orbe suo, ut cum subjecto. Singulare est quod dicitur, *Oblecto me eo*, in eo, cum eo sensu eodem, Oblectare se cum Musis, cum libellis, Ciceronis sunt. Ejusdem est: cum fide aliquid facere. Omnis cũ fide persoluta est pecunia Quintiliani est. Cum eo, pro, ea lege, Columellæ & Celsi est. In mente aliquid agitare, Ciceronis est 1. de Natura Deor. Tuum est, studiose adolescens, majorum vestigia persequi. Rarius absolutè seu per se, *hoc est*, sine adjecto Cic. *Agitare* utitur. 5. Verr. dicit. Quod si ille hoc unum agitare cœperit, *id est*, animo agitare, tractare. At cogitare frequentiùs, ut:

Docto viro quid cogitare? Vivere est. Jamb.

Agitare sermonibus (non cum sermonibus) est tractare sermonibus. Liv. lib. 3. ab urbe. 140. versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaq; re plus minusq; esset, conferrent.

XIV.

Utrum semper Possum *ponatur absolutè, an verò aliquando regat accusativum rei? Post.* Affirmat.

NOnnunquam latini verbo *possum*, pro, valeo adjungunt accusativum rei. Cicer. Eloquentiæ latinæ antistes. Si quantum in agro audacia potest, tantum in foro impudentia valeret. Hoc tu si potes. Respublica, quæ minimum nunc quidem potest. Quoniam id quidem non potest. Sic etiã loquuntur doctissimi Arithmetici & Geometræ, Clavius & Ramus, aliique, qui eruditum pulverem attigerunt. Si latus Octaedri *potuerit* majus & minus segmentum rectæ lineæ extrema ac media ratione sectæ: *Poterit* latus Icosaedri in eadem sphæra, descripti duplum minoris segmen-

 ti, ex

dicitur etiam Tolero te, & toleror à te, apud Cic. aufero te, & aufero à te, abduco te & abduco à te, asporto te, & asporto à te, peto te & peto à te, patior te, & patior à te, recipio te & recipio à te, apage te à me. Sed dicitur etiam, apage sine accusativo, ut: Apage Satana, id est, abi, Matth. 4.

XVI.

Cur & an Verbo Habeo *Latini addant Vocem privationem significantem?*

Verbo *Habeo* in propria significatione, quæ *λέξεως* est; Latini non addunt vocem privantem, ut, non dicunt: Habere paupertatem, cæcitatem. Ille habet surditatem: Ille habet inscitiam. Ἀγνωσίαν quidem ἔχειν, id est, (αὐτολέξει) ignorantiam habere, Græci sermonis est (legitur in novi Instrumenti lib. alicubi) pro eo Latini ignorare. Ac iidem rectè notitiam, scientiam habere. Ratio: Quod habitus est, propriè habetur (sicut cum non habetur propriè carere dicimur, modo res bona sit, non mala. Carere enim quartana improprie à Cicerone dicitur.) Quod privatio est, propriè non habetur. Si objicias locum Ciceronis: Adventus ejus habuit equitatus interitum; Respondeo ibi *Habuit* significare idem, quod secum attulit. Si objicias quod dicunt Latini: Habere febrim, ac febrim esse caloris naturalis privationem: respondeo: Febrem propriè esse rem positivam speciem vitii corporis, seu morbi, ut cùm dicitur: hic equus habet vitium. Singularia: Vulnus habent in capite, Infantes habent peccatum nativum: ubi *στέρησις* haberi dicitur.

XVII.

An dicatur latinè, sonuit horam?

Οὐ τὸ μαθεῖν ἔγκλημα: ἀλλὰ τὸ ἀγνοεῖν κατηγορεία. Discere non est vitiosum, sed ignotare *Chrysostomi est.*

rare reprehensione dignum. Non igitur ignorabis, quod nonnulli è recentioribus dicunt, *sonuit horam*, id per Ellipsin suppositi excusari posse. *Sonuit horam*, scilicet campana (ut memorant scilicet homines, apud Cicer.) sonuit, id est, sono repræsentavit seu significavit. Cicer. Hæc verba re unum sonant, id est, significant. Virgil. *Vox hominem sonat. Sed hora sonuit* displicet: pro eo dices: Hora est audita, datum est signum horæ: horologium est auditum. At enim inquis: *Tempus audiri nequit. Hora est tempus. Hora igitur audita esse dici nequit.* Respon. Concedo conclusionem, si propria locutio spectetur. At si est metonymia signati pro signo, non concedo. Hora prima est audita, id est, auditum est signum horæ primæ.

XIIX.

Utrùm rectè dicatur, Salem quod in te est? *è Terent.*

SOlœcophanes dixeris hoc esse, cùm *salem* masculinum sit, *Quod* neutrum. Ita autem res habet: *Qui habet salem quod in te est*, per observationem, relativum genere neutro aliquando refert totam orationem, quasi dictum est: *Quod* scilicet habere salem. Sic acta agimus, *quæ* vetamur veterum proverbio (Cicer. de amicit.) & *quod* vetamur.

XIX.

An rectè dicatur, Macte Regina?

AD Reginam Angliæ Elisabetham Johannes Serranus: Macte igitur illo tuo verè philosophico ingenio illustrissima Regina, macte veræ religionis serio amore, clementia, bonitate, verè regia eruditione, prudentia, fortitudine, justitia; macte deniq; tot tantisq; verè regiis virtutibus, quibus summo Dei munere, magnam felicitatem es consecuta. *Macte* adjectivum est Masculinum. Ergo necesse est hîc macte accipiatur adverbialiter: ut Græci dicunt εὖγε τῆς ἀρετῆς. Multæ enim sunt

voces

voces vel etiam orationes, quæ vim naturamque adverbiorum ac propemodũ interjectionem induunt. Præter affectum enim quendam nihil animis subjiciunt, hoc tantùm ab interjectionibus diversæ, quòd voces sunt Latini populi, magis instituto, arte legeque constantes, non naturales & inconditæ: ut, *Ha, Hui, Phui, Oh, &c.* Sodes, blandientis est: *A* pagesis, corripientis. Quid malum? detestantis: Jo Bacche, afflati: Jo triumpe, exultantis: Amabo, amabo te, amabimus te, blandientis. Sic Macte approbantis, laudantis, rectè facientis simulq; hortantis. Sic Dialogographus: O factum præclare: Macte nova virtute puer: sic itur ad astra. Sed ut ad Serranum redeam, pro, Macte ad regulam si loquare, dixeris etiam *Macta* (quasi magis aucta) Macta ingenio Regina. Tu pressius quod de Macte attulimus considera & candidus imperti, si quid habes melius.

Is loquitur impurè, qui euge construit cum Accusativo, ut: euge verò candidum hominem.

XX.

Sum pro Prætore, sum pro Magistro, & pro Consule.

IN disceptationem pono quod volunt quidam, *Propratore* dici una voce composita, sicut & *proconsule*, ut *propratore* idem sit, quod *proprator*, proprætoris proprætori; & *proconsule* idem quod *proconsul.* Ego quidem statuo *pro pratore* & *pro consule* esse duas voces, & *pro* significare Loco (græce ἀντὶ) sic dicitur: sum pro prætore, id est, loco prætoris, seu proprætor sum. Qui sunt pro Prætore. Esse pro Rectore. Esse pro Magistro. Sic Poëta est *pro tibicine*, in versu aspectans sylvam immensam, & sic fortè profatur, non ipse tibicen ait Scalig. lib. 2. de re poëtica: Probatur illud inde, quod Cicero dixit etiam *mitti pro consulibus*, id est, pro consules. Mitti pro prætoribus, id est, loco prætorum, seu proprætores. Bella enim à pro consulibus, & pro prætoribus administrantur, eodem sensu ab eodem

Tibicines dicuntur particula quib. versuũ hiatus replentur, alioquin nihil faciẽtes ad sententiam.

Cicero.

Cicerone dicitur. Sic qui sunt à Platone (Græcè οἱ ἀπὸ Πλάτωνος) Cicero dixit pro Murena, pro Academicis.

XXI.

Quomodo latinè dicatur: Nulli omnium celeritate inferior. Nulli rei bellicæ laude inferior?

USu potiùs veterum quorundam, quàm regula, seu arte videantur hæc locutiones: *Nulli omnium celeritate inferior est.* Plin. Nulli rei bellicæ laude inferior est. Sallust. Cùm enim dicitur: Nihilo te doctior est: Major me uno digito est, ex regula: Comparativus adsciscit ablativum rei superatæ. Sic analogia requirit, ut dicatur, *Nullo omnium, &c. Nullo rei bellicæ laude, &c.* Ego verò non dubito dicere, Ratione latinis esse, quæ est. Dicitur: Nulli cedit rei bellicæ laude: pro (cedit) etiam dicitur inferior est, manente casu Dativo, sic Virgil. Haud ille veterum virtute secundus, id est, nulli cedens virtute veterum. Vel adjectiva paritatis & similitudinis & contrarii adsciscunt dativos: ut, par illi, sic impar illi, secundus illi.

XXII.

Quomodo Latinum sit, Ferre alicui accepto, *pro acceptum?*

UTrunque Latinè dicitur: *Acceptum tibi fero, & tibi fero accepto.* Sed posterior à vulgi more maximè abducta locutio. Johan. Bodin. puri sermonis castus, si quis alius, amator, lib. 3. Theat. nat. *Perspicua demonstratione doceri potest, omnem cognitionem deberi animæ nec sensibus quicquam accepto ferendum,* id est, *acceptum*. Et paulò post: si ullam sensus ipsi cognitionem habent, si ullam vim, totum, inquam, precario habent & animæ accepto ferre oportet, id est, *acceptum*, τὸ ὅτι teneo: τὸ διότι, non teneo. At non tantùm sciendum latinos ita loqui, sed etiam cur ita loquantur.

tur. Afferes igitur huc regulam: Verbis sum, pro, affero, do, habeo, duco, verto, venio, eo gemini dativi junguntur, quorum alter personam, alter commodum aut simile significat; ut, est mihi fraudi, venire alicui subsidio, hoc vertitur tibi vitio, probro, zur Schandt: vel si mavis hanc Græcorum, (ut Græcismus sit.) Adduntur verbo substantivo interdum gemini dativi, quorum alter est participii significans qualitatem: ut, εἴ σοι ἡδομένῳ ἐστὶ, ad verbum; si tibi grato est, id est, gratum (pro quo etiam græci εἰ τοῦτό ἐστι πρὸς ἡδονὴν, ad verbum, si hoc est ad voluptatem: Latinè, si hoc est voluptati.) Huic constructioni affinis est, Alicui ferre accepto. Antiptosis hæc græca est, in qua casus sequens seu posterior cōvenit ἀνωμάλως cum antecedente: ut, est illi nomen Faustulo. Præterea ut utrunq; dicitur; dare nuptum & nuptui, do tibi dono & donum, sumo mutuo [ut fœnori apud Plaut.] & mutuum: sic acceptum fero & accepto fero. Ut utrumque dicitur, habeo hoc despicatum. Ter. habent adolescentiam nostram despicatam. Ter. & habent despicatui [Plaut. & Cic.] id est, despectui seu contemtui seu spernunt: Sic acceptum vel accepta vel accepto fero. Sed in περιστάσει dissimilitudo hæc est, quod non dicitur: Habeo hoc despicato vel despecto. Porrò constructioni cum dativo aliquomodo similia hęc quoq; sunt: *Vitaq; mancipio nulli datur omnibus usu*, id est, *usui*. Mancipio, id est, ita do, ut evictionem me præstiturum spondeam. Mancipio accipio, id est, ea lege emo, ut tu venditor præstes evictionem. Deinde ut dicimus; Quæ dedi ei mutua. Cicer. sumere, accipere pecunias mutuas, sic: *Hæc accepta tibi refero. Has res acceptas tibi refero.* Ad extremum, *Hoc acceptum fero* ad eam constructionem refertur, ad quam hæc:

Inul.

Inultum hoc nunquam auferet. Sacrum an profanum habeas, parvipenditur. Tale periculum reipublicæ haud occultum habuit. Ipsum habeo suspectum. Satis jam habeo dictum, quæ Terentii, Ciceronis, Sallustii, Livii & Plauti sunt. Eadem cõstructio est vocis *expensum*, Cæl. Ciceroni. Mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit (Cæsari Pompejus) Idem, cùm tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent, quid prodeerat tibi expensum in illis non tulisse. Dicitur etiam eleganter: Hoc Deo in acceptis refero, quod genuinum huic; Habere aliquid in despectis.

XXIII.

An & cur non dicatur Aliquid salutaris, *pro*, *aliquid salutare: ut dicitur aliquid sani. Et cur non dicatur* Aliquod salutare?

Elegans atticismus est, cum adjectiva neutro genere & genitivi usurpantur pro adjectivis & substantivis genere numero & casu convenientibus. Ac eandem habent constructionem substantiva, *Quid, Aliquid, Nihil*, ut nihil novi, id est, nulla res nova. Sed videndum ubi locum habeat. Dicitur enim: Quantum nummorum, tantum habet & fidei, sed non; Quale nummorum tale fidei.

Dicitur multum vini, plus vini, sed non dicitur magnum vini, majus vini, longum corporis, pro eo quod est, longum corpus. Dicitur aliquid commodi, jucundi, boni, novi, absurdi, sed non dicitur aliquid utilis, suavis, dulcis, impossibilis, pro aliquid utile, &c. Dicitur quippiam boni, quodcunq; militum: sed non, nullum boni, quoddam boni, aliquid boni, pro aliquod bonum. Non igitur habet locum hic Atticismus in Adjectivis, quæ referunt qualitatem, ut tale quale, aut quantitatem continuam significant, ut longus, altus, latus.

Etsi

Etsi enim profundum maris inveniatur, tamen non est id profundum mare; sed profundum pro profunditate positum est. Nec in genitivis adjectivorum tertiæ declinationis.

Porrò non dicitur aliquod utile, aliquod jucundum, quoddam subagreste (sed quiddam subagreste apud Cicer.) quia duo adjectiva non conjunguntur eodem genere, numero & casu.

At dicitur aliquod bonum, nimirum quia *Bonum* substantivè accipitur, ut pecunia est bonum necessarium & utile.

Conjunguntur tamen duo adjectiva per Asyndeton, ut optimus maximus, hoc est Opt. & Max. Argentum purum putum: & sine Asyndeto; ut sequentibus exemplis: Pessimus quisque, Eximius quisq;, Præcipuus quisque, Primo quoq; die, Decimus quisq;, Felicia quæq; tibi opto, Omnes gravissimas injurias. Omnes clarissimi viri, senes. Omnibus antiquissimis civibus Cicer. Omni gradu amplissimo dignissimis. Cic. Quem ego infra infimos omnes puto homines; Ter. Hæc enim copulatio habet locum in particulis universalibus quisq; & omnis, sic omne nimium, omne carum, omne alimentum dulce, quicquid est nimium, &c.

Cur dicere licet quodlibet verbum, quodcunque animal, non quidlibet verbum, non quidcunq; animal? Quia dicitur quod verbum, non quid verbum: Cur ita? sane quid verbum per appositionem dici nequit; quia in appositione propter cognationem & consensionem unum declarat alterum, ut animal capra. Hic re & subjecto non differt animal à capra, ut genus à specie. Talis declaratio in proposito exemplo non fit. Cave igitur hîc non tam in Atticos exactissimos omnis elegantiæ judices, quàm in Grammaticos pecces graviùs, quos vel subodorari mihi religio est.

l *Quid*

XXIV.

Quid est hoc: Paulus *potius vitam cum morte commutavit, quàm mortem cum vita?*

MORTEM cum vita commutare, est ex vivo mortuum fieri, vitâ cedere, inter vivos esse desinere. Hic Horatius Od. *17.* lib. 1. *Amœnum sæpè Lucretilem mutat Lycæo Faunus*, id est, ex Lycæo Arcadiæ monte frequenter in montem Lucretilem commigrat. Vitam cum morte commutare, contra est, vitam pro morte recipere, ex mortuo vivum fieri. Sic favorem suum in aliquem odio commutare, **einem feind werden /** odium suum in aliquem favore commutare, **Einem widerumb günstig werden.** Cùm igitur dies mortis vitę æternæ natalis sit (ut dulcissimè hoc disticho:

Vita quid est præsens? Via vitæ est, vivere quando
Incipimus, quando vivere desinimus.)

Mortem cum vita commutans, simul etiam quodammodo vitam cum morte commuto, etsi propriè absoluteque hoc fit in universali mortuorum resurrectione.

EMBLEMA.

Mors mihi pro lucro est, mors est reparatio vitæ,
Ut morior mundo, sic superis orior.

ALITER.

Funus habet fœnus: Mors est renovatio vitæ;
Qui moritur mundo, nascitur ille Deo.

XXV.

An latinè dicatur Mea coqua? *ex quo incidit mentio de Tyranna & Architecta: Et ratio affertur cur veteres non dixerint, mea coqua?*

HEnricus Stephanus in erudito quodam Epigrammate usurpavit *meam coquam*, pro quo aliquando substitui, meum coquum, quòd *coqua* apud veteres latinos nusquam inveniam. Id autem ex eo esse apparet, quòd mulieres Romanæ olim

non

non coxerint ut Græcæ. Unde Plutarchus in libr. Problematum Romanorum quærit, cur id apud Romanos fieri non soleret. Facta, inquit Scalig. 3. Poëtices pag. 383. de raptu cum Sabinis pace, inter eos convenit, ne eorum uxores molerent neque coquam facerent. At verò cùm hodie usitatum sit, ut coquant fœminæ, cogita an ex Coquus *coqua* fieri possit. Nostræ promunt & condunt. Quare ex *promus condus*, *proma conda* facere, an fas sit, similiter cogita.

Latini sermonis ego Aristarchus nec esse possum, nec volo, nec debeo. Propendeo tamen huc: Græci ex Ταμίας qui promus est, fœmininum ἡ ταμὶς deducunt. Hæc igitur vox, proma verti potest. Sic putarim *coquam* nunc dici posse. Exemplum habeo i. Pont. qui coquam accipit pro ancilla, quæ focum colit & culinaria est, quæ etiam dici possit Focaria. D. Hieron. enim μαγειρίσσας Focarias reddidit. Scaliger lib. 3. poëtices à *Tyrannus deduxit tyranna*, ut à Dominus est domina, à servus serva, à discipulus discipula: jurisprudentia ex matrono facta est meretrix, ex Regina tyranna, ex matre noverca pag. 206. Apud veteres latinos hoc πεποιημένον non reperies. Sicut nec fœmininum architecta (ab architectus) quo magnus quidam vir uti non dubitavit sic: Architecta relinquatur, doctrina politica seu civilis. *Nolim hoc te imitari*. Nam Architectus vox prorsus immobilis est. Itaq; ego dixerim, politica dicta est reliquarum architectus, vel architectatrix: seu politica reliquis disciplinis imperat: politicæ legibus, reliquæ sunt subjectæ. Politica est ars ἀρχιτεκτονικὴ, Arist. 2. phys. cap. 2. id est, princeps & imperans, non ποιητικὴ, id est, effectrix & ministra.

Al. atriensis fam ula, Ein Beschliesserin / procuratrix peni.

Sic dicere malo *Consuetudo tyrannus*, quam tyranna.

ranna. Equidem consuetudinem istam immanem, istam (ut Augustinus appellat) beluam ferumque tyrannem expugnarem, scribit Franciſc. Junius in præfatione quadam ad Illustriſs. Hassiæ Princip. Guilielmum.

Astrictioribus quàm laxioribus, solutioribus & liberioribus verborum licentia nobis esse convenit. De muliere etiam nolim te dicere *Oeconoma*, pro hac placet periphrasis, *gubernatrix domus, dispensatrix rei familiaris*. Sic displicet mihi *fœmina philosopha*, pro, fœmina Philosophus. Lipsii Epistola *philologa, theologa, philosopha*, pro Epistola philologica, theologica, philosophica à philosophis recipitur.

Apud Philosophos enim nostros sæpè occurrunt prædicatio Synonyma (ego malo Synonymica, analogica, homonymica, paronymica) analoga, homonyma, paronyma, lineæ parallelæ concio orthodoxa. Sic Græci diunt ὁ κ, ἡ παράσιτος, latini parasitus, parasita. Horat. ferm. Satyr. 2.

Pandecta Florentini vult dicendum Henr. Stepha. quòd Pandecta à πανδέκτης sit generis masculini. Terminatio enim nominum in ης 1. declinat. est masculinorum.

XXVI.

Domina & domicilium *sunt combusta: uxor & pignora mihi cara sunt, cur rectè dicitur? At non rectè. Dominus & mancipium sunt occisa?*

SYlleseos doctrina exemplaq; doctis etiam interdum aliquid negotii videtur facessere. Notentur igitur hæ regulæ: *Duo masculina vel masculinum & fœmininum substantiva, adjectivum masculinum: duo fœminina adjectivum fœmininum vel neutrum postulant:* ut liber & culter meus sunt amissi (non amissa) Pax & pacis ministri æterni. Doctoris

ctoris & urbis quorum Orthographia & Prosodia sunt fusæ per Etymologiam. Sallu. Cupido pecuniæ primo, deinde imperii ea quasi materies omnium malorum fuere. Psalm. 8. Lunam & stellas, quæ tu creasti. Interpres Aristotelis: Potestas & divitiæ propter honorem expetendæ: in græco (4. Ethic.) est expetenda, αἱ δυναστεῖαι καὶ ὁ πλοῦτος διὰ τὴν τιμὴν ἐστὶν αἱρετά. Isocr. ῥώμη καὶ σωφροσύνη ἅπερ, virtus & modestia quæ, (in genere neutro.) P. Manutius: Gratulor omnibus qui probitatem & virtutem prima ducunt.

Si alterum substantivum sit generis fœminini, alterum neutrius: adjectivum adjicitur genere neutro, ut Ancilla & domicilium sunt combusta. Uxor & pignora sunt mihi cara. Sallustius: Divitiæ, decus & gloria in oculis sita sunt.

At Livius: *Latium Capuaque agro mulctati:* non dicit mulctata. Respondeo: Cum hac Syllepsi conjuncta est Synthesis, seu intellectio. *Mulctati* enim refertur ad incolas & cives, qui per Latium & Capuam intelliguntur μετωνυμικῶς. *Object.* *Solut.*

Si alterum substantivum sit generis masculini, alterum neutrius, adjectivum adjicitur interdum genere masculino, ut: Virg. Cæsosque reportant, Alcinonem puerum fœdatique ora Galesi. Sic Dominus & mancipium sunt cæsi, non cæsa. *Interdum genere neutro;* ut, pulcritudinem, constantiam, ordinem in consiliis, factisque conservanda putat. Illic masculinum substantivum personam significat. Hic verò rem inanimatam & rationis expertem. Doctiores de hisce judicent. Non enim ita obvia sunt iis, qui Grammaticen ne de *a* facie quidem noverunt.

a Hoc est tenuiter seu leviter.

XXVII.

An cùm dicitur, Propius urbem, *Propius sit Adverbium?*

QUidam ad regulam : Adverbia derivata plerunq; casus primitivorum suorum adsciscũt, (ut difficilimè factu, sicut difficile factu, Cicero.) apponit exempla Ciceronis, *propius urbem castra movit* (quale & hoc, *proxime hos cari*, nechst denen Lieb/) & Varronis: *Villici proximè januam cellam esse oportet*. Verùm hæc exẽpla mihi incõgrua esse videntur, eo quod in iis *propius* & *proximè* sunt Præpositiones derivatæ seu repertæ, quibus additur accusativus ut primo seu origini *Prope*. Julius Scaliger hanc Syntaxin sæpè imitatus est.

Nihil propius terræ naturam est. In comment. ejus de Plantis. Propius veritatem fuere qui, &c. lib. 5. de causis latin. ling. cap. 14. & in exercit. Quod à nomine propior esse non potest. Dicitur enim propior vero: Propius vero apud Livium. Propior autem comparativus est à *propis* ἀγχίςω, ut prior à *pris*. Hoc igitur teneatur: *prope* præpositio seu præverbium juncta accusativo comparatur *propius proximè*.

XXIIX.

An Antiptosi attica dictu sit ab Horatio : Docte sermones *utriusq; lingua* ?

F*Eceris haud quicquam nisi quod fecisse necesse est*, rectè monet vir sapiens. Nos igitur non necessariis multa salute dicta quæ necessaria sunt agamus? In iis habeo propositam quæstionem. Inter Atticismos refertur *id genus alia* pro, ejus generis alia. Talem atticismum quidam volunt esse in Horatii isto lib. 1. car. od. 8. *Docte sermones utriusq; lingua*, pro, sermonum. Sed labuntur illi. Ex analogia enim defendi facilè potest illud: sicut enim dicitur per regulam: Passiva transitivorum, quæ adsciscunt duos accusativos alterum personæ, alterum rei, retinent casum rei, ut *Doceor Grammaticam*, sic etiam dicitur, *doctus Grammaticam*. Participia

ticipia enim suorum thematum seu verborum constructionem sequuntur. *Docte* autem *sermonum*, dicitur per regulam: participia cum in nomina degenerant, hoc est, sine temporis adsignificatione genitivum adsciscunt. Dicitur & *doctus latinis literis*, sicut *eruditus latinus literis*, ut præditus sapientia; & fessus cursu & usu peritus apud Ciceronem per regulam Ablativ. caus.

Sic rudis variè construitur, *Rudis artis*, *rudis in arte*, in jure civili Cicero, *Rudis ad bella*, Livius 4. bell. Pun. *Rudis arte*, Poëticum est per Ellipsin præposit. *in*, vel *arte* exponendum, quod attinet ad artem. Sic Cicero: Quis Octavio ingenio prudentior, quis jure peritior? hic etiam poterat juris peritior & juris consultior dici. Sic jureconsultus, sed una voce. Quidam cui mortuo bene sit, in prosa sine probati auctoris exemplo scripsit *imperitus literis & artibus*. Itaq; hoc non imitaberis. Porrò locutio rudis *ad bella*, &, quod Ovid. habet, *Rudis ad partus* defenditur hoc canone:

Adjectiva quæ dispositionem seu affectionem ad aliquid significant accusativum adsciscunt interveniente præpositione: ut proclivis ad libidinem, propensus ad literas: Natus ad bella: Aptus vel ineptus ad lyram. Forma apposita ad dignitatem: Per appositum istud nobis ad hoc: Invia virtuti ad honorem nulla via est. Ad usum, ad disciplinam belli peritus. Cicero. Idem genitivum & accusativum conjunxit hîc: Jurisconsultus qui legum & consuetudinis ad respondendum & cavendum peritus sit. Sed quo delabor?

XXIX.

An dictiones compositæ ex græca & latina, vel latina & græca sint probæ?

REprehenduntur à doctis *Monoculus* (pro) unoculus seu μονόφθαλμος, *Bigamus* (pro)

 dig-

quia tonus, monachus, obolus, syllaba, diameter usu facta sunt latina. Dicitur tamen etiam recte *barytona, dissyllaba polysyllaba*, ut, *ditonus, tritonus.*

Hippopera, ein Sattelstasch/totum græcũ est, ab ἵππ☉ & πήρα, sic quoq; Navarchus, pro, profecto navis, qui nautis imperat, & Naupegus, pro fabricatore navis.

Archigubernus, pro principe seu præfecto classis Jaboleni est ad Senatusconsult. Trebell. Observabis hoc, non imitaberis, idem ferè sentio de voce græcolatina *Protonotarius*, quanquam *Notarius* recens confictum vocabulum est. Dignitatis & δυναστείας nomen *Archidux*, victus tyranno consuetudine usurpo, ut *Archiduci Austriæ &c.*

Aurichalcum scribunt, quod compositum putent ex auro & ære addita Cadmæa terra, vel quod habeat auri colorem: Ita fuerit vox latinogræca. Sed ego malo Orichalcum vel Orechalcum, græce ὀρείχαλκον, quòd in montosis locis inveniatur.

Nigromantia latinogræcum indocti induxerunt, quos secuti Germani dicunt, die Schwartzekunst. Tu cum doctis dices: Necromantia: quod totum græcum est, à νεκρὸς mortuum, & μαντεία divinatio.

XXX.

An Pluri succo *dicatur latine?*

IN exer. Scal. 22. est, *propterea quàm plurimo tenui succo esset opus nobis: multo sanè pluri, quàm quantum ventriculo capi posset*: At certum est, *plus* generis neutrius esse: *Succus* v. generis masculini. Dixerit ergo aliquis non abs re à Scaligero commissum esse solœcismum contra Canonem cõvenientiæ: *Adjectivum & substantivum genere, numero, & casu conveniunt.* Ego verò putarim Scali-

ligerum non sine ratione ita scripsisse seu locutū esse. Scivit Grammaticus doctissimus & latini sermonis peritissimus Priscianum docere; *Etsi plus generis neutrius sit in obliquis: tamē in plurali numero esse trium generum*; & Donatum, antiquos dixisse, *hic & hac pluris & hoc plure*, pro quo nunc plus dicimus. Solœcophanes igitur, non solœcismus est in Scaligeri locutione.

An solœcismus sit primorem ætatem?

Dixit & Scaliger *primori* in Ablativo, & *primorem* hominis ætatem, imitatus Catonem & Gellium. An nō, inquis, hic solœcismus? Ætas enim fœmininum est, primores masculinum. Respon. Auguror fuisse apud Priscos adjectivum *hic & hac primoris & hoc primore*. Itaq; cùm dicitur *primoribus labris*, q̄uidam eruditi dixerunt, ibi *primoribus* esse adjectivum genere neutro usurpatum, in nominativo tamen & accusativo *primora* vel *primoria* non dici. Sed de hoc deinceps.

XXXI.

An cùm dicitur primoribus labris (*id est, leviter gustare & attingere*) *& à Scal. primores ab ortu suo dies*: primores & primoribus *sint substantiva?*

SI non placeat tibi esse adjectiva, dicas sane esse substantiva, sed quæ sustineant vicem seu officium adjectivorum. *Primoribus labris, id est*, extremis vel primis: sic cùm dicitur, *princeps omnium debet esse exordium*, si neges *princeps* esse adjectivū, necesse est ut dicas esse substātivum, sed quod obeat vicem adjectivi *primum*. Principes enim exordia & primores labra non dicitur. Sic à substantivo fœminino *victrix* est *victrices & victricia*, ut victricibus armis, victricia arma (non victrices arma) ubi significatio adjectivi manifesta est.

XXXII.

Quomodo sit oratio latina, Vinum saccharites?

Vinum

I. VInum *saccharites, glycyrrhites, absinthites, hyssopites* quidam volunt esse dictum per intellectionem seu Synthesin, ut *hissopites, saccharites* respiciunt græcam οἶνος, & simile sit illi: Docete omnes gentes, baptizantes eos. Non placet mihi hoc, quia longius petitum.

II. Indocti putant regulæ, *Adjectivum & substantivum conveniunt genere, numero & casu*, hæc exempla esse. Non esse generis neutrius talia, ostendunt terminatio græca & tonus ὑσσωπήτης γλυκυῤῥήτης.

III. Pertinent igitur eò, quò istud, *Opes irritamenta malorum*: vocant Appositionem seu convenientiam substantivi cum rei cognatæ substantivo in casu.

XXXIII.

An dicatur, vendere pro numo, auro: & qua ratione Horatius excusetur?

Ἀμήχανον τὰ μεγάλα πρὸ τῶν μικρῶν παιδευθῆναι Philonis est. Nō potest fieri ut magna discantur ante parva. Et sum ὁμόψηφος. Grāmaticæ igitur quęstiones, quibus lingua informatur, non sunt negligendæ. Inter has & hæc una est. *An dicatur emere, vendere pro numis* 10. In Arithmeticis quorundam horridè inculteq; loquentiū occurrunt tales locutiones. Et alias vulgus, quod vel vitiosam consuetudinem pro sanctionę habet, ita loquitur: *Comparare seu emere* pro duobus aureis. Ubi præpositio pro, redundat. Nam Verba æstimandi & mercandi habent ablativum sine præpositione: ut *vitiosa nuce, fumi umbra non emerem*, libertatem nō permutarim regno. Magno venit, magno stetit, (scil. pretio) Cic. cur tantulo venierunt? *id est*, tam parvo pretio. Sic Virgilius, vendidit hic auro patriā. At Hororatium mihi objicis.

Non

Non bene pro toto libertas venditur auro. Respondeo, Horatium imitatum esse Græcos. qui interdum verbis contractis addunt genitivum cum præpositione ἀντὶ, *id est*, pró: Ut Euripides in Cyclop. ἀνθ' οἴνου σκύφου ἀπημπόλα (pro vini scypho vendebam) Lat. vini scypho vendebam. Pro nihilo ducere. παρ' οὐδὲν ἡγεῖσθαι seu τίθεσθαι) satis probatum est & convenit cum illo: *Vulgus habet consuetudinem pro lege*: quia judicium hic potiùs, quàm æstimatio significatur.

Apud Ciceronem tamen pro Sestio est: Oppignorare libros pro vino.

XXXIV.

An integra sit Regula: Comparativa adsciscunt ablativos? Neg.

Dicendum sic est: *Comparativus adsciscit ablativum*, qui exponitur per particulam *quam* & nominativum; vel, *Comparativi adsciscunt ablativos res superata*: ut, virtus pretiosior auro, *id est*, quàm aurum. Hîc aurum minus est & exceditur seu superatur à virtute. Itaque cùm dicitur à Cicerone: Quis Octavi ingenio prudentior; hic est me præstantior eruditione, iste nihilo te doctior est; & quæritur, quo canone dicatur, *Ingenio prudentior*; *præstantior eruditione*; *nihilo doctior*: non est afferendus canon, *Comparativi adsciscunt*, &c. sed canon; *Ablativus caussa, subjectivi vel modi* actionis additur adjectivis) nonnunquam etiam substantivis: ut amore frater, titulo Doctor) vel specialior ille: *Tanto quanto & similia comparativos regunt.* Cum dicitur longior sesquipede. Membrum justo longius tardum est, ait Quintil. Est lõgior me; Non dicitur hoc per regulam comparativorum: Quia *justum* non redditur per *Quam justum*, sed per *Quam justum, seu Par est*: justo longius *id est*, nimis longum; & quæritur quomodo oratio latina

latina sit, *longior sesquipede*: Regula de comparativo responderi non potest, sed ista: Adjectiva dimẽsionem significantia recipiũt ablativum mensuræ excessum significantis: major me uno digito, μείζων ἐμοῦ ἑνὶ δακτύλῳ. Sed quid ego hæc quæ perquã trita in vulgus & tãtùm non proletaria sunt?

XXXV.

Cur dicitur: Tota mihi dormitur hyems (*sic loquitur glis apud Poëtam veterem eumq; gravem*) *An non dormimus per hyemem & in hyeme?*

SIcut dicitur à Cicer. vivere annum: totos dies scribo. Totos dies atque noctes de Repub. cogito, per regulam *de verbo cum accus. temp.* Et vivere vitam, per regulam *de neutris seu absolutis cũ accusativo cognatæ significationis.* Sic illa ratione dicitur *dormit somnum Endymionis.* Hac verò *dormit totam noctem.* Porrò illinc dicitur, *dormitur ei somnus*, hinc verò *Tota illi hyems dormitur*, ut mihi noctes vigilantur apud Ovid *pervigilata est mihi una nox.* Sic dicimus, noctes laboratas. Sed paulò alia significatio est, cùm nominativus tẽporis antecedit: Tota hyems ei dormitur, *id est*, dormiendo transmittitur, consumitur seu teritur. Sed relinquamus hoc & veniamus ad id, quod utilitatis majoris est.

XXXVI.

Cùm dicitur: Interest tua, refert mea hoc dicere, tua, mea, sint ne Accusativi an Ablativi?

SEntentia vulgata est, verbis *interest, refert* addi Ablativos, *mea, tua, nostra, vestra*, ut: Cicer. illud mea interest; ut sensus sit, in re mea est, *id est*, in mea utilitate. Ab hac sine caussa evidenti non est recedendum. Donatus ait, esse plurales Accusativos neutrius generis substantivè positos. Et favent Scaliger & Sanct. vir acri judicio. Ac primum

eam

eam propugnant contra Frischlinum, qui posteà eam deseruisse videtur, vel certe languidius tueri. Scaliger autem ut sententiā suam probabilē faciat, sic resolvit locutiones istas, *inter mea* (scilicet *negotia*) est hoc dicere, *id est*, partes meæ sunt hoc legere. R*efert mea* hoc legere, *id est*, repræsentat mea negotia, ad meas res pertinet. Scaligeri Interpretationem consumere videtur Plauti illud in Pers. Quod ad me, aut quod ad meam rem refert, &c. etsi tunc est quippiam in rem, *id est*, si hoc interest. Et hoc Cic. lib. 2. Acad. Ad id quod agitur nihil interest. Utram ego sequar partem quæris? Propendeo magis in hanc, quæ Ablativi assertrix est, cùm rationes ferè sint æquilibres.

Tu fortè sententiam in vulgus propagatam retinueris, esse nimirū ablativos fœmininos, quòd videas Græcos dicere *μοι τύτυ μέτεςι* (non ἐμοὶ) hoc mea interest, vel hujus rei sum particeps: & Μέλει *μοι τύτυ, τί σοι τῦτο διάφορεν* (non σὺ) quid hoc tua refert seu interest, & scias *refert* habere primam longam, ut *re* Ablativus longus est, cum contra *re* præpositio brevis sit. Lucretius: vide refert nobis victor quid posset.

Deniq; etiam invenias, pro, interest, in re est, in re mea est. Livius: Quid enim in re est aliud si plebeam potentiam dixerim.

Plauti: utrū veniat vel ne, nihil in re est mea. Barbari j-cti est, *non interfuit capitulo*; pro capituli.

XXXVII.

An oratio sit praeceptis Grammatica congrua: Ex jure manu consertum venire?

M*Ultis praeessem, qui aut interdicto tecum contenderent; aut te ex jure manu consertum vocaret, quod in alienas possessiones tam temerè irruisses*, est apud Cic. 1. de Orat. Hæc autē formula orta est ex lite vindiciarum, in qua ex duobus litigantibus

tibus alter alterum ad cõferendũ manu in rem, de qua lis esset, vocabat: atq; simul in agrum profecti aliquid ex eo in jus ad Prætorem deferebant, ut in duabus glebis tanquam in toto agro vindicarent. Cicero pro Muræna, veterem formam manu conserendi his verbis expressit: *Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est: eum meum esse ajo, inde ego te ex jure manu consertum voco*, tum defensor ait: *unde tu me ex jure manu consertum vocasti, inde ibi ego te revoco*. Ego puto hoc dictum per appositionem, quam vocant Grammatici, sicut interdictũ, unde vi, ut manu consertũ; & inde vi, pro substantivis generis neutrius posita, appellationes sunt Synecdochicæ, quia pars quædam juris & interdicti sũt. Talia sunt lege *si mulier*. § *jura autem*. Adversaria nondum vidi, ideo jure amplio, ne audiam illud μηδὲ δίκην. *Synech, partis pro toto.*

Synecdoche hîc partis pro toto est. Non tamẽ nego. (Ex jure manu consertum vocare) etiam sic accipi posse, ut (ex jure) dictum sit per regulam de Præposition. (consertum manu) per regulam de construct. verbi cum ablativo (vocare consertũ,) *id est*, ad conserendũm, per regulam de Supin. cum verb. Postquam enim (ut ait Gellius, de rei vindicatione, quæ olim in re præsenti ex duodecim tabulis jure fiebat, loquens) prætores, propagatis Italiæ finib. mandatis jurisdictionib. negotiis occupati, pacisci vindiciarũ dicendarũ caussa, longinquas res gravabantur: institutum est contra duodecim tabulas tacito cõsensu, ut litigantes nõ in jure, *id est*, apud prætorem, manu consererent, sed ex jure manu consertum vocarent, *id est*, alter alterum ex jure, ad conserendum manu in rem, de qua ageretur, vocaret, hoc est, ex eo loco, in quo isti constitissent, apud prætorem (qui locus jus appellatur) in agrum controversum descenderent, *Vindicatio hodie judicium petitorium vocatur.*

derent,ibiq; absente prætore manum consererent non in jure,ut antea. Neq; enim absente prætore locus controversus jus appellabatur. Conserere autem manu (vel manum) alias propriè dicimus cum hoste:pugnare cum hoste, &c. streiten. Itaq; in judicio manum conserere, per metaphoram, est verbis quasi digladiando disceptare, quod solet fieri cùm bona sunt litigiosa, streitig. Vide de formulis antiquitatis Oldendorpium, quæ adjectæ sunt ad progymnasmata fori.

XXXIX.

An in Terentii Eunuchi Prologo rectè legatur Senarius: Habeo alia multa quæ nunc condonabitur: Affirmatur.

IN Terentianæ Eunuchi prologo quidam legũt: *Habeo alia multa quæ nunc cõdonabitur:* alii,quæ nunc condonabuntur. Posteriorem lectionem qui defendunt, respiciũt eò quod nunc dicimus; condono tibi hoc,non condono te hoc,seu hanc rem. Qui priorem tuentur, considerant constitutionẽ jambicorum versuum, qui respuunt ultimo loco spondæum,ac admittũt tantùm jambum. Ad hos ego accedo, præsertim cùm inveniam veteres etiam dixisse; *Condonatus est hac,condono te pecuniã,* vel *debitum*. Terent. in Phorm. 5. 8. Argentum quod habes,condonamus te.

XL.

An Valdius *Horatianum, sit comparativus à* Θετικῷ *valde?*

VAldè dici nunc contractè pro (valide) & valdius deductum esse à valde,docet Calepinus, Ego non admodum repugno. *Valde* esse à *valide*, primum probat productio finalis e. Deinde quòd pro(calidum) veteres *caldum* dixerunt. Si tamen quæram ex puero: *Valde* habétne comparativum? malim eum respondere negatè. Si porrò quæram

ex

ex eo: Cur igitur Horatius dixit *Validius* malim cũ respondere, Horatium adhibuisse validius (comparat: contractum) pro (validius) à positivo seu absoluto *Valide*, sicut *puertia* pro pueritia idem dixit.

XLI.

An rectè dicatur (Charta pro derelicto habita?) Affirmatur.

Sic loquuntur Latini: *E chartis meis, quas pro derelicto habui.* At inquis, Elementa loquendi docent, dicendum *pro derelictis* (scilicet chartis) Resp. *Derelicto* accipitur in neutro genere, pro re derelicta. Sic Cicero ad Atticum: Hæc oppida atque oram maritimam illam pro derelicto habere. Jabolenus de stipul. servorum, L. quod servus stipulatus est. Quem Dominus pro derelicto habebat, est nullius momenti, quia qui *pro derelicto rem habet*, omni modo à se rejicit. Ubi etiã nota, declarati phrasin, *id est*, explicari quid sit rem *pro derelicto habere*, Pro eodem dicitur à Gellio, *Habere derelictui* res aliquas, libros aliquos.

XLII.

Utrùm rectè dicatur, Aliquid totum: *an,* Aliquod totum?

Modò *aliquid totum,* modò *aliquod totum* dicitur. Sed tu vide ubi huic, ubi illi locus sit. Cùm dicitur *totum aliquid*, *aliquid* est substantivum, *totum adjectivum*: Et sententia est: aliquid quod est totum. Scal. in exer. Philosophi nostri ajunt, fabricatorem ex partibus inventis non ab se factis constituere totum aliquid, cui formam indat. Sic dicimus quiddam totum: Et, Corpus est *aliquid* non *aliquod compositum*. Cùm verò dicitur, *Aliquod totum*, *aliquod* est adjectivum (ut alibi etiam) *totum*, substantivum: Et sententia est: aliqua res tota, quoddã totum, seu species aliqua

torius; ut, aliquod totum habet partes tantùm homogeneas: Hîc non dicendum aliquid totum, quiddam totum; ut, non dicitur: Quiddam animal est rationis particeps, sed quoddam.

XLII.

An De aliquando significet AB? & an rectè dicatur: Messala de Pompejo quæsivit quid de religione sentiret?

A Et De differunt: A nota est agentis, ut verberor à te: De est nota objecti, ut loquor de te, accipio à te literas de exercitu. Catachresis tamen occurrit in Cicerone τῷ De, pro A, vel Ex: ut, id de Marcello sciri potest, id est, ex Marcello. De Pompejo scripsit consul (id est, ex consule) quid de religione sentiret: De eo se audisse scribit, id est, ex eo. Accipere aliquid de aliquo, id est, ex aliquo, omnia Ciceronis; quæ hodie quoque eruditi imitantur. At singulare est hoc ejusdem in Orat. proximus à postremo, id est, ante postremum, hoc est, penultimus. Nam proximus à postremo, propior & proximus post postremum. Sic Cic. in offic. præfectus classis proximus post Lysandrum.

LIBER QUARTUS.

QUÆSTIO I.

An vulgaris ordo literarum & casuum sit prorsus dedocendus: N.

DEcreta institutaque logica hoc munus nobis injunxerunt; hanc necessitatem imposuerunt, ut divisis literis in vocales & consonantes in literarum collectione, & enumeratione vocales simul præmittamus, consonantes subjiciamus, & quidem conjungamus, non dicentes α β γ, a b c, &c. sed a e, &c. pars scilicet à suo genere non est divellenda: Et singulis speciebus ea omniaque, quæ ipsarum

ipsarũ sunt, sunt subjicienda. Sed quid facias cõtrà longissimi temporis cõsuetudinis jus, quasi & tyrannidem? qua ita numerantur literæ, ut *A* sit prima, *B* secunda, indeq; Alphabetum dicatur, hominesq; indocti Analphabeti. Etsi igitur grammaticus logicus rectè ordinet literas ex arte: tamẽ utiliter etiam subjicitur ordo earum usitatus (cujus documẽtum & exemplum illustre nobis dedit Illustr. Hassiæ P. Mauritius, cujus memoria vigebit omnibus seculis, primũ quia eo numeramus quaterniones vel octerniones librorum. Chalcographi enim eum constanter retinent, postquam ab antiquis literæ factæ sunt Characteres numeri. Deinde quia α acceptum est ab optimis auctorib. pro principio, & ω pro fine, vel α pro supremo, ω pro infimo alicujus ordinis, ex eo quod α litera prima sit ω ultima. Jo. in Apoc. *Ego sum Alpha & Omega* ἀρχὴ ϰ̀ τέλ☉. Martial Epig. li. 5. *Quod Alpha dixi Codre penulatorũ, Dicas licebit Beta me togatorũ.* Juvenal. *Hoc discunt omnes ante Alpha & Beta puella,* id est, primũ. Sic dicimus παροιμιαϰῶς *lusorũ Alpha.* Der Anfänger oder Principal vnter den Spielern / *Magistrorũ alpha*, *Poculorum alpha* Der beste oder fürnemste Säuffer / quẽ Cicero vocat *poculorũ principẽ* in Orat. 2. Phil. Eadem ferè ratione, etsi Nominativus & Vocativus casus logico priores sint, obliqui posteriores: tamẽ, quia & veteres, & nostræ ætatis Scriptores, primum, secũdum, tertium, quartum, quintum, sextum casum nominant, intelligentes: Nominativum, Genitivum, Dativum, Accusativum, Vocativum, Ablativum (ut adjungitur adjectivo *Expers* sextus casus *metu* apud Plautum) ut intelligantur illorum scripta, de hac pervulgata enumeratione etiam discentes monendi sunt.

II.

An quædam Verba cum In composita sint negantia? Nulla ferè.

VErba cum præpositione In composita significant vel idem quod simplicia, vel hujus intensionem seu augmentum: Et eorum vim nonnunquam sequuntur adjectiva derivata, ut *Indigeo* est idem quod egeo, *Indigens* idem est quod egens, *Infringo*, id est, valdè frango; *Infractus* apud Ciceronem idem quod fractus, demissus, dejectus, afflictus vel valdè fractus, perditus, desperatus. *Infracto delicatoq; gradu incedere*, Leisse schleichen/ *id est*, fracto, hoc est, molli. Dico dilertè, apud Ciceronem, Quia cum dicit Virgilius? *Infractos adverso Marte latinos*. 12. Æneid. intelligit non fractos, integros, invictos. *Immuto*, idem est quod muto, *immutatus* idē est, quod mutatus. Singulare est verbum *Ignosco*. Hoc enim videtur habere significationem simplici Nosco contrariam. *Ignosco* enim est, quasi errorem non agnosco, peccati pœnam prætermitto, (ut loquitur Cicero) quæ significatio est privationis, sicut Lactantius etiam & Gellius (ille lib. 5. hic lib. 1.) acceperunt pro nescio seu non intelligo. Imo præter hanc significationem habet aliam apud Verronem nimirum intensionis, hoc est, idem est, quod valde nosco seu disco. Sed hoc est obsoletum, ideoque minimè omnium imitandum. Adjectivorum major est varietas, de qua notetur hæc tabula.

Invoco pro non voco, apud Plautum etiam exoletum est.

Simpli-

Adjectivorum cum In compositorum

- *Partim sunt unius significationis*
  - *Affirmat.*
    - *Simpliciter; indigens, egens*
    - *Cum intentione; Infractus, valde fractus.*
  - *Negat. Inerrans stella, pro non errans, invocatus apud Ciceronem pro non vocatus.*
- *Partim sunt duplicis significationis.*
  - *Affirm. Indictus pro solenniter a promulgatus: Infectus (ab inficior) pro tinctus.*
  - *Negat. Indictus pro nō dictus, Infectus pro nō factus. Indicta caussa,* Unverhörter Sachē.

a *Edicunt Reges, indicit festa sacerdos.*

Immistus pro non mistus, apud recētiores physicos sæpe lego; ut Zabarell. & Scal. exer. 326. Sect. 3. (ut intellectus immistus corpori) sed exemplum veterum requiro. *Inobediens* etiam pro non obediens seu refractarius apud eos legere me non memini. *Inobsequens* Seneca habet in Hippol.

III.

Dicitur, In quibusdam numis Imperatorum, Regum, Principum, clarissimorumq; virorum, illustrissimarum fœminarum dimidiata forma videntur, halb Bildtstück. *Hac hora tam longa est, ut sit dimidiatus dies.*

Quæritur igitur

An perperam dicatur Dimidius dies, Dimidius orbis, Dimidius liber, Dimidius digitus, Dimi-

 dia

dia forma, Dimidia fabula, ut quidam censent? Non videtur.

DImidium librum, dimidiam fabulam, dimidium digitum vitiosè dici, atq; in his omnibus & similibus vocem *dimidiatum* esse adhibendam; quę significet aliquid in partes duas divisum quasi dismediatum: dimidium autem esse id quod ex dimidiato alterum est, non ipsum dimidiatū, docere Gellium, annotavit quidam è prima classe eorum, qui puritatis latinæ sunt amatores, & sectatores elegantissimorum scriptorum nostra ætate satis quidem erudita, sed nimium alicubi delicata. Gellii autem verba lib. 3. Noct. cap. 14. hæc sunt, quorum etiam pars in latinis lexicis & thesauro latinæ linguæ laudatur. *Dimidium librum legi aut dimidiam fabulā audivi*, vel aliud hujuscemodi, malè ac vitiosè dici existimat Varro. Oportet enim dicere *dimidiatum librum* non dimidium, *& dimidiatam fabulam* non dimidiam. Contra autem si ex sextario hemina fusa sit, non dimidiatum sextarium fusum dicendum est. Et qui quoque ex mille numūm, quod ei debebatur, quingentos recepit, non dimidiatum recepisse dicemus, sed dimidium. At si scyphus, inquit, argenteus mihi cum alio communis in duas partes disjectus sit, dimidiatum meum dicere esse scyphum debeo, non dimidium. Argenti autem, quod in eo scypho inest, dimidium meum esse nō dimidiatum: disserit ac dividit subtilissimè quid dimidium dimidiato intersit, & Quintum Ennium scienter hoc in annalibus dixisse ait: *Sicut si quis ferat vas vini dimidiatum.* Si pars, quæ deest à vase, non dimidiata dicenda est, sed dimidia. Omnis autem disputationis ejus quam subtiliter quidem, sed subtilissimè explicat, sententia hæc est: *Dimidiatum* est quasi dismediatum & in par-

tes duas divisum. Dimidiatum ergo nisi ipsum, quod divisum est, dici haud convenit: Dimidium verò est, non quod ipsum dimidiatum est, sed quæ ex dimidiato pars altera est. Cùm igitur partem libri dimidiam legisse volumus dicere, aut partem dimidiam fabulæ audisse, si dimidiam fabulam, aut dimidium librum dicemus, peccabimus: Totum enim ipsum quod dimidiatum atq; *a* divisum est, dimidium dicis. Itaq; Lucilius eadem secutus *a Alii eliguut* aut. *Vno oculo*, inquit, *pedibusq; duobus dimidiatus ut porcus*. Et alio loco: quidni & scruta quidem ut vendat, scrutarius laudat, perfractam strigilem soleam improbus dimidiatam. Jam in vigesimo manifestius dimidiam horam dicere studiosè fugit, Sed pro dimidia dimidium ponit hisce versibus: Tempestate sua, atq; eodem uno tempore & horæ Dimidio tribus confectis duntaxat eandem Et quartam.

Nam cùm obvium proximumq; esset dicere, hora dimidia tribus confectis, vigilate atque attentè verbum non probum mutavit; Per quod satis apparet, ne horam quidem dimidiam rectè dici, sed vel dimidiatam horam vel dimidiam partē horæ. Propterea Plautus in Bacchidibus *dimidium auri* dixit, nō dimidiatum aurum. Item in Aulularia *Dimidium obsonii*, non dimidiatum obsonium in hoc versu:

Ei adeo obsonii hinc jussit dimidium dari.

In Menechmis autem *dimidiatum diem* non dimidium in versu hoc:

Dies quidem jam ad umbilicum dimidiatus mortuus est. Etiam M. Cato in libro quem de agricultura conscripsit. *Semen cupressi serito crebrum, ita ut linum seri solet: Ei crebro terram insternito dimidiatum digitum. Jam id bene* tabula aut pedibus aut manibus complanato. Dimidiatum inquit di-

gitum non dimidium. Nam digiti quidem dimidium, digitum autem ipsum dimidiatum, dici oportet. Item M. Cato de Carthaginensibus ita scripsit: Homines defoderunt in terram dimidiatos: ignemq; circum posuerunt: ita interfecerunt. Neq; quisquam omnium, qui probè locuti sunt, his verbis secus quàm dixi, usus est. Hactenus Gelliana, in quæ inquirendũ, cùm deprehendamus, usum eruditorum non usquequaque, cum iis congruere. Repetatur igitur quæstio, sed particulatim (ut satis intelligas) & παραδειγματικῶς.

Judicium Gell.

1. Julii Scaligeri exercitationis 64. inscriptio est. Quare astra nõ videantur, ut luna, dimidiata? Et à Latinis Astronomis, sæpè Luna æqua portione divisa, bifariũ diversa græcè διχότομος & ἡμίτομος vocatur Luna dimidiata. Hîc quæritur utrùm dici possit Luna dimidia, an hoc dicatur perperam? 2. pullus dimidiatus in convivio tibi datus dicitur. At quæritur an etiam latinæ puritatis mysta eodem sensu admittat hîc, dimidium pulli, & dimidium pullum. 3. Pars dimidia pomi & pomi dimidium dicitur, & dimidia pars terræ est apud Ciceronem, & dimidium pecuniæ, de Natura Deorum & ad Quint. fratr. Diciturnè etiam dimidium pomum, dimidia terra? 4. Apud Zabarellam est, Mistio est dimidiata generatio. Apud Melancht. in phys. lib. 1. de Eclipsibus est, Luna dimidiatum fermè solem occultat Scalig. exerc. 76. sect. 1. Ergo tibi dimidiata videmur animalia. At ego me integrum solidumque virum arbitrabar. Latinæ linguæ parens Cicero, quem primo loco nominatum oportuit, in Tuscul. Ferre plus dimidiatis mensis cibaria. In Verrem. Exemit ex anno unum dimidiatumque mensem. In Tusculan. Apparebit epigramma exesis posterioribus partibus versiculorum dimidiatis ferè. Li-

cètne

cérne etiam pro his dicere sine reprehensione, Dimidia generatio, Luna dimidia, Dimidius mensis, Partes dimidiæ? 5. Ciceroniani dicunt utrunque; Terra est in medio mundi sita, &, terra est in medio mundo sita. Similitérne dicitur dimidium mundi & dimidius mundus, dimidium horę & dimidia hora. Quid respondendum sit, sequentia suggerunt tibi exempla. Macrob. saturnaliorum libr. 2. cap. 3. Nec Marc. Tull. Cicero Q. Ciceroni fratri circa similem mordacitatem pepercit. Nam cùm in ea provincia quam ille rexerat vidisset clypeatam imaginem ejus, ingentibus lineamentis usq; ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturæ parvæ) ait *Frater meus dimidius* major est quàm totus. Apud Livium (nisi fortè me fugit memoria) est, Dimidius modius. Apud Plinium lib. 2. cap. 9. *Luna orbe dimidio nunquam non maculosa cernitur.* (Sic apud Ciceronem sunt Globus in hoc templo medius. Maximi in sphæra orbes medii inter se dividuntur.) *& libro eodem ca. 18. Circa dimidios orbes lunæ.* libro eodem cap. 59. *dimidia circuli forma.* lib. eod. cap. 72. Dimidiam gnomonis mensuram afficit. *Idem* lib. 18. cap. 32. *primum dicit Luna dimidiata, deinde, Luna dimidia.* Sic Melanch. in Physicis libr. 1. de mensib. pag. 57. semper dimidius globus Lunæ à Sole illustratur.

Sic Bodinus (cujus viri non levis est apud me auctoritas in lingua benè latina) lib. 5. Theat. Naturæ; stellæ dimidius globus. Ibidem hæmisphærium vocat dimidium globum. Pro eo idem lib. 4. pag. 517. dicit. Horizon circumscribit globi dimidium.

Joannes Pincierus Medic. Doctor eximius, philosophus & philologus præstantissimus, amicus mihi non unus de multis, suppeditavit mihi hæc exempla (sicut & ex præcedentibus nonnulla) è

Martiali 1.Epist.60 Dimidiasq; nates Gallica Palla tegat. 2. Epist. 10. Basia dimidio quod des mihi posthume labro 2.Ep.22.

Dimidio nobis dare Posthumus ante solebat
Basia, nunc labro cœpit utroq; dare.

2.Epist.37.

Mullum dimidium lupumq; totum.

2.Epist.19.

Non est dimidio locus Priapo.

Obscœnitate hîc, inquit Pincier, verborum non est, quod offendare. Grammaticum ego nunc ago, non Ethicum. Apud Petrum Ramum, casti illius, incorrupti minimeque inquinati infuscative sermonis non imperitum virum, in Geometria est, *Dimidius* paris scilicet numerus. Apud Lexicographos nostros sequentia invenies.

Pes dimidius & dimidiatus pes ἡμίπους, pro semipede. Semivocales, ἡμίφωνοι, dictæ quasi dimidium vocalium sonum habentes. *Dimidius cubitus*, Marcell.

Semuncia est dimidia uncia.

Semitogium, *quasi dimidiata toga & dimidia toga.*

Semispathium, quasi dimidiata spatha, ein Tusack/oder kurtzer Sebel/ ἡμισπάθιον.

Semiobolus & ἡμιωβόλιον oboli dimidium.

Semihora ἡμιώριον horæ unius spatium dimidium, horæ dimidium.

Semibos, dimidia sui parte bos.

Hemistichium, *Versus dimidiatus, dimidium versus.*

Hemisphærium, *sphæra dimidia: cæli dimidium.*

Hemiplagia, *dimidia apoplexia, dimidiata apoplexia.*

Hemicadia, *vasa dimidii cadi.*

Ἡμι-

Ἡμικάδιον, *dimidium cadi*, ἡμιχοῦν, dimidium congii.

Τὸ ἥμισυ τοῦ χρόνου, dimidium temporis.

Ἡμικοτύλιον, heminæ dimidium, dimidiatum hemina Ruel.

Ἡμίξεστον, dimidium sextarii, dimidius Sextarius. Ἡμιολισμὸς mulcta ubi tota summa & amplius quoque dimidia penditur (posset & dici dimidio ejus.)

Ἡμιωβέλιον, dimidius obelius, semiobelium. Plato in Epist. ἡμίσεια τῆς συμφορᾶς ἡ δύναμις, dimidia calamitatis potentia.

Demosth. ἐπὶ τῇ ἡμισείᾳ τῆς γῆς, ob dimidiatos terræ fructus.

Sic Valla. τὴν ἡμίσειαν τῆς φυλακῆς ἐξάγει, *dimidium custodiæ educit.*

Ἥμισυ τεῖχος, dimidius murus.

Ἥμισυ ἡμέρης, dimidiatus dies.

Τῶν ἄρτων ἑκάστοις τοὺς ἡμίσεις, dimidiatum panem singulis.

Ἡμίσεις νόμοι, leges dimidiæ. Apud Plato, in epist. plura quærere non est mei otii, & fortasse nihil attinet. Multa autem ex his disces.

Primùm: Discrimen è Gellio allatum non esse perpetuum.

Secundò: Si dimidiatus pullus est pullus, per medium quasi dissectus, tum porrigens tibi dimidiatum, porrigo totum, sed bifariam sectum. At non hoc: Cùm enim do tibi dimidiatum, pars relicta illi æqualis in patina, vel mihi vel alii reservata intelligitur. Ergo dimidiatus pullus est una dissecti pars. Ac opponitur integro, quod & locus Scal. ex exer. 76. ante adductus ostendit.

Tertiò non est perpetuò verum, quod quidam tradiderunt, ut Calepiu. *Dimidium* quasi per medium divisum dici de rebus, quæ sunt separatæ: Dimidiatum de rebus, quæ continuæ sunt & non separantur.

Quartò, *Dimidium* cùm redditur per voces duas pars dimidia, neutrum est, nec convenit cum substantivo eodem casu, ut: Dimidium veri, qui bene finit, habet, id est, dimidiam partem veri. Dimidium totius temporis, id est, dimidia pars totius temporis.

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Bonus animus in mala re dimidium est mali, die Helffte deß Vnglücks. Hos genitivos *mali, facti, veri*, à nominibus neutris in *um*, malum, factum, verum non mutabis in nominativum aut accusativum, nisi exigat hæc Regula de verbo substantivo finito, quod sequitur nominativus. Rectè enim dicitur, Dimidium est malum, Dimidium est rectum, verum.

Quintò, nota etiam dici semiplenus, semiustulatus, semimortuus: dimidius mortuus, dimidius plenus, non dici.

Sextò, Græcum quidem dicere, Dimidii populi, dimidii existimantes, ἡμίσεις ἡγησάμενοι, ἡμίσεις λαοὶ, sed non Latinum: Hic scilicet dicit dimidia pars populi, dimidia pars existimans.

Septimò: dimidium facti dicitur, dimidiatum facti non dicitur.

IV.

An Noxa semper significet pœnam, Noxia culpam seu maleficium? Negatur.

N*Oxa mihi pœna est*, *designat noxia culpam* propriè: ut esse extra noxiam, id est, extra culpam, & ex doctrina Cornelii Frontonis & ex usu Livius. Nihil eam rem noxiæ futuram, quod hosti-

bus

bus se junxissent, id est, vitio seu culpæ non asscriptum iri. Solutus noxia servus, id est, culpa. Dedere servum vel pecudem noxæ, id est, pœnæ. Propriè autem hìc fit deditio corporis. Eximere noxæ, id est, pœna liberare: Apud antiquos etiam *Noxa* damnum significabat seu detrimentum βλάβην. Sic usus est Suetonius, Columella, Ovidius, ut aliquid bibere sine noxa. A noxa curculionum fruges defendere, id est, à damno. Sed à Latinis etiam per Metonymiam effecti pro efficiente *noxa* ponitur pro culpa, ut noxam admittere: avertere à Lucretia noxam, id est, culpam seu αἰτίαν. Ita accipiens J.C. Cajus, Noxæ, inquit, appellatione omne delictum continetur, leg. plebis. ff. de rerum significat. Noxalis actio est, quæ ex noxa & maleficio servorum adversus nos constituitur. C. lege prima de noxal. action. Versus est poëtæ Christiani (si non fugit me memoria, est Sedulii.) *unius ob noxam multi periere minores.* Non igitur ab re Festus utramque significationem conjungit, cùm ait: Noxam poni pro peccato, aut pro peccati pœna. Nota etiam: Dedere servum ob noxam, dupliciter interpretari posse 1. ob culpam, 2. ob damnum, ut: sponde, præstò noxa est. Sic eximere noxæ, id est, liberare pœna, & remittere culpam. Sic apud Livium: Nihil eam rem noxiæ futuram, quod se hostibus junxissent, id est, vitio seu culpæ non ascriptum iri, vel non futurum esse fraudi seu damno. Postremò observa sequentium dictorum sententiam, *Noxa caput sequitur.* Gordian. Imperator *in l. licet, C. an ser. pro suo fact.* post usa, id est, culpa seu nequiter factum semper durat & reum comitatur. Noxa est malus vicinus, id est, malum seu damnũ.

De Longolio omnibus numeris libertatis prædito Budæus: Noxa & nexu solutus, ut noxæ deditus servus dicitur apud Jureconsultos, qui ob deli-

ctum

ctum & damnum datum cæditur. Sic servus noxa solutus dicitur, qui nullam culpam crimenq; admisit, aut certè, cujus caput noxa sequi non potest, id est, cujus dominus noxali actione conveniri non potest. Nexu autem solutus est, qui cùm addictus esset creditoribus, postea alieno dissoluto ære ipse necti desiit.

Intelligis nonnunquam alterum pro altero indifferenter sumi.

V.

An dicatur Trinunus Trinuni Trinuno?

RECENTIORES induxerunt ad significandum trium personarum & unius essentiæ mysterium vocem Triunus, dicentes: *Trinuno Deo gloria.* Sed ego etsi declinetur Trinus, trini, trino, puto tamen dicendum Trinuni Deo, Trinunius Dei. Trinunus est à trinus & (unus, unius, uni) trinus non est à tri & unus, sed simplex vox est, non derivata. Brevior sum, quia quæstio hæc vel minima tractatione indigna videtur.

VI.

An Pulcrum & Formosum indifferenter usurpentur? An formosum specialius, pulcrum generalius seu communius?

FOrmosa & pulcra puella dicitur, sed formosa oratio, vestis formosa, domus formosa, pro pulcra non dicitur. Rursum à Cic. dicitur formosa & pulcra virtus. Apud eundem est, Forma Cilindri formosior: & rotunda forma pulcerrima. Dicitur pulcra & formosa facies. Veneris formosior astro, apud Mantuan. Et Venere pulcrior apud alios, At non ars formosa, sed pulcra. Dicitur Calligraphia, id est, pulcra elegansq; scriptio, scriptura, scribendi ratio: at non formosa. Eccur vero? Videntur mihi Pulcra & Formosus differre, ut genus & species: ut omne formosum sit pulcrum, sed non

non omne pulcrum sit formosum: vel pulcrum plus esse, quam formosum. Itaq; dicendum potiùs formosum & pulcrum. (Oratio enim crescere debet, & ἐμφατικώτερον vocabulum sequi) quàm pulcrum & formosum. Formosum spectat exteriora. Pulcrum & exteriora & interiora. Rursum, pulcrum ad animum, ingenium, judicium & animi opera etiam transfertur, Formosum non. Dicitur enim ab Horat. Non satis est pulcra esse poëmata, dulcia sunto, ubi Formosa dici non potuit. Ac pulcro conjuncta est delectatio, ut suum cuique pulcrum. Nihil est virtute formosius, nihil pulcrius, nihil amabilius. Cice. in Epist. Fam. pulcritudo dignitatem quandam formæ complectitur.

VII.

Titivilitium, qua voce usus Plautus, in Casina, an interdum ut Interjectio usurpetur?

TItivilitium (etsi non desint doctissimi, qui scribant Titivillitium) non est interjectio, sed priscum seu exoletum nomen generis neutrius: ut, Non ego emptitem istud verbum titivilitio, id est, admodum re vili, id est, ne hujus quidem facio, pili, flocci non facio, vel pendo, ne flocci, ne pili quidem facio, naucifacio, περὶ ὀλίγου ποιοῦμαι, flocci facio.

Significat enim titivilitium rem prorsus nullius momenti, seu nihili. Interdum tamen eleganter habet vim seu δύναμιν, interjectionis. Cujusmodi græcorum est πιππολδ & πέπαλο, & germanorum Peperlepe/ Pefferling/ & Tillematelle. Quæ sunt ἐξουθενισμοῦ, id est, adhibentur ad extremum quendam contemptum significandum, ut si tu dicas, Sexcentis argumentis te convincam, & ego respondeam, Titivilitium. Tales voces usurpant φιλαρχαῖοι, (antiquarii, qui exoletas voces *Sic dicimus, Nugæ hæ sunt & titivilitia Plautina.*

aucu-

aucupantur) quæ tamen nonnunquam habent gratiam, cùm nimirum non irruunt in alienum locum. Nota hîc ἐν παρόδῳ, me pro *Empsitem* in Plautino exemplo legere Emptitem. Ab emptu enim analogicè non est emsito, sed etiam emptito, quo etiam Columella & Plinius usi sunt, prisci non dixerunt Emstum & Emptum, ut pultum & pulsum, unde est pulto & pulso.

VIII.

An rectè dicatur, Puto quod hoc ita sit, Miror quod absit?

Etsi quidam annotarunt non rectè dici, Miror quod, Puto quod, (Inter eos est Antonius Schorus) & latinior est cum infinito constructio, puto hoc ita esse, miror te ad me nihil scribere, nolite existimare me, &c. quæ omnia sunt Ciceronis: tamen Paulus Manutius exemplis ostendit, illos modos loquendi etiam apud Ciceronem, Varronem, Livium, Suetonium, Plautum, Catonem, inveniri: suntq; sumti è græcis ἡγοῦμαι, ὅτι, &c.

IX.

An rectè dicatur, Princeps imposuit vel injunxit mihi, ut hoc facerem?

Sic Vulgus loquitur, sed pro eo dicendum *jussit, imperavit, in mandatis dedit*: docti quibus adscribo Pontanum observarunt, Latini scilicet in ea significatione verbis Injungo & Impono addunt Accusativum. Sic enim loquuntur: Imposuit mihi hoc munus vel onus, necessitatem, partes, personam, servitutem, munus injungere, onus injungere. Exempla sunt apud Cæsarem, Livium, Terentium, Ciceronem. Impone mihi quidvis oneris, Injungere detrimentum Reipublicæ, pro, inferre seu afferre, est Bruti ad Ciceronem, pro addere vel inferre: pro eodem etiam dicitur, detrimentum facere. Dici etiam potest, Datum seu injun-

ctum

ctum mihi pensum absolvi, confeci, peregi. Nullum tamen hactenus contigit mihi videre locum, in quo ipse Cicero verbo Injungo usus sit. Nihilominus probum est, cùm Cæsarianum & Livianum sit.

X.

An rectè dicatur, Prima philosophia versatur in ente, quatenus ente, seu philosophia prima & doctrina entis quatenus entis? Entium, qua Entium? Neg.

SIc video nonnullos loqui è philosophis alioquin etiam latinæ Linguæ non indoctis. Sed perperam. Nomen enim additum particulæ reduplicativæ, habet casum substantivi verbi Est, præcedenti respondentem, sivè τὸ Est intelligatur sive exprimatur. Dicendum igitur. Philosophia versatur in ente quatenus Ens scilicet Est. Apud Zabarellam leges de motu ignis in orbem lib. cap. 7. homini, quatenus animali, non repugnat esse asino, hic pro animali animal repone; elegantiam verò à Græcis fontibus deductam, asino, pro asinum & observa & imitare.

X I.

Videtur mihi, an dictum sit pro eo, quod est videtur à me? Negatur.

NEc cernitur ulli, dictum est, pro, nec cernitur ab ullo, visus est mihi, pro visus est à me per antiptosin. Sed qui eadem ratione dictum esse putant, visum est nonnullis hoc esse verum, sicut mihi videtur, mihi visum est scribere de senectute, graviter errant. Quis enim hæc Ciceroniana per Ablativum cum præpositione interpretetur? Objurgavi senatum, ut mihi visus sum, summa cum auctoritate. Ut mihi videbar: Videor mihi hanc urbem videre subitò concidentem. Videor mihi perspicere: Sicut mihi videtur: sic mihi perspicere videor: Ut fortasse quibusdam videor. Hoc mihi

videor videre, esse quosdam. Apage cùm hac interpretatione. Mihi videor, id est, à me videor.

Teneatur ergo hoc: *Videor pro speciem habeo vel præ me fero, regit Dativum.*

XII.

Cur non dicatur prædurissimus, præditissimus, præpinguior (quo quidam usus) prædurior, præditior?

PRÆ componitur cum positivo non comparativo aut superlativo. Compositum cum θετικῷ seu positivo habet ipsam significationem superlativi, ut excellens præclarè, idem est, quod excellentissimus, præclarus idem quod clarissimus, prædives idem quod ditissimus, sic prædurus durissimus, præproperus idem valet, quod nimis celer, præpotens idem quod potentissimus, seu valde potens seu omnipotens. Attamen dicitur præfractior, præcellentissimus, præstantissimus, præillustrissimus & illustrissimus, quorum Exempla in Cicerone reperies: Huic objectiunculæ, securicula injicienda est. Nihil obstant nobis ista exempla, cùm propositum axioma non infirment. Est enim hoc de composito cum absoluto comparabili. Talia autem non sunt, fractus, cellens, lustris, stans. Non enim dicitur fractior, fractissimus, cellentior, cellentissimus, stantior, stantissimus, non componuntur ista cum absolutis usitatis vel comparabilibus. Præclarissimus, ut quidam in Miloniana legunt, prorsus singulare est. Exemplum tamen expositum ad imitandum (hoc est imitatione dignum.) Quod perrarò junctum reperiatur superlativo, dixi alibi. Apud Curtium est, Perquàm maximo potest exercitu comparato.

XIII.

An rectè dictum sit: Homo declinat ea, quæ sibi nocitura videntur?

ABusionem relativi pro reciproco & contra diligen-

diligenter cavendam esse sæpe monui. Cic. in officiis: omni animantium generi à natura tributum est, ut se tueatur declinetq; ea, quæ ei nocitura videantur. Hîc non dici debet, quæ ei nocitura putet, sed sibi. Nomen civium *quantum in ipsis fuit* sustulerunt. Ad Attic. Rempubl. *quantum in ipso fuit*, evertit: Hic non dico, quantum in se. Quidam sic hoc est imitatus: Victorii, Manutii, Sigonii, Lambini, Mureti tanquam Luciferi, quidam nostra memoria exorti, *quantum in ipsis fuit* sua luce barbariei caliginem ab oculis nostris discusserũt: pro eo etiam dicitur Ciceronianè, *quod in ipsis est*, fuit. Monachi cujusdam quem in obscuris viris numero, distichon est. Pauperis in specie dum Christus venerit ad te: Impertire sibi, quod dedit ipse tibi. Dicendum, pro sibi, ipsi, hoc est, ei. *Idem pro F. L.*

XIV.

An à Castalione Latinè dictum sit, Præditus à te & an sit participium? Negatur utrumque.

CAve à Castalione (quem libertate vocis nonnulli perstrinxerunt propter novationem) in errorem inducaris, qui adjectivo Præditus subjicit ablativum cum præpositione, nulla veterum auctoritate, sola, credo, motus hac ratiuncula: Præditus idem est quod affectus, affectus autem à te, latinum est. Itaq; & præditus a te. Sed dispar ratio est, Præditus enim est nomen ablativũ regens, affectus verò participiũ passivi verbi constructionem imitans. Dicitur igitur ornatus vel effectus ab aliquo beneficiis, sed non ab aliquo præditus. Hęc Ciceroniana sũt: prędítus alicujus beneficiis, id est, ornatus vel affectus, præditus magnis rebus gestis, id est, celebris propter res gestas vel ornatus rebus gestis, præditus ingenio & prudentia, Geschwindt vnd klug. Homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, id est, contaminatus.

Eſt enim μέσον vocabulum: tam in vitio quàm in laude poſitum.

XV.

Decernere alicui honorem, pro tribuere, an rectè dicatur? Negatur.

SEmper doctis ac ſapientibus viris ampliſſima decreta ſunt præmia: ſummus tributus honor: rectè dicitur; verùm qui non ſunt exculti Latina lingua ſic loquuntur: Hoc die decretus mihi eſt honos Magiſterii philoſophici à N. promotore (pro tributus:) Cùm decerneretur mihi gradus vel honos Doctoris (pro tribueretur.) Dicendum enim erat: Hoc die honor jam ante mihi decretus, tributus eſt. Cùm decreti honores mihi tribuerentur, conferrentur. Nam decretum antecedit tributionem, ut deſignatio confirmationem. Et poteſt alicui triumphus vel imperium, vel honos decerni, & tamen poſteà non tribui. Cùm Collegium Philoſophicum quoſdam συμφοιτητὰς dignos ſtatuit honoribus, rectè dico: *Decreta ſunt virtuti honeſta præmia.* Sed hæc paulò poſt eis tribuentur. Itaque decernere non eſt idem quod tribuere. Cùm ſtatuitur ſeu judicatur, aliquem dignum eſſe præmio, brabeo, honorario, tum decernitur ei præmium, &c. Decernere ſcilicet idem eſt, quod ψηφίζειν vel προορίζειν ſtatuere, judicare, proferre ſententiam, decretum facere.

XVI.

Quis & Qui, an promiſcuè & indifferenter uſurpentur nonnunquam?

NOta uſum particularum *Quis* & *Qui.* Xenophon (qui vir & quantus in ea militia, qua Cyro perfunctus eſt.) Hic non rectè diceretur, quis. Qui autem poſitum eſt pro Qualis.

Virgil. 2. Eclog. *Sum tibi deſpectus, nec quis ſim quæris*

quaeris Alexi. Sed quædam manuſcripta exempla habent *Qui*: utrumq; probum.

Sic: *Dicam qui cultus habendo ſit pecori*, apud eundem 1. Geòrg.

Cicer. de Orat. Si numerus oratorius quæritur, qui ſit, omnis eſt, &c.

Pro Marcell. Si diligenter, qui vir ille fuerit, conſideraris.

Was er für ein Mann geweſen ſey.

Plinius Junior. Morbus neſcio quis. Hic quis ponitur infinitè.

Cicer. in Epiſt. Neque enim tu es is, qui, qui ſis, neſcias.

Hic etiam dici potuit, quis ſis.

Aurel. Prudentius Periſtephan.

Contemne præſens utile ô prudens homo,
Omitte corpus, rem ſepulcri & funeris.
Agnoſce qui ſis, vince mundum & ſeculum.
Quod terminandum, quod relinquendum eſt tibi.
Tende ad futuram gloriam, perge ad Deum.

Siquis, nequis, nunquis conjunctè vel disjunctè: non; ſiqui, nequi, nunqui, ſing. num.

Qui pro Quis interrogativo adhibitum eſt in hoc Virgilii;

Qui nunc concurſus ad amnem.

Cicer. *Non ſum tam inſolens, qui Jovem me eſſe dicam*, id eſt, *ut*: *In hac ſignificatione additur ei ſemper conjunctivus.*

XVII.

An dicatur Qui cum, pro Cum qua? Affirmat.

Qui cum, pro Cum quo Ciceronianum eſt, ut; qui cum omnia communicem.

Nemo erat qui cum eſſem libentius. Sed an tale etiam ſit, Qui cum, pro Cum qua, dubium fortè te habeat. Tu vide an in Cicerone, Cæſare, Terentio, aut aliis agminis Latini ducibus exſtet. Ego

certe puto exstare non pauca. Apud Virgil. exemplum hoc est 2. Æneid. Qui cum partiri curas, id est, cum qua, scilicet Acca, una ex comitibus Camillæ, puto autem Qui fœmin. ablativ. remansisse ex Archaïsmo. Nam Quis Plautino seculo erat generis communis. Plaut. in Aul. *Dic mihi quis ea est*, quam vis ducere uxorem? (pro quæ.) Est & Exemplum, nisi fortè memoria me fallit in carmine Catulli.

XIIX.

Versus Ennianus: O domus antiqua, quam dispari dominare domino, sitne jambicus an heroicus?

ENnii versus qui adducitur à Cicerone 1. Offic. variè legitur. Ac multas poëtas de eo consului, qui eum metiri non potuerunt. Exemplum cui adjunctæ sunt annotat. Erasmi & Conradi Goclenii habe:

O domus antiqua dominare domino quam dispari, hic est Jambicus Septenarius.

- v v | -- | v v v | - v v | v - | - - | v -
O domus anti qua domi nare do mi no quam dis pari

Is evadit ex hoc quoque: O domus antiqua quam dominare domino dispari.

- v v | -- | v - | v v - | v v v | - - | v -
O domus anti qua q̃ domi na re domi no dis pari

Sed alii legunt sic: O domus antiqua heu quàm dispari dominare domino. Alii: Dispari dominaris domino. Alii denique: O domus antiqua quàm dispari domino dominare. Hæc lectio postrema nullum versum constituit: præcedens dat Jambicum Septenarium.

- v v | - - | v - | - v v | - v v | - v v | v -
O domus anti qu eu q̃ dispa ri domi nare do mino

Ut S in dispari elidatur, sicut S in dominaris.

Mihi

Mihi placet omitti Quam, ut sit Jambicus Senarius.

O domus anti queu dipa ri domi nare do mino.

An enim Ennius Septenarios fecerit nescio; Senarios eum fecisse scio, ut:

Benefacta male locata malefacta arbitror.

Ac consentaneum est Ciceronem sententiam potiùs Ennianam, quàm simpliciter integrum versum adducere voluisse, quem scimus etiam aliquando minim. versus laudare pro toto per Synecdochen.

Erasm. Roterodam. suspicatur legendum: O domus Anti, quam dispari domino dominaris, ut sit versus hexameter in cujus dimensione S in dispari tollatur more Enniano, ut merum constet & notatus sit Antii successor (nisi forte pro Anti Anci aut Anni, quem Lucilius taxavit seu perstrinxit, scriptum fuerit.) Scriba verò parum eruditus putans Antiquam unam esse dictionem, Antiquam mutarit in Antiqua, & alius posteà volens omittere, quod erat in plerisque codicibus, adjecerit Quam. Ingeniosa quidem hæc sed levis, ut conjicio, conjectura est.

XIX.

An Orbis semper Ciceroni sit circulus? Negat.

Astronomi etsi orbem à circulo distinguant, ita ut ille sit figura solida, hic plana: tamen Cicero orbem accipit pro circulo. De Natura Deorum: Duæ formæ præstantes sunt ex solidis, globus, ex planis circulus vel orbis, qui græcè cyclos dicitur, ubi Vel pro Seu ponitur, seu pro Id est. Idem de senectute: Stellæ circulos suos orbesque conficiunt celeritate mirabili, ubi Que particula explicativa est, non copulativa. Ibidem:

Novem orbibus vel potiùs globis connexa sunt omnia. Hîc correctio ostendit, orbes à globis Ciceronem discernere: Idem de Natur. Deorum dicit: orbis signifer & orbis signorum. Is est Zodiacus. Zodiacus autem circulus est. Ab eodem dicitur orbis lacteus & circulus lacteus pro eodem, de Som. De fato: si in sphæra maximi sunt orbes, medii inter se dividuntur, id est, maximi circuli sphæram bisecant: sic in Pisone dicitur, salutatorium versare orbem. Non dissimulandum tamen, Ciceronem etiam orbem pro globo vel peripheria globi seu sphæræ accepisse, ut pro S.Rosc. Africa certa pars orbis terrarum. pro Domo; Vir princeps orbis terræ. In Cat. orbis terræ gravissimo consilio Cicer. in Tuscul. dicit: Globus terræ eminens è mari, pro hoc quoq; dicere licet, orbis terræ, sphæra terræ.

XX.

An Fugax sit à fugo? Negatur.

FUgax gratia apud Prudentium, & vita fugax apud Palingenium est. De voce autem Fugax in comment. in hymnum Prudentii hæc habet Erasmus Roterodamus, vir laude illustri celebratus. Cùm fugax significet fugientem, tamen juxta nominis rationem magis videtur dictum à fugando, quàm à fugiendo. Hîc si Erasmum (virum alioqui mihi magnum) sequare, errore duceris, ut enim rapax est ab rapio, & capax à capio, sic fugax est à fugio.

XXI.

An latinè dicatur: Quamlibet sit doctus, non tamen est prudens?

DIFFERUNT Quamlibet, Quamvis, Quanquam. Quanquam præponitur in oratione, quæ constat duabus partibus: ut, Quanquam extraneus sis, tamen te amo; vel postponitur: ut,

Finis

Finis generis utriusq; est: quanquam masculinum malo. Particula Quamlibet non præcedit sed subjicitur, ita tamen ut oratio possit in geminam resolvi. Non enim pili facit te; quamlibet divitem. Quamvis utranque naturam obtinet, ut: Quãvis extraneus sis, non ideo odimus te. Non pili te facit, quamvis divitem. Annotatio hæc Vallæ est & Roterodami: sed eam neglexerunt Augustinus & Prudẽtius, qui quidẽ in hymno (Jambic. dimetr.) de Natali Salvatoris Jesu sic canit; *Ex ore quamlibet patris Sis ortus, & Verbo editus: Tamen paterno in pectore Sophia a callebas prius.* Apud antiquiores latinos vix erit ut talia exempla invenias.

a. i. *In sophia hic licenter producta est. Metaplasmus hic* ἔκτασις *dicitur.*

XXII.

An cùm dicitur, Ad assem perdere, As significet totum seu integrum?

AD assem perdere, idem est, quod universæ pecuniæ jacturam facere. Sed assis hic non significat totam pecuniam, sed numulum, de quo intelligitur & hoc: Ne unius quidem assis æstimem. Sestertius tales asses continet duos cum semisse seu dimidio. Itaq; sic scribitur IIS. Sic dictus quasi semitertius, ein Weißpfennig. Porrò veteres sic sæpè loquebantur, Denos æris & asses subintelligebant. Ac æs etiam assem significabat: ut in mancipiis ære libram ferito, id est, asse.

Vide Turnebum in Varr. de Lat. ling. pag. 124.

XXIII.

An latinè dictum sit à Cicerone, Bosphorum confugere?

APpellativis locorum & propriis nominibus fluviorum additur à Latinis præpositio. Bosphorus igitur cùm significet fretum angustum; sintque duo Bosphori, Thracius (Die Enge deß Meers bey Constantinopel) & Cimmerius; quid est quod apud Ciceron. pro Muræna legitur: qua ex pugna cùm se eripuisset & Bosphorum confugisset,

gisset, quo exercitus adire non posset? Respondeo Bosphorũ hic esse nomen urbis. Hoc ita esse posse doceo ex Stephano qui Bosph. duarum urbiũ nomen facit, quarum alteram in India constituit, alteram ad sinum Cimmerium & fretum ejusdem nominis collocat. Est autem Bosphorus latine bovis trajectio, si hoc non placet, adde partic. AD. Fabulantur Io puellam in vaccam conversam tranasse maris angustias ex Europa in Asiam.

XXIV.

An aliquando, Non dare locum precibus, admonitionibus, sit idem quod non ferre se orari, admoneri? Negatur.

AD verba Ciceronis in Epist. famil. lib. 1. Epist. 11. *Sed planè nec precibus nostris nec admonitionibus reliquit locum* (Pompejus) quidam doctus vir annotavit hæc: Elegans locutio qua dicit in rogando Pompejo adhortandoq; nihil sibi fecisse reliqui, *hoc est*, illum sedulò facturum omnia per se, nec opus habere admonitionibus & precibus. Sed inepta est hæc interpretatio. Nam nihil aliud hic dicitur, quam Pompejum Ciceroni denegasse quod petiverit. Sed objici potest; hac interpretatione stante, sententias Ciceronis inter se nõ posse conciliari. Sequitur enim in contextu proximè: Pompejum Lentuli caussam cùm in sermone quotidiano, tum in senatu palam sic egisse, ut neque eloquentia majore quisquam, neque gravitate, nec studio, nec contẽtione agere potuerit. Si petivit Cicero, ut Pompejus aut Regem Ægypti Prolemæum Auletem patrem Cleopatræ regno à suis popularibus pulsum ob luxum & alia flagitia, non apud se haberet, & studiis suis adjuvaret, aut non conaretur Lentulum detrudere ab ejus reductione & restitutione: quomodo potuit Pompejus ejus caussam, aut quam potuit aliam præter hanc agere?

Objectio.

agere? Nónne pugnant hæc duo: complecti maximo studio & intercedere, *hoc est*, impedire in adipiscenda vel augenda dignitate? Respondetur igitur, partium hujus loci connexionem postulare, ut intelligamus Pompejum non studuisse, hac in caussa aliquid adimere Lentulo, ac cùm dicit Cicero, Pompejum & hortari & orare, & jam liberius accusare & monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistimus infamiam referendam potius esse ad contrarium, quòd immodicè operam dederit, ut hæc pulsi Regis reductio per Lentulũ fuerit cum exercitu seu armis, contra senatus voluntatem & decretum, idque ut & Regi fortè simul gratificaretur non Lentulo solùm, sicut hæc accipit Vitus Amerbachius. Quocirca teneamus quod certũ est, & à Latinis quibusq; optimis celebratũ, Non dare locũ precibus, non esse idẽ quod non ferre se orari: & dicere sua sponte se velle facere quæ sunt petitã: sed Denegare quod petitur. *Respons.*

Der Bitt nicht stat geben/nicht Raum geben.

XXV.

An in jambico Carmine secundus pes admittat Spondæum? Ratius.

ETsi Jambici carminis apud comicos & versores Græcorum magna sit libertas: Tamen apud Aurelium, Prudentium & alios hoc posteriores, ut Georg. Buchananum, (Scotorum lumen) quod studiosè observavit D. Joannes Pincierus philologus & Poëta etiam felix, secundo & quarto locis (quæ loca dicuntur paris numeri) non recipit nisi Jambum, nisi quòd secundus admittit etiam tribrachyn, utpote respondentem Jambo non in syllabarum, sed in temporũ numero. Nam longa habet geminum tempus: ut,

O quanta rerum gaudia,
Alvus pudica Virginis,

Ex

Ex qua noVellum seculum,
Procedit & lux aurea.
Peccare contra conscientiam graVe est.
Vox unius Viri, Vox nullius.

Objectio. Potest obiici Hymnus Prudentii, ad Galli cantum, ubi sic legitur:

Ne somnus usq; ad terminos
Vita socordis opprimat
Pectus, sepultum crimine,
Et lucis oblitum sua.

Et ejusdem Hymnus in laudem Vincentii Martyris, ubi legitur hic Jambicus dimeter:

Respon. *Extorque si potes, fidem.*

Extorque habet e longum, Socors habet so longum. Respon. Ut aliquando bonus dormitat Homerus: Sic & noster hic Pindarus. Invenies tamen etiam, apud eum in Cathemerin: *Helias tali creVit obserVantia. Et Joannes hujus artis haud minus potens.* Sed quod ad hoc posterius exemplum attinet, dici potest, eum talia peregrina habuisse pro indifferentibus, & sic Es in Joannes corripuisse: Sic Sedulius:

Herodes hostis impie.

Discrepant etiam quæ in aliis Hymnis occurrunt: Sedulius;

a Potest hic legi Christe.
Verbo concepit filium
Te a Christum solum noVerat
Ep. Fortunatus. *Victor resplendens culmine*
Dicendo in nationibus.
Idem. *Radix Jesse jam floruit.*
Idem. *Præsepi imponis pertulis.*
Idem. *Quo prægnans Virgo mater est.*
Ambros. Procedens de thalamo suo
Melan. Joannem nobis miserit
Idem. Hic mores exui malos
Idem. Superbas mentes omnium
Idem. Furores & deliria

Talia sunt tartara.

Vatum

Vatum venisse noverant — *Idem.*
Relictis cognatam suis — *Pau. Eber.*
Nostro perfusus pectori — *Ambros.*
Bis vincit, qui se vincit in victoria. — *Mimus.*

XXVI.

Utrum germanum sit, Levidensa munus, an Levidense, aut Lenidense?

DE lectione germana loci apud Cicer. in Epist. famil. lib. 9. epist. 12: inter interpretes contenditur. Amico mittere volui munusculum levidense crasso filo. Quidam volunt hîc scriptum Levidense munus, alii Levidensæ, rursum alii Lenidense. Qui legunt levidense, derivant à levidensa ut Hispaniense ab Hispania. Qui Levidensæ: Levidensæ dicunt esse dictum pro levidensa, ut, nomen Petri pro nomen Petrus. Est autem iis levidensa vestis vilis. Qui lenidense: dicunt Lenidensem vestem esse raro filo leniterque densatam. In hac varietate ego nescio, quid melius, totaque res mihi videtur pendere in æquilibrio. Illud autem certum est, hac locutione Ciceronem intelligere orationem suam parum elaboratam atq; expolitam, scriptum non exquisito orationis genere cōpositum, munus vile & leve, cujusmodi vulgarib. amicis mittere solent divites.

Eobanus Hessus lib. 5. sylvarū Et intricata somniorum fabulæ. pag. 230. Christop. Longol. Servius. Nizolius & Amerbachus. Arnold. Turnebus.

XXVII.

Dicendum ne sit Lucifer an Luciferus? Ignifer an Igniferus: Ensifer an Ensiferus: Moriger an Morigerus? divide sententiam.

VOlunt quidam Lucifer poni substantivè pro stella Veneris seu Phosphoro; ut Noctifer apud Catullum est Hesperus seu vesperus. Luciferus verò poni adjectivè: pro lucem ferens. Sed ego neq; apud oratores, neq; apud poëtas Luciferus lego, ac judico etiā Lucifer adjectivè accipi posse, pro lucē afferens, ut planeta Lucifer, sicut bel-

lifer

lifer pro bellum ferens, & belliger, pro bellum gerens,& fignifer pro figna ferens. Cùm enim ab Aftronomis dicitur fignifer pro Zodiaco, intelligitur circulus(ut cùm dicitur ambabus, intelligitur manib.) Nā apud Ciceronē habes Orbis fignifer, Anxifer,a,um,eft apud Cicer. legifer, a, um, apud alios. Sic cornifer, furcifer, fagittifer, facrifer, a, um: Tædifer, telifer, armiger, a, um. Corniger à cornu, cornifer à cornus nomine arboris: Salutifer, pacifer, opifer, a, um, lethifer, lauriger & laurifer, glandifer, a, um, apud Cic. hæc funt, Ovidium, Senecam, Columellam, Plinium. Sic Claviger(à clava vel clave) crucifer, vexillifer, aquilifer olim aftrifer, venenifer. *Puto etiam rectè dici Lethiferus: quia legitur etiam Mortiferus apud Celsum & Columellam*: ficut mortifer, apud poëtas. Argumentum ὀνόματι καλὸν eft, *id eft*, fpeciofum. Moriger apud nullum dum legi; Morigerus, a, um eft apud Plautum.

Damnigerulus, falutigerulus & nugigerulus apud Plautum funt, ab inufitatis ferè nugiger, falutiger, damniger. Amitiger. **Ein Leimftengler**/ novum Frifchlini eft.

Nota I. *Quædam definere in Ger & Fer fimul: vel fignificatione eadem*: ut laurifer, lauriger: ftellifer apud Ciceronem & ftelliger apud Poëtas: laniger & lanifer apud Plinium & Poëtas. Sic alifer & aliger *vel paululum diverfa*, ut: Armifer eft qui fert feu affert arma. Armiger verò (Plautus etiam habet fcutigerulus) eft qui lanceam, fcutum, galeamve fert, armatum equitem in prælio fequitur. Bellifer eft, qui affert bellum: Belliger qui bellum gerit, ubi geftio officii rationem habet.

II. *Quædam in Ger vel Fer tantùm*, ut: fignifer apud Ciceronem, non figniger, peftifer non peftiger, frugifer non frugiger, umbrifer non umbriger,

ger, luctifer apud Senecam non luctiger. Solifer apud Senecam (non soliger) pro solem afferens, soporifer non soporiger, sic somnifer (non somniger) *id est*, inducens soporem. Baccifer etsi apud Plinium & Senecam legatur, non bacciger, tamē rectè etiam dicitur bacciger ut lauriger.

III. *Pleraq; in Er desinere, paucissima in us: ut* cœlifer Atlas, Dapifer non dapiferus: *Unum aut alterum in VS & ER simul.*

IV. *Plura in Fer quàm in Ger.*

V. *Natura sua esse adjectiva.* Noctifer supple Planeta, Falcifer intellige Saturnus.

XXVIII.

An dicatur inVehere in aliquem?

I*NVehi* in aliquem; pro insectari aliquem, **Mit rawen Worten einen anfahren**/ vel insultare in in aliquem, Ciceronianū esse alibi diximus. In eadā significatione aliquando legi Jnveho, haber in Calepino; &in eadem sententia est egregius quidā vir Latinæ linguæ doctissimus, ut dicere liceat aperte seu palam vel clanculum invehi vel invehere aliquem, *id est*, opponere se alicui. **Sich wider einen heimlich oder offentlich setzen.** Moventer autem loco Cicer. philip. 3. cum ille me absentem invehens, non intelligebat &c. Sed nullum hoc profectò argumentum est: Dicitur Insequens, ergo dicitur Sequo: dicitur Jnvehens ergo dicitur Jnveho. Plura non addo, ne videar putidiusculus in re satis manifesta. Annoto tamen hoc quoque, quod Cicero pro Muræna dixit: Bello invectum totam in Asiam; ad cujus imitationem dicere liceat: Turca invectus est bello in totam Ungariam pro, bellum infert toti Vngariæ.

XXIX.

Tollere an propriè idem sit quod portare, & Sustuli an aliquādo idem sit, quod portaVi, tuli? Neg.

Tollere

TOllere propriè non est idem quod portare, sed asportare, *id est*, hinc alio auferre: ut, tolle, quod tuū est, **nim hin/nim weg** Tollere è medio. Tolle grabatū tuū, sarcinam tuā. Tollere abjectū, *id est*, suscipere de terra, **von der Erden auff heben**. Cic in phil. Tollere jus vi & armis, **Mit gewalt fahren / dz Faustrecht brauchen**. Tollere supercilia, *id est*, vultu tristitiam aut iram aliquam præ se ferre, seu sublatis superciliis tristem iratúmve se ostendere. Tollere manū, *id est*, victum se fateri, Tollat te, qui non novit: proverbialiter, sic Tollere pedem, apud Cic & Martial. obscœna significat. Non dicitur, Deus tollit omnia verbo potentiæ suæ, sed portat, gestat, sustinet.

Sic Sustuli proprie non est idem, quod tuli seu portavi. Habet enim significationem auferendi, vel in altum tollendi. Itaq; cùm Christus dicitur sustulisse peccata mundi, non dicitur ea portasse, sed abstulisse, abolevisse. Cùm dicitur: sustulit ad cœlum palmas, intelligitur sursum tulit. Sed reclamatur nobis disticho quod probe decantatum extat apud Suetonium in Nerone:

Quis neget Æneæ natum de stirpe Neronem? Sustulit hic matrē (*id est* interfecit) *sustulit ille patrem:* (*id est*, portavit) Hîc respondemus: Sustulit patrē: non est portavit, sed humeris suscepit, sublevavit, sursum in tergum nimirū recepit. Sustollo enim verbū ferè obsoletum est, idem significans, quod attolo, extollo sursum, erigo, sublevo, subveho, vel perdo, interimo, destruo, subverto. **ich hebe in die Höhe/Ich hebe auff/Ich schaffe ab / ich räume auß dem Weg.** Pro eo Tollo utimur, etsi sustuli ab eodem remansit. Omnia hæc tam manifesta sunt, ut plura afferre exempla pene putidum sit.

Αἴρω tamen apud Græcos nonnunquam accipitur pro fero.

An

XXX.

An Hypallactica locutiones sint tantum Poëtarum?

HYpallacticæ locutiones nonnunquam etiam ab Oratoribus adhibentur: ut *Cic. in Philipp.* Imprimere aliquem locum vestigiis flagitiorum; est nihil aliud, quàm memoriam suorum flagitiorũ in aliquo loco relinquere, Ein ewigẽ Gestanck hinder jhm lassen/impressit totam Germaniam vestigiis suorum scelerum, *id est,* memoriam suorum scelerum reliquit in omnibus oppidis Germaniæ. Vestigiis suæ doctrinæ omnes Academias impressit, *id est,* reliquit post se monumenta doctrinæ in omnibus Academiis. Instravit equum ephippio, pro instravit equo ephippium.

XXXI.

Cum dicitur, Cum ἀληθείᾳ, an ἀληθείᾳ sit ablativi casus?

DAtivus Græcorum migrat apud Latinos in ablativum. Itaque cùm Cicero dicit, *id ab ἐποχῇ est remotissimum*, 13. Epist. ad Atticum: Et alibi, *Prudẽtia cum ἀμφείᾳ*, ἀμφείᾳ & ἐποχῇ sunt ablativi: Præpositioni Cum nunquam adjungitur Dativus.

XXXII.

An derivata Frequentativa sint Taxo, Vexo, Nexo, as, are?

GRammatici quidam docent, Nexare esse frequentativum, à nexu verbi Necto, ut à vectu est Vecto, as, are. Unde convecto. Sed apud nullum probatũ authorẽ Nexare invenio. Vexo autem & Taxo puto esse irregularia à vectu & tactu, ctu in xo mutato. Est autẽ Vexo idem quod agito exagito & infesto, vexor, agitor, variè trahor. Taxo verò dictũ videtur, quasi verbis vel conviciis tango. Pro vexor nonnunquam versor, dicitur. Ita versamur, *id est,* vexamur, affligimur, diversè trahimur. *1. Ep. fam. Epist. 1.*

XXXIII.

An, Sed, aliquando utamur in partibus sententia affirmat. & negat. simul? antithesi eadem etiam præcedente.

SEd, nonnunquam sententiam incipit, & mox in parte opposita reperitur, ut: Sed non de me, ut dixi, sed de sapiente quæritur, *id est*, non autem de me, sed de &c. in Acad. Sed ego non de præstāti quadam & eximia, sed prope de vulgari & communi prudentia disputo, *id est*, verum ego: A Cicer. de Orat sequenti exemplo ter adhibetur: Sed tamen facilè tacetibus cæteris, reticuissem, sed hæc oratio omnis fuit, non auctoritatis meæ, sed publicæ religionis, de Resp. Arusp.

Nonnunquam in altera sententiæ parte bis adhibetur sic: Non odio adductus alicujus, sed spe non corrigendæ, sed sanandæ civitatis. Sic vocem *Tametsi* nonnunquam in Cicerone sequitur Tamen.

XXXIV.

An Semestre idem sit quod semimenstruum? Negatur.

SEmestre est semissis anni seu dimidiatus annus. Semestris magistratus, semestre regnum latinis est sex mensium, ein halb Jahr / Græcis ἑξάμηνον. Quod annoto contra quorundam recentiorum errorem, quem ab iis animadverto, quos deprehendi Semestre usurpare, pro semimenstruo, sic enim quidam vir clarissimus scripsit: Hoc cum semestri tempore præcisè convenit, *hoc est*, semimenstruo seu 15. diebus. At Semestre non est à semis vel semi potiùs, sed à sex, ut trimestris, quadrimestris, octomestris, à tri, quadri, octo. Scripsit igitur contra usum omnium veterum latinorum. Semimestris etiam pro semimenstruus nusquam legitur. Mestris enim mestre non dicitur.

An

XXXV.

An ad quaestionem Cujus rectè respondeatur numerale ordinis primæ, secundæ, tertiæ: An cùm respondendum est prima, secunda, rectè quaratur per Cujus?

INterrogativi Quotus redditivum ut vocāt numerale, esse ordinis Primus, Secundus, & vicissim, notum est, Quotus eras inter Candidatos? Decimus. Volunt igitur quidam quærendum non Cujus, sed quotæ declinationis est Musa, ut respōdeatur primæ. Sed sciendum est, cùm prima, secūda pro partibus distributionis accipiuntur, quod nonnunquam necessitatis caussa fit, ut cùm partium specialia nomina desiderantur, tum rectè cōcinneq; etiam quæri per Quod, ut: in qua figura est hic syllogismus? in prima. Cujus conjugationis est hoc verbum? primæ in Am. Sic cujus declinationis? primæ in is. Cujus casus? primi, pro Nominativi.

In quæstione prorsus puerili, & quæ difficilem explicatum non habet, non est cur diutius immoremur. Advolemus igitur ad alia.

XXXVI.

An solœcismus sit in singulis Verbis?

SOlœcismum breviter definiunt Syntaxin vitiosam seu compositionem. Sed in disceptationem cadit, an hæc definitio Omni conveniat, & sit reciproca, seu definito adæquata, *hoc est*, an solœcismus aliquando fiat in singulis verbis.

Respondetur ex Quintiliano subtiliter: Aliquando fit Solœcismus in uno verbo, nunquam in solo Verbo. In uno fit verbo: Quia unius verbi emendatione corrigi potest. Nunquā in solo verbo, quia peccatur compositione seu συνθέσει, quæ jam sermonis seu orationis est. Nam licet dicas in una voce esse solœcismum: tamē vox illa refertur

 ad aliam,

ad aliam, ratione convenientiæ vel rectionis, & consecutio spectatur: ut, si unum quis domum suam vocãs dicat, Venite: aut si plures a se dimittens dicat, Abi. Aut si tibi quærenti, Quem video? respondeam. Ego (nisi forte dicas: Ego sum.) Fit igitur a Solœcismus in contexu, & complexu orationis, ut; De genere hic arbor quolibet unus erat pro, una fuit. Attende popule meus, pro, popule mi.

a Ut Demenes extremo sui ipsius odio flagrabunt (quo modo quidam magnus vir locutus est) pro sui ipsorum

XXXVII.

An Solœcismus & Solœcophanes sint unum & idem? Negat.

Solœcismo solœcophanes non est isodynamõ. Solœcophanes est apparens solœcum. Hæc nominis explicatio est. Definitur à Gulielmo Budæo in commentar. Ling. ad finem ferè, Syntaxis solœcismi similitudinem præ se ferens. A Suida. Τὸ δοκοῦν μὲν μετέχειν σολοικισμοῦ: μὴ μετέχον δέ: quod videtur quidem solœcismi esse particeps, sed non est.

Alii definiunt: *Quidquid habet speciem Solœcismi, qui ratione aliqua* verbi gratia per antiptosin *excusari potest*: Ut Jesum quem quæritis; non est hîc: Panem quem frangimus, nónne corporis Domini κοινωνία est? Definitiones hæ sensu conveniunt.

Sic ἐναντιοφανὲς est, quod videtur contrarium cùm non sit, non est ipsum ἐναντίον.

Sic ἐλαιοφανὲς Galeno est, quod olei splendorem mentitur, cui opponitur ἐλαιῶδες, *id est*, quod prorsus oleosum est. Locus est capit. 25. de Urinis. Quid quæris? Solœcismus refertur ad vitia. Solœcophanes ad πάθη Grammatica. Errant igitur qui hæc confundunt.

Est

XXXVIII.

Est pro licet, ut ἐστὶ pro ἔξεστι apud Græcos, an sine negatione usurpetur?

LAurentius Valla vir, de lingua latina non mi- *Judicium*
nus propè dixerim meritus, quàm olim de im *Laurentii*
perio Romano Camillus, ideoq; de manibus no- *de Valla.*
bis non excutiendus, in Randens. scripsit: Est, cum pro licet accipitur, nisi cum negatione ab oratoribus non usurpari, ut: Aliter non est accidere, apud Plin. lib. 8. c 37. Et nocturnorum animalium, veluti felium, in tenebris fulgent radiantq; oculi, ut contueri non sit: apud eundem lib. 11. cap. 57. Itaq; ei poëticum est, Cernere erat, *id est*, licebat, apud Virg Sed tenendum est, apud oratores etiam legi in affirmatione ad Græcorum imitationem: ut, de moribus nostris benè sperare est Plin. li. 17. cap. 9. ut multos videre est pecuniæ cupidos, Gell, lib. 3. cap. 1 Animadvertere est, pleraq; verborum latinoram ex ea significatione, in qua nata sunt, decessisse. Gell. lib. 13. cap. 28.

MISCEL. EX DISPUTA-
tionibus.

XXXIX.

1. QUinquemestre latinè dicitur, non quimestre: cont. V.A.

2. In Heautontimorumeno Terentii Jambicus *a Id est,*
est terrameter, *Dum moliuntur, dum comuntur (a) bona pars* *temporis.*
annum est, ô Clitipho. Sed quidam aniliter delirans
pro Annus legit Anus. *b* Versus enim esset vitiosus, *b Id est,*
cùm Anus habet a brevem, si Anus reciperetur. *fit Vetula.*

3. Epistolarum Cicer. lib. 9. epist. 9. legitur: *Quod si eris facturus*, mendosè nisi fallor pro Es facturus: *inusitatum enim est latinis ita duo futura conjungere.*

4. Σολοικοφανὲς & græca *c* figura loquendi est: *c. Quæ re-*
Si aliquid agas eorũ quorũ consuevisti. Cic. fam. *latinum*

 ep. lib.

convenit cum casu antecedentis. ep.lib.9.ep.14.(pro) quæ consuevisti, nisi fortè Agere aliquid repetendū est sic: quorum aliquid agere consuevisti. sic dicitur: Fabulæ quibus proprium nomen factum est apologis.

5. Roget quis, quid Cic. in Ep. fam. li. 2. ep. 12. intelligat, per *Comicū testem*. Sunt qui interpretentur domesticum testem. Rhodiginus refert ad comicas facetias. Neutri placent. Cum Vito Amerbachio incertum & simulatum testem, sicut in comœdiis omnia finguntur, intelligimus.

6. Peccare etiam accusativum rei adsciscit: ut, Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ, *id est*, peccare bis vir non solet sapiens idem: quod proverb. dicitur: Bis ad eundem lapidem offendere aut impingere. Sic apud Cic. in epistolis. Si quid forte titubatum est, *id est*, erratum. *Græc. Sentent.*

7. Ex jure manu consertum, ex judicii formula sine declinatione seu mutatione casus dici A. Turnebus probabiliter putat.

8. Inveteratus non est participium, sed nomen participio simile. Idem autem est quod vetustate roboratus. 16. epist. fam. ep 23.

9. Sermonem cum aliquo habere Ciceronianum est, pro colloqui. 16. ep. Fam. ep. 22.

10. Cicero 9. epist. lib. 16. Fam. honorem accipit pro munere honorario.

11. Redire ad sanitatem, est resipiscere seu pœnitentiam agere.

12. Ciceroniana sunt, Feci ut laudarem, pro laudavi. Si est, ut velis, pro si vis: si qua ostensiuncula facta est, pro, si quid offensus es. Fac erudias eū, pro erudi eum, judicium facere pro judicare. Facere commemorationem, pro commemorare.

13. Rursus pro contra ad imitationē græci πάλιν interdum etiam pro denique Ciceronianum est. In fam. ep. lib. 14. 18 In Topicis, in Oration. Mihi veni-

veniunt in mentem hæ, Romæ vos esse tutò posse per Dolabellam &c. sed rursus illud me movet, quod video &c.

14. Me auctore (quanquam, quæ est mea auctoritas) non dices Recompenso, Reitero, sed compenso, opera mea hoc compensabo, itero. Nullus enim, quod ego sciam, veterum latinorum ita locutus est. Sic Comitor dico, non concomitor.

XL.

Aliæ Theses de Verbis vulgò Neutris dictis.

1. Quæsitum est an latinè dicantur *Aror, discor*. Ac meminimus quendam castigatum, qui conjugaret Discor disceris discitur; Discimur discimini discuntur.

2. Hic ego cum Thoma Linacro Grammatico magni acuminis judicio sic: *Verba* quæ ad ea pertinent, quæ omninò loquela carent, destituuntur prima persona in simplici, hoc est, non figurata locutione. Hujusmodi sunt quorundam activorum passiva, ut, aratur (terra) arantur (agri.) At talium rerum cùm per prosopopœiã, quæ figura Rhetorica est finguntur loqui, non dubitant auctores etiam verbis, quæ iis propriè debentur, primas personas tribuere, libro primo, de emendata structura latini sermonis, tractat; de persona pag. 20.

3. Finge igitur Grammaticam, Tellurem, Bacchum loqui; & dici poterit Ego Grammatica negligentiùs discor, ego Bacchus intemperantius bibor Ego Tellus aror.

4. Sed prosopopœia non est rei cujuslibet. Itaque etsi dicitur, Errat errorem non ferendum inexpiabilem, Peccavit magnum peccatum, Multa peccas, Multa peccantur: tamen Peccor & Error non dicuntur.

5. Verùm inquis: Quomodò Linacer Aro facit verbum activum, cùm sit Neutrum absolutum.

6. Respondeo. Quædam verba sunt duplicis naturæ: Modò absoluta, ut amo, rideo, aro: modò activa seu transitiva, ut amo te, rideo te, aro terrã. Sic Linacer modo Vivo ad absoluta, modo ad activa (ut vivo vitam, ætatem) refert.

7. Potest & sic dici ex Linacro: Verba absoluta sunt quæ per se sensum absolvunt (citra sequentẽ ab antegresso diversum, casum) suntque ἰδιοπαθῆ, quibus passio intra se ipsâ significatur, ut palleo, frigeo, pallesco, frigesco, nauseo. Vel αὐτοενεργητικὰ, quibus actio in ipsis completa finitaq; significatur, ut curro, ambulo, pluit.

8. Hæc tamen accusativum ἐπιβατικῶς, *id est*, transitivè recipere possunt rei congruentis, ut, pugnare pugnam magna contentione: Curro cursũ, vivo vitam duram, percurri stadium. Ire duo millia. Triduo 700. millia passuum ambulare. Maria ambulare, terram navigare apud Cic. de Finibus. Germania parturit periculum jam diu conceptum, *id est*, cum dolore in lucem prolatura est. Atq; hac ratione activa censeri possunt.

9. Sunt itaq; activa κατά τι & ποτὲ, *hoc est*: secundum quid & aliquando, οὐχ ἁπλῶς, non simpliciter.

10. Cur dicitur, Degitur vita, Vivitur ætas, Curritur stadium, Curruntur stadia; At nõ dicitur, Sedetur scamnum, statur terra, sed absolutè sedetur, statur. Debet stari ante ostium Thaidis?

11. Resp. Quia dicitur Curro stadium, Dego vitam, Vivo ætatem. At non dicitur sedeo scamnũ, sto terram. Verba enim quietem & statum significantia, prorsus absoluta sunt, seu accipiuntur citra ullum accusativum, ut jaceo, sto quiesco.

XLI.

1. Neutra verba sunt quæ neque sunt activa neq; passiva, *hoc est*, quæ neq; in accusativum patientis, neque in ablativum agentis cum A præpositione transeunt, ut Sum, cesso, pergo, parco, obedio, servio, benefacio, noceo, placeo, affluo, abundo, exubero, gaudeo, egeo. *Aliæ.*

2. Dicuntur tamen hæc transitiva, quia in aliquem casum feruntur diversum ab eo, qui ipsa præcessit. Ac opponuntur absolutis.

3. Itaque Transitivorum appellatio solis activis non convenit.

4. Intellige autem constructionis ratione, Omne verbum esse absolutum vel transitivum.

5. Absoluto subjice ὑπαρκτικὸν Sum: etsi non nesciam Linacrum hoc neutrum ab absolutis seu supinis (ut veteres vocarunt) verbis sejungere.

XLII.

1. Hypallage seu Inversio Ciceroniana est. Offensionem suspicionis deponeres pro suspicionem quæ offenderat. Sic Cic. Epist. Fam. lib. 13. Epist. 46. causam amicitiæ videtur dixisse, pro, amicitiam ob justam causam, per inversionẽ effectus & causę. *Aliæ.*

2. Ciceroniana sunt dilexi, pro testatus sum me diligere, & Libero eum omni suspicione cupiditatis, pro judico liberum seu vacuum esse debere ab omni suspicione, per Enallagen facti pro judicio.

3. Immane quantum, eleganter usurpatur per valdè multum: ut, Inter vocari & esse immane, quantum interest.

4. Non omnia adjectiva in Lentus (ut potulentus, *hoc est*, ebrius; utitur illo Suetonius) significant plenitudinem seu copiam. Esculentus enim cibus est cibus esui aptus, pro quo poëtæ dicunt Vescus, (à vescor) Quidam tamen etiam apud Gellium legunt potulentum, pro, potui idoneum. *Quædam exempla habent potulenta.*

5. Pingere nonnulli nunc utuntur vitandæ ambiguitatis causa, quæ est in verbo scribere, sed sine exemplo veterum quod sciam.

Iis Scribo significat & literas ac dictiones formo, seu exprimo suis notis; quòd cum fit pulcrè, καλλιγραφία dicitur. Et res hoc modo exprimo & tracto, sive animi sensum profero notis literarum. Vit. Amerbach. in enarrat. Epist. Famil.

6. Pro *Scilicet* veteres Grammatici dicunt Supple. Veteres enim Latini τῷ Scilicet utuntur non expositivè, sed affirmativè & approbativè, Cicer. lib. 12. Epistol Famil. epistol. 16. Quæ scilicet cupio esse falsa.

7. Cicero construit *Communico* cum ablativo addita præpositione Cum: ut facti vestri gloriam cum mea laude communicem, id est, particeps fiam vestræ gloriæ. Julius Cęsar etiam cum dativo, ut: communico tibi meam gloriam.

8. Participia in *Rus* non derivantur à præsenti (θεματικῷ) Non igitur dicendum *Ignosciturus*.

9. Latinismus, Græcismus & Germanismus nonnunquam concurrunt, ut: in se recipere, Auff sich nemen/ἐφ' ἑαυτῷ δέχεσθαι, hoc est, spondere seu promittere cum periculo damnum præstandi.

Cicer. in Epist. Sic ad suum pervenire, Zu dem seinen kommen/suum consequi. Atticus noster majorem etiam mihi cum Coslinio consuetudinem fecit, hat Kundtschafft gemacht / pro quo frequentius, conciliavit consuetudinem, vel adjunxit hominem propiùs. Ad numos pervenire: zu gelt kommen / pecuniam consequi, lib. epist. 13. Epist. 15.

10. Antequam homines suscepto scelere se perditum ivissent, pro perdidissent, dicitur: *Se perditos ivissent*, non dicitur.

11. Puncta

11. Puncta pro suffragiis etiam Ciceronianum est. Suffragia autem seu puncta ferre, accipitur modò per eo, quod vulgus ex vernaculo *vocem aut votum dare*, barbarè dicit: modò pro auferre suffragia, ut: *Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci*, id est, omnium suffragiis laudatur.

12. Didicitum participium passivum in usu non est, quia Didicitu supinum in usu non est.

13. *Unus & Alter*, nonnunquam usurpantur pro primus & secundus, ut: uno & vicesimo die, id est, primo. Altero & vicesimo die, id est, secundo.

14. Etsi differunt Timeo te, & Timeo tibi: Tamen & Brutus in Epist. 19. lib 11. ad Ciceronem dixit; Timeo vestram vicem, pro timeo vestræ sorti, fortunæ, rebus. Et Cicero pro domo sua: Mihi uni necesse est, & meam & aliorum vicem pertimescere. Ubi per vicem pœnæ & incommoda intelligi videntur.

15. *Cùm* una sæpe & tempus & ordinem significat. Cicer. lib. 10 Epist. Famil. epistol. 16. Cùm rebus enim ipsis essent, & studiis beneficiisq; in Rempub. gratissimæ (literæ) tum erant gravissimis verbis & sententiis plenæ. Et lib. 9. epistol. 14. Nam cùm te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti, tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore mihi fuerit ardentius. Libr. 13. Epist. Famil. epist. 55. Cùm jam diu diligerem M. Annejum, deq; eo sic existimarem, ut res declarat, quod ultro ei detulerim legationem, cùm multis jam petentibus denegassem, tum verò posteaquam mecum in bello fuit, tantam in eo virtutem cognovi, ut hominem neminem pluris faciam. *Hanc genuinam vim particulæ Cum diligenter notandam esse existimo.*

Particula Cum conjunctivo, Tum indicativo juncta.

16. *Amare* Ciceroni in Epistola ad Brutum est ἐμφατικώτερον, quàm diligere. Itaq; lib. 15. Epist.

Famil.

24. Passim & Ordinatim à Latinis interdum opponuntur.

25. Solicitior Compar à solicitus, Ciceronianum in 10. Epist. Fam. epist. 18. est, eodemque Plinius junior frequenter usus est.

26. Pro Intimare, quo multi utuntur dicendum puto, publicè proponere, **öffentlich anschlagen**/ figere scriptum, tabulam, chartam in publico ponere. Intimare pro denuntiare est apud Martianum, & Cod. de adopt. vide Thesaurum.

XLIII.

Quod Præditus sit nomen participiale, id est, simile participio.

1. PRæditus adjectivum, idem est quod affectus, cui voci tam mala quàm bona adjiciuntur.

2. Dicimus, præditus morbo, id est, affectus. Præditus ingenio, doctrina, id est, ornatus. Præditus scelere, id est, contaminatus seu pollutus.

3. Sed Præditus participium non est.

4. Non enim ut dicitur, Ornatus à Deo donis, sic etiam dicitur præditus à Deo donis.

5. Præditus nomen est, ut ornatissimus & lectissimus. At non dicitur, lectissimus à Deo, ornatissimus à Deo: sic etiam non dicitur Præditus à Deo.

Praditum esse significat ornatũ vel pollutum esse. Contra Calepin.

XLIV.

An Modus verbi definiatur rectè significatione affectus animi? Negatur.

MOdus verbi definitur à Grammaticis, *Voluntas vel affectio animi per vocem significata*: per vocem significata non placet definitio. Modus enim neq; propriè est voluntas, vel affectio significata, neque formaliter est significatio voluntatis vel affectionis, sed causaliter, quia parit significationem. Imo si propriè loqui velimus, ut debemus, non parit verbi significationem, sed adsignificationem, seu significationi, quam habet verbum,

consi-

consignificationem quandam affectus aut voluntatis addit. An autem τρόποι seu modi in doctrina verbi sint retinendi, nec ne: de eo alibi disputavimus.

XLV.

De Diphthongi genere.

Lexicon ἄφθογγος (non sonans) μονόφθογγος, (unisonus) & δίφθογγος (bis sonans, duos habens sonos) adjectiva facit generis communis seu utriusq; sub articulis ὁ καὶ ἡ.

2. Secundum hæc, cùm dicitur, *Omnis Diphthongus longa est*, Elliptica locutio fuerit, seu defectus substantivi: Omnis diphthongus supple, syllaba longa fuerit, ut syllaba longa conjungatur ex regula convenientiæ adjectivi cum substantivo.

3. Grammatici τὸ Diphthongus substantivè acceptum, pro sono duarum vocalium, seu comprehensione duarum vocalium in una seu eadem syllaba faciunt fœmininum, ut *longa Diphthongus* sit exemplum convenientiæ nominis adjectivi cum nomine substantivo, etsi φθόγγος (sonus) masculinum sit.

4. Nam & τόμος usitatè masculinum est, ut unus tomus operum ejus: at ἄτομος Atomi pro individuis corpusculis, fœmininum est. Exemplum est apud Cice. Sic contra Manus fœmininum substantivum est: Unimanus (der eine Handt hat/ apud Livium) adjectivum masculinum.

5. Nec rarum est unam vocem modò adjectivum modò substantivum esse τόμος (sectio) substantivum. Τομὸς (scindens) adjectivum. Ἄτομοι substantivum. Ἄτομος (insecabilis) ὁ καὶ ἡ adjectivum. Ἄτρεπτος (immutabilis) adjectivum generis commu-

communis, & Ἄλεκτ☉ substantivum fœmininum, pro una è Parcis Pubes & Impubes adjectiva, pro habente, vel non habente annos pubertatis. Pubes substantivum pro lanugine prima parte pudenda multitudine juniorum.

Cùm dico, *Est truncus*; truncus substantivum est. Cùm dico, *Trunca manum pinus regit*. Trunca est adjectivum, *apud Virgilium*. Trunca manu, *apud Tacitum*.

PROBLEMATUM GRAMMATICORUM LIBER Quintus.

I.

De Vitiis incorruptæ latini sermonis integritati oppositis, ideoq; non ferendis.

Latinitas sermonem purum conservat ab omni vitio remotum: Cujus quidem peritum esse, in magna laude ponendum est.

2. Vitia in sermone, quò minus is sit Latinus, duo possunt esse: Barbarismus & Solœcismus.

3. De his præsenti disputatione dispiciemus. Non enim tantùm id, quod rectè atque ex officio faciundum est cognoscere oportet: Sed etiam quod pravum est cavere, ut præclarè monet Scal. lib. 1. de causis latin. ling. cap. 14.

4. Barbarismus est vitiosa dictio ἁμάρτημα περὶ λέξιν, vitium in dictione. Theod. Gaza. Nimirum contra sermonis legem vel scripta pronuntiatáve, vel usu rectè loquentium non recepta.

5. Itaq; describitur angustius: cùm verbum aliquod vitiosè effertur vel scribitur.

6. Vitium pronuntiationis scriptionísve fit, *aut Defectu, aut Excessu, aut Mutatione*.

7. Mutatio est literarum aut locorum.

8. *Ita fit peccatum, aut in Substantia, aut in Quantitate, aut in Qualitate, aut in Loco.*

9. *IN Substantia*: cùm altera pro altera ponitur seu subditur, ut: o pro u, in jocundus, Jobilæus. Veteres hoc vitium Synecdochicè Rusticitatem vocarunt.

Sic Cœpit mures pro cepit, Celo pro cælo, Musæum pro Museum, Cælo pro celo, Cæstus pro cestus, Cestus pro cæstus. Cæstus enim rectè scribitur, pro quodam genere clavæ, cestus pro cingulo, Cælo pro sculpo, Celo pro occulto.

10. *IN Quantitate*, cùm major minórve litera aut numerus syllabarum efficitur, vel tempus vitiosum est.

11. Errores in Quantitate, *PER excessum in consonantibus* sunt.

12. Lambdacismus, cum l crassius effertur: ut lalocus pro locus.

13. Metacismus, cum m mugitur.

14. Δασύτης, cum aliæ consonantes aspirantur, aut crassius eduntur: ut, Crates pro grates, Bibo pro vivo, aut etiam fifo? Chommoda pro commoda.

15. Περισθήκη literæ hîc quoque est, ut Estare pro stare, michi pro mihi, vach pro vah, rengnum pro regnum.

16. Syrigmus (συριγμὸς) cùm ipsum S crassissimè & penè sibilantes edimus.

17. Platyasmus est, cùm vocales hiatu vasto pronuntiantur.

18. Hujus generis est Jotacismus, cùm ipsum J maximè exiliter profertur.

19. Etsi enim exilitas sit defectus, tamen etiam defectus incrementum seu accessiones recipit, & cùm Jotacismus committitur, excessus in sono est.

20. *IN syllabis*, ut amicitior pro amicior; spurcitior pro spurcior.

21. *PER defectum errores* sunt: ἰσχνότης (contraria ἰσχνότητι) ut cùm e & o nimis exiliter pronunciantur.

22. Κολόβωσις, id est, mutilatio, cùm aliquid omittitur, ut aspiratio. Exempla sunt Abeo pro habeo, Uc pro huc, Reminiscò pro reminiscor; ut scitè Ausonius lusit.

Qui reminisco putat se dicere posse latinè;
Is ubi co scriptum est faceret cor, si cor haberet.

Rationatio pro ratiocinatio.

23. *IN Qualitate*, cùm sono suo defraudatur detorqueturque in degenerem aut peregrinum, ut: Grazia vel grassia pro gratia. Dejus pro Deus: vel genus aut terminatio vitiosa est, ut vasibus pro vasis, Nuptia pro nuptiæ. Vinus pro vinum.

24. In Qualitatis vitiis numeratur Traulismus, τραυλισμὸς, id est, balbuties.

25. Hanc Scaliger negat rectè dici Blæsitatem, quòd blæsitas vitium oris sit; sicut & κοιλοστομία, sed ita, ut blæsi distorqueant literas ex oris tortura: κοιλόστομοι autem è palato seu recusso oris, aut naribus veluti è cavo quodam loquantur.

26. Traulismi exemplum est, cum R. in L. detorquetur.

27. *Error PER tempus*, ut Depeculor pro depeculor. Infantilis pro infantilis. Huc nonnulli etjam referunt, Serotinus pro Serotinus.

28. *Error: IN Loco*, cùm transfertur litera aut syllaba, vel tenor: ut Scrotum vel scottum, lapidicina pro lapicidina. Aliquando pro aliquàndo, dùntaxat pro duntàxat, déinde pro deínde.

29. Quodammodo etiam barbarismi sunt Figurarum seu Metaplasmorum exempla ea, quæ poë-

tæ tantum, non etiam ſcriptores proſæ, uſurpant ſi aliquis his utatur in ſoluta oratione, ut: Olli pro illi, quæ ἀντιστοιχείωσις eſt, id eſt, literæ pro literæ poſitio: Tymbre pro Tymber, quæ μετάθεσις eſt, cùm litera a ſede ſua in aliam tranſponitur: Phaeton pro Phaëthon, quæ συναίρεσις eſt, cùm duæ ſyllabæ in unam contrahuntur: Terrai pro terræ: iam pro jam, quæ διαίρεσις, cùm una ſyllaba in duas dividitur. Salmentum pro ſalamentum quæ συγκοπὴ, id eſt, ablatio literæ vel ſyllabæ è dictionis medio Relliquiæ pro reliquiæ, quæ ἐπένθεσις, cùm quid in medio interponitur.

Petro Moſellano figura dictionis in proſa, ut Tetuli pro tuli, eſt Barbariſm.

30. Barbarorum vocum, quæ uſus excluſit, exempla ſunt: Baculare, pro baculo percutere. Emanari pro emanare, Emanatus pro emanans ſeu qui emanavit.

31. Solœciſmus eſt ἁμάρτημα περὶ λόγον vitium orationis (Theod. Gaza) cùm nimirum parum conveniens eſt partium orationis compoſitio: ut, ſum intro, pro intus. Aliquot centum & aliquot centena, pro aliquoties. Innumerabilibus enim non junguntur duo adjectiva, ſed pro altero ponitur adverbium Numerandi. Exempla quæ huic normæ contraria afferuntur, puto eſſe corrupta à librariis. Oratio cum ſeipſa non conſentit, pro, ſecum ipſa non conſentit, ſicut dicitur Latinè, ſecum ipſe convenit apud Scalig. 1. exe. pag. 943. Climax oratorius, pro oratoria.

32. Solœciſmus eſt inexcuſabilis vel excuſabilis ſeu excuſandus.

33. Inexcuſabilis qui nec uſu nec ratione ſuſtineri a defendique poteſt: ut Bona vir. Deus ſancta. Corpus & ſanguis ordinatum ſeu inſtitutum. Attendite popule meus, pro popule mi.

a Vulgo Salvari.

34. Excuſabilis eſt qui ſermonis uſu aut vetuſtate vel

te vel figura aliqua(ut Antiprosi, Enallage, Ellipsi) defendi potest. At dicitur σολοικοφανές. Definiri hîc potest compositio habens speciem solœcismi, qui ratione aliqua excusari potest.

35. Ut Virgil. *Centauro invehitur magna*, supple, *navi*. Livius, Latium Capuaq; mulctati: quæ referuntur ad intellectionem, figuram syntacticam, quam Syllepsin quandam facit Linacrus, qua isti solœcismi excusantur.

36. Aliud igitur est, dicere aliquid esse solœcophanes, & aliud est aliquid esse simpliciter solœcismum, aliud est σολοικίζειν πῶς, aliud ἁπλῶς.

37. Ad Solœcophanes refero, quod nunc multi sic loquuntur: Quantum in se est.

Enallag. Hic est reciproci pro relativo, quam tamen nolim te imitari. Ciceroniani dicũt: Quantum in ipsis est, & Quod in ipsis est.

39. Sunt & hæc σολοικοφανῆ, Euntes docete, πάντα τὰ ἔθνη, (omnes gentes) baptisantes, αὐτούς, (eos) Matth. ult. & duodecim millia Signati pro signata, 7. c. Apocal. Et hoc Scaliger, exercit. 321. Brutis ignaviores sunt quædam monstra hominum supinorum atq; otiosorum, qui hæc curiosa vocant. *Vel Intellectio est, vel Appositio.*

40. Talia sunt: Scelus postquam ludificatus est virginem. Ubi ille scelus, qui me perdidit. Hic duarum dissimilium vocum altera ad rem significatam, non ad alteram vocem refertur (per syllepsin Linacri.) Ait Columella vinum absinthiten, hissopiten, &c. sic condire oportet. Hic si sequimur Linacrum, masculinum non refertur ad significatum nominis Vini, sed ad aliam vocem, nempe Græcam οἶνος, ut in superiori exemplo αὐτούς, seu eos, non ad ἔθνη seu gentes, sed ad ἀνθρώπους. Alexandri ab Alexandro lectatores synthesin appellant, nullo, quod sciam, veterum auctore.

41. Sed mihi placet magis dici, Vinum absinthites, conjuncto neutro cum masculino, dictum esse, ut Mancipium auctor, Numen auspex, Roma caput, numen Dominus ævi. Verùm pergamus. Est enim mihi aliquid cum *Glycerio & Erotio.*

V.

Glycerium & Bassion cujus generis?

DE genere vocum Glycerium, Erotium, quæ fœminarum sunt, & Bassion, Heliconion, quæ marium sunt, dubitatur. Donatus censet esse Glycerium & Erotium fœminina, Bassion & Heliconion masculina: Priscianus & Linacer judicant esse Neutra. Pro illo sic arguo: Muræna & Dolabella propria virorum, sunt masculina, etsi in A desinant. Ergo propria mulierum, Glycerium, Erotium sunt fœminina: etsi in um desinant. Antecedens probo: quia dicitur Dolabella insitor pyrorum, non insitrix. Dolabellæ tuo gratulor, 9. Epist. Famil. Accedit eo, quod apud Terentium in And. act. 1. scen. 1. est *mea Glycerium*. Sed hoc non admodum urgeo. Linacer enim ad Syllepsin seu intellectionem transfert hoc exemplum, & facit simile huic: In Eunucham suam, intellige fabulam. Talis, inquit Linacer, fortasse locutio est; *Mea Glycerium* (supple amica.)

Pro posterioribus sic arguo: Mancipium & Scortum sunt generis neutrius. Ergo etiam Erotium, Heliconion. Ac subtexto testimoniū Quintiliani 1 institut. cap. 8. Quæ fœminina positione mares, aut neutrali fœminas significant, qualis sunt Muræna & Glycerium. Sed responderi potest, 1. dissimilitudinem esse exemplorum, quæ conferuntur. Mancipium enim & Scortum sunt nomina appellativa. Sed Muræna & Glycerium sunt propria. 2. Quintilianum non dicere fœminino genere mares, neutro genere fœminas, sed

fœmi-

fœminina poſitione, neutrali poſitione, id eſt, terminatione (ipſius ϑετικȣ̃.) Nobis ſtet illud fortè inquias, Regulam ſpecialem derogare generali. Reſponderi poteſt: In Grammaticis Regula ſpecialis terminationem reſpiciens, non ſemper derogat generali, ſignificationẽ reſpicienti. Regula enim in Us ſecundæ & quartæ declinat. maſculini generis ſunt, non derogat regulæ: Arborum nomina ſunt generis fœminini, quod attinet ad hæc exempla, laurus, quercus, fagus.

III.

De figura loquendi apud Ciceronem, ſitne approbanda: Unúmne eſt cœlum, an innumerabilia?

QUot ſunt cœli ſtellati? quæris. Reſpondeo latinè Unum (ſupple cœlum.) Rurſus: An ſit unum cœlum: quæris. Reſpondet alius latinè, innumerabiles (ſupple cœli.) Quid igitur eſt, quod Cicero lib. 9. Epiſt. Famil. epiſtola ultima ad Papyrium ſcribit: *ille vero putabat te quæſiturum num unum eſſet cœlum an innumerabilia.* Quid hoc ſolœci eſt? An verò Cœlum in numero plurali eſt generis neutrius? Reſpon. dixit Cicer. Innumerabilia, non innumerabiles, quia ejus ætate Cœlum, pluralem numerum non habebat. Nunc cùm Cœli recepti ſint, nos innumerabiles in quæſtione iſta diceremus.

Sed inquis: an Cicero tam ἀφιλόσοφος, ut cœlos Saturni, Martis, Jovis, &c. non agnoverit Reſpondeo: hos in cœlo GLOBOS vocavit non cœlos: ab Aſtronomis conſueverunt vocari ſphæræ & orbes: ut orbis Lunæ. Brevis ſum, quia homo ſum de ſchola, non de foro.

IV.

An Suus habeat Vocativum? Negatur.

SUus caret vocativo (contra Vallam & Priscianum) Vocativi enim exemplum nullum reperitur. Ubi legisti, Lauda Deum, ô creatura sua? Tollite de terra herum servi sui. At inquit Valla, legendum in Psalmo: Benedicite Domino angeli sui, pro, ô angeli sui. Tale est si quis dicat: Defendite Imperatorem periclitantem ô milites sui. Mihi verò probatur hæc versio: Laudate Jehovā omnes angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus.

Rectus aptusq; usus reciproci & relativi in orationis laude ponendus est: ut Jehovam laudent sui angeli: Christum non receperunt sui cives ad imitationem Ciceronis. Sed hoc παρέργως.

V.

De Barbarismo & Solæco.

CUm ad nullius rei summam, nisi præcedentibus initiis, perveniri possit, ad minora illa, sed quæ si negligas, non sit majoribus locus, demittere te mecum non gravaberis.

2. Inter minora illa numero Grammatica, quorum disputationes procul quidem ab ostentatione sunt positæ; sed aliquando necessariæ, & cum utilitate conjunctæ.

3. Talis est disputatio de virtutibus & vitiis grammaticis, quando quæritur: An in profanis & sacris scriptoribus occurrant uspiam talia, quæ βαρβαρίζειν καὶ σολοικίζειν, videantur.

4. De præsente ergo argumento hoc tempore sententias conferemus: hic οὐδὲν σμικρὸν οὐδὲν παραφρονητέον putantes. At præteritur tamen: quæ κολάσει potiùs quam λύσει digna sunt.

5. In re Grammatica spectantur VIRTUS & VITIUM.

6. Virtus est, quæ conservat λόγον purum, & à vitio remotum.

7. Estq

7. Estq; in ANALOGIA vel ANOMALIA.
8. Sive sit Etymologica, sive Syntactica.
9. Analogia consistit in canonibus seu regulis.
10. Anomalia in exceptionibus.
11. Anomaliæ subjiciuntur Figuræ, quæ sunt σχήματα & πάθη grammatica Græcis.
12. Figuræ accidit Solœcophanes (apparens Solœcum:) ut tropis Rhetor. Catachresis.
13. Solœcophanes definitore Calepino est quicquid habet speciem Solœcismi, qui ratione aliqua excusari potest.
14. Definitore Guilielmo Budæo est Syntaxis seu compositio Solœcismi similitudinem præferens, pag. 102.
15. Definitore Suida est, τὸ δοκοῦν μὲν μετέχειν σολοικισμοῦ, μὴ μετέχον δέ.
16. Quod si figura fuerit inæqualior, rarior & insolentior, Solœcophanes esse rectè dixeris orationem, quæ ad Solœcismum proximè accedit.
17. Si indocto & minus-versato in auctoribus bonis videatur Solœcismus, rectè dixeris Solœcophanes esse, quod Solœcum quidem (ut inconsequens) videtur, non est tamen. Tale est hoc Scaliger. exercit. 319. Euclidæ theoremata reducenda sunt ad pauciores, (supple προτάσεις seu propositiones.)
18. Vitia Grammatic. sunt Barbarismus & Solœcismus.
19. Barbarismus est, cùm verbum aliquod vel non est latinum, vel habet vitium.
20. Solœcismus verò Suidæ est λόγος οὐ καταλλήλως συντεταγμένος, id est, cum pluribus verbis consequens verbum superiori non accommodatur. *Mala versio barbarie. 19. Vertendo borū Psal.*
21. Breviter, est Syntaxis vitiosa: ut, In conver-

tendo Dominus captivitatem, pro convertente Domino, vel dum converteret Dominus.

Hujusmodi est hoc ἀνακόλουθον. Benedict. Peretii de motus & mundi æternitate libro pagin. 835. *Res omnes ad Deum relata, à quo liberè producta sunt, ita ut potuerint non produci, & liberè conservantur, ita ut possint non conservari: nulla est res omninò necessaria & incorruptibilis.* Dicendum erat, *Res omnes si ad Deum referantur, &c. nulla earum est omninò necessaria.*

22. Expositis vocibus, restat ut ostendamus quædam, si acumen styli subeant, ostendere se nobis & occurrere in illustribus auctoribus Solœcophane; & quidem nonnulla ex his talia: quæ si tyro aliquis aut vulgaris scriptor usurpet, Solœcismi rectè dicantur, Guilielmus Budæus, pagin. 1093. comment. de Ling.

23. Fiunt & Solœcophane, cùm & casus & genera relativorum tribuuntur per antecedentia, ut Plutarchus: Ἔχαιρε δὲ ὑγχοῖς δέξειν, ἐν οἷς ἀποδώσειν ἔμελλε: Quibus pro quæ οἷς pro ἃ: Ut latinè, cùm ad nomen subsequens trahuntur, Livius. Ne appellarent consilium, quæ vis & necessitas appellanda esset, Quæ pro quod. Plato in Philebo: Λόγοι μέν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν, Quas pro quos. Dignum hoc imitatione etjam in latina lingua.

Idem: Est & σολοικοφανὲς apud Demosthenem in his verbis, Οὐ τοίνυν, οὐδὲ τὴν ἧτταν, &c.

Idem: Est insignis mutatio casus apud Dinarchum: Οὐ προσεκτέον ὑμῖν ἐστι τοῖς τούτων λόγοις εἰδότας, &c. pro εἰδόσιν, quod est Solœcophanes.

Idem: Est etiam Solœcophanes in hoc Platonis in Phædro: Οὔτε δὴ κρείττω οὔτε ἰσούμενον ἑκὼν

ἐραστὴς

ἐρασῆς παιδικά. Παιδικὰ dixit pro ἐρώμενον. Linacer. lib. 6. de emendata structura. Hoc Horatii penè Solœcophanes est: Ode 8. Mammæ putres, equina quales ubera, pro Qualia.

24. Sed ego *quales* refero ad *Mamma*, ut non opus sit, ponere hîc duriorem generum Enallagen.

25. Servius illud Virgilii, *rapuitq; in fomite flammam*, pro in fomitem, ait esse penè solœcophanes.

26. Sed redeo ad Linacrum. Is libr. 2. hæc inquit. Virgil. libr. 7. *Tali intus templo divûm patriaq; Latinus Sede sedens*, σολοικοφανὲς est: In prosa verò Quintiliano auctore lib. 1. cap. 10. solœcismus. Sic Valentinus quoque Erythræus in lib. figurarum Adverbii pro Præpositione enallagen vocat solœcophanes.

27. Græcismus est, Sic omnes repudiandum est artes, ut loquitur Varro libro 8. Ejusmodi est, si dicas: Novas leges non temerè ferendum est. Græci enim dicunt, καινὸς νόμους εἰκῇ μὴ θετέον: Demosthen. sic: juvenibus imitandum est senes, è græco: νέοις ζηλωτέον τοὺς γέροντας. Simonides.

28. Antiptosis est: Jesum quem quæritis, non est hic, pro Jesus.

29. Intellectio est, quam Linacer subjicit Syllepsi [vocarunt multi hactenus minus significanter Sinthesin] cùm Cicero dicit 2. de Oratore pagin. 171. Ceteræ ferè artes se ipsæ per se tuētur singulæ. Benedicere autem, quod est scienter & peritè & ornatè dicere, non habeat definitam aliquam regionem, cujus terminis septa teneatur, omnia quæcunque in hominum disceptationem cadere possunt, benè sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiæ nomen relinquendum est. Hîc Septa fœmininum, non congruit cum τῷ Bene dicere, quod loco neutrius ge- *Solœcophanes Ciceronianum.*

neris est. Referendum igitur est ad vocem Eloquentia, quæ in proximè præcedendi periodo adhibita est, & cui Bene dicere ἰσοδυναμεῖ: quod est ὁμόλογον [hoc est in confesso.]

30. Solœcophanes apud Græcos est, quod Parelcon dicitur, cum comparativo additur alius comparativus, aut superlativo, alius superlativus. At apud Latinos hoc solœcum *a* ferè est: ut, magis doctior, maximè vel longissimè doctissimus. Solœcophanes, inquam, apud græcos est sive apparens solœcismus, Nam ii comparativo nonnunquam addunt comparativum amplificandi gratia (sicut exaggerationis caussa latini adjungentes comparativo positivum, dicunt multo doctior, longe doctior) sic enim locutos græcos invenias:

a Dico ferè: quia Plautus dixit magis dulcius.

Philo de mundo.

Πολὺ μᾶλλον ἑτοιμότερον, multo promtius ἄμεινον ἔσεσθαι μᾶλλον, fore melius. Μᾶλλον hîc videtur παρέλκειν, *i. e.* superfluũ esse, seu πλεονάζει. Οἱ δειλότεροι μᾶλλον: αἱρετώτερον μᾶλλον: μᾶλλον ὀξυφωνοτέρους γενέσθαι? quæ posteriora Aristotelis sunt: Μᾶλλον ὀλβιότερον est Aristophanis, propter hæc & plura alia exempla, quidam sic docent: μᾶλλον συγκειλικὸν. Comparativis adjectivis adjunctum, præstantiam ejus quod confertur, ad illud cum quo confertur, auget. Plautus Græcismum imitatus dixit: Magis dulcius.

Hellenismus Plautinus.

At cùm dicitur: *Hic est sapientior vel potius prudentior illo*, hîc *potius* non additur voci *prudentior*, sed verbo *Est*. Apud Græcos etiam μᾶλλον interdum idem est, quod vel *potius*: Ulpianus l 3. § conditio. ff. de adimend. legat. *Sed melius est, sensum magis quàm verba amplecti.* Hîc *Magis* non refertur ad *Melius*, sed ad *Amplecti*, & idem credo est, quod *potius*.

An

VI.

An Solœcophanes sit? Verane te offers mihi facies? A.

Illud Virgilii lib. 3. Æneid. *Verane te facies, verus mihi nuntius affers*, nisi aliqua ratione accuratè leniatur, videri potest solœcophanes, ait Linacer lib. 3. de emendata structura latini sermonis. Quid ita? quia dicendum erat: Verâmne te faciem, verum nuntium mihi affers. Quomodo igitur à solœco vindicabitur ista compositio? si dicas esse Ellipsin particulæ ut, Affers ne te mihi, ut vera facies (supple se affert.)

VII.

An dicatur Assoleo & an Assolet semper sit impersonale?

Assolet impersonale esse videtur: Man ists also gewohnet.

2. Itaq; Assoleo non dicitur, sicut quia Decet impersonale est, non dicitur Deceo.

3. Ut dicitur Decet impersonaliter: Ita dicitur Assolet impersonaliter, ut: Cic de amicit. Cùm in hortos commentandi gratia (ut assolet) venissemus: & Assolent impersonaliter à Cicerone & Terentio. Adhuc, quæ assolent, signa ad salutem omnia huic esse video.

4. Ut autem non sequitur: Dicitur Decet, id decet apud Plautum & decent: Responderunt, & respondentur, ut: Hęc mihi respondentur, Ergo dicitur etiā Deceo & respondeor. Sic nō sequitur, Dicitur assolet & assolent. Ergo dicitur Assoleo.

5. Quia tamen dicitur Soleo, non rejecerim penitus Assoleo, quod vel ipse Nizolius Ciceronianorum δαδοῦχος (faciger) posuit. Vide literam A.

6. Accedit eo, quòd adductæ comparationi objici potest hoc. Ut sequitur: Dicitur Juvat & juvāt, Delectat & delectant; Ergo etiam diciter Juvo, & Delecto:

Delecto: Sic sequitur, Dicitur assolet & assolent. Ergo etiam dicitur assoleo.

7. Videntur logica hæc & communia, taliaq; quæ inverti possint, esse argumenta.

8. Specta usum: ille tibi conciliator erit.

VIII.

Cur dicitur Monstrosus, non monstruosus: ac Vultuosus non Vultosus? Ubi etiam de desinentibus in Arius.

IN *Osus, quæ sunt à substantivis quartæ declinationis* (cujus Genitivus est us, Dativus ui) retinent u: ut flexuosus, vultuosus, fructuosus, luctuosus, actuosus, quęstuosus, fœtuosus apud Hieronymum, pro plenus fœtu. *Quæ veniunt à substantivis aliarum declinationum* u *ante* o *abjiciunt*. ut dolosus, fabulosus, vitiosus, portentosus. Sic monstrosus, montosus, voluptuosus, à voluptas est, apud Plinium secundum.

In Arius quædam ante a *habent* u, *quædam non: V habent, quæ veniunt à nominibus in Vus vel quartæ declinationis*, ut Usuarius, Eructuarius, Februarius.

Reliqua habent Arius sine u *ante* a, ut: Pennarium, Serarius, Muscarius, Nummarius, Vinarius, Voluptarius, Penarium à penum vel penus apud Ciceronem.

Excipitur Bustuarius quo utitur in Pison. Cicero à busto, & Fustuarium, quo utitur idem à fuste, pro pœna quæ fuste infligitur.

IX.

MISCELLÆ.

QUod vulgus dicit, In servitute mea esse, In meinem Dienst seyn/Ciceroniani dicunt: In operis meis esse.

In coment. Vstell. 2. Secundum existimationem, non rectè dicitur: pro ex opinione.

3. Utrunq; dicitur Flammiger & Flammifer. Illud est apud Valer. 5. Argonautic. Hoc apud Cicer. 4. Acad.

4. Solœcophanes est, quod Antiptosi & Trajectione seu μεταθέσει græca defenditur, Aer rem, quæ audiri potest, efficit ut actu audiatur, Scal. in exercit. Pro, efficit ut res, quæ audiri potest, re ipsa audiatur.

X.

Cur Diphthongi quædam dicantur surdæ?

SIcut Cœcum interdum à Latinis accipitur pro eo, quod cerni seu oculis notari non potest: sic etiã Surdum pro eo quod vel prorsus nõ, vel difficulter audiri potest: surdos ictus dicimus, qui difficulter, & obscurè audiuntur. Latus (in doctrina Arithmetica de numero figurato) inexplicabile seu ἄῤῥητον, cujus ratio explicari non potest (etsi interim animo possit intelligi (dicitur latus surdũ, qui ejus explicatio à nobis audiri nequit. Dicitur quoq; assimmetrum, incommensurabile & irrationale: sed hoc alterius loci est. Surda igitur diphthongus est, quæ enuntiari, & audiri vix vel non potest; δύσφωνος vel ἄφωνος.

XI.

An exactum & Certum omnino idem sint?

EXactum, qua voce Philosophi sæpè utuntur pro exquisito, plus est quàm Certum: Cognitio seu scientia quę per sensum habetur certa quidem est, sed imperfecta, cùm sensus caussas, & naturam rerum non penetret. Verùm scientia quæ mentis est cernentis διότι, seu propriam caussam rei, certior & perfectior est, *hoc est*, exactior, exquisitior, ἀκριβεστέρα.

XII.

An Positio quædam sit doctrina Syntaxeos?

Bera-

Bernhardus Salignacus subtiliter docet, quandam Positionem, paragogen esse Syntaxeos.

1. Syntaxis, inquit: est secunda pars Grammaticæ, quæ vocum structuram interpretatur.

2. Ejus partes duæ sunt. Prima in duarum vocum dispositione syllabicas affectiones considerat.

3. Ejus regulæ duæ sunt:

Prima sic est: Si vocalem duæ consonæ in duabus dictionibus sequantur, syllaba prioris consonæ syntactica positione longa est, πρῶτόντε, primumque.

4. Altera regula sic est: Si duæ duarum vocum syllabæ vocalibus divisæ in unam contrahantur, contractio syntactica vocalem rejicit.

5. Rejectæ autem vocalis sive simplicis sive duplicis nota sic est, & proprio nomine Apostrophus dicitur ut τοῦτ' ἔχω, pro τοῦτο ἔχω.

6. Sed & absq; Apostropho rejicitur vocalis, ut ἐγῶδα, pro ἐγὼ οἶδα.

8. Cōtractioni opponitur adjectio literæ ν, quæ litera pluralibus dativis personisq; in ι vocalem in eadem clausula antecedentibus adjicitur, λέγουσιν ἐκείνοις, pro λέγουσι ἐκείνοις, τύπτουσιν αὐτὸν, pro τύπτουσι αὐτὸν.

7. Secunda pars Syntaxeos vocum inter se proprietates considerat Idq; in Convenientia vel Rectione. Hæc Salignacus.

Responsio ad rationes sententia Scalig. Sed communis doctrina tradit totam rationē positionis, & metaplasmorum in Etymologia. Itaque concedit syntaxin vocum structuram interpretari; *Sed ita tantum, ut Syntaxis spectet integras voces & harum inter se convenientiam & rectionem, non autem ipsas partium vocum, ut literarū & syllabarum affectiones.* Concedit compositionem vocum

vocum efficere quandam positionem, sed addit *effectum hujus compositionis, quia non est oratio, sed syllaba quantitas, ideo hanc positionem Etymologiæ esse adscribendam*, sic proposita paragoge; quia est ad syllabam adjectio literæ consonantis, ob sequentem vocalem, eam ad Etymologiam refert.

XIII.

An dicatur Lex est padagoga? ut magistra. N.

LEx est pædagogus ad Christum dicitur: Pædagoga verò non. Non enim necesse est duo substantiva genere convenire. Et pædagoga nusquam invenitur.

Rectum autem est: Lex est formatrix morum, est monitrix.

XIV.

An admiscenda latinis græca? Aliquando & temperatè.

GRæca latinis non sunt miscenda; hæc regula est, quæ confirmatur testimonio magni satisque idonei auctoris Ciceronis in offic & Tuscul.

2. *Nisi necessitas urgeat, aut utilitas vel jucunditas suadeat*: Hæc exceptio est, quæ etiam ipsius Ciceronis exemplo probatur.

3. Hoc est, primùm subjicienda sunt græca, cùm latina desunt *cum quid exprimi nisi dura compositione* (compositionis enim facunditas & facilitas multo major est Græcis, quàm Latinis) aut barbarè aut novè non potest: Hinc multa sunt græca, quæ latina jam velut usucapione putantur.

4. Deinde *inspergimus græca latinis*, si vel in sententia, vel in verbo græco inest aut grave, aut argutum aut suave; ac εὔφωνον aut jocosum aut demũ ejusmodi aliquid, quod latinè elatum tum gravitatem, suavitatem, leporem, gratiam, festivitatem suam amitteret.

5. *Tum in epistolis usus græcorum* est ad eruditos, si se-

Pro mas-fœmina seu mari fœmina dico ἀνδρόγυνος. Livius, inquit Scal. exer. 294. se. 3. Androgyni verbo usus se dicit, propter ea quod minus commode latino posset: intellige

Latinum quod usus & consuetudo approbasset & recepisset.

si secreta nostra ab aliis, qui fortè literas interciperent, intelligi nolimus; exemplo nobis sunt Ciceronis ad Atticum epistolæ. Epistolæ P. Melanchthonis ad Camerarium & alios.

6. *Interdū delectat brevitas*(ut ἀμνυσία injuriarum oblivio, huic adversa μνησικακία memoria injuriarū: Aristoph. μὴ μνησικακήσεις, ne memineris malorum præteritorum) *quæ nonnunquam est in multarum vocum compositione*, ut apud Aristoph. Androgini verbo σφραγιδονυχαργοκομῆται à σφραγὶς, ὄνυξ, ἀργὸς, & κομήτης, annulunguiotiosicomati, *id est*, homines otiosi, & qui digitos ad ungues usque annulis plenos habent, & comam ornando superbiunt.

XV.

MISCELLÆ.

1. De verbo Facio.

FAcere & absolutè positum & cum casu, ut cum dativo, *Facere alicui*, quo coitus seu congressus cum muliere significatur; vel ablativo; ut *facere vitula*, vel accusativo apud Plautum, esse idem quod sacrificare certum est, Græci dicunt δρᾶν, ῥέζειν, ἱερουργεῖν, ἱερεύειν, θύειν.

2.

An Evaniturus dicas, ab Evaneo?

Evaniturus cum quodam doctissimo viro dicere non audeo: quia Evanitu non dicitur.

3.

Hic non rectè dicitur *Hymen* pro *hymenem*: *Est magnum crimen perrumpere virginis hymen.*

XVI.

An vox semel posita, possit duas habere significationes?

AD Syllepsin per partes, *id est*, per ipsas voces refert Linacer libro 6. exempla, in quibus aliquid desideras, quod voce tantùm, non etjam

iam significatione commune est. Itaque in iis una vox habet duas significationes simul, sed ad diversa membra orationis seu sententiæ relata, ut Ovidius de tristib. lib. 1. Eleg. 2.

Non peto quas quondam petii studiosus Athenas,
Oppida non Asiæ, non mihi visa prius.
Non ut Alexandri claram delatus in urbem
Delicias videam, Nile jocose tuas.

Non peto, *id est*, non adeo: *non* supple *peto*, *ut Alexandri*, id est, non postulo. Justin. lib. 11. *Provoluta deinde genibus Alexandri non mortem, sed ut Darii corpus sepeliant. dilationem mortis deprecantur*, Non mortem *supple* deprecantur, *id est*, recusant, precibúsve contendunt ne afferatur, sed dilationem mortis deprecantur, *id est*, valdè precantur, vehementer petunt.

Ejusdem lib. 3. Ita egregius adolescens & cædē patris & necem fratris & se ab insidiis Arbani vindicavit. Cædē patris vindicavit, *id est*, ultus est. Se vindicavit ab insidiis, *id est*, liberavit & asseruit. Huc fortasse referri potest hoc 2. Æneid. *sacra manu victosq; Deos parvumq; nepotē ipse trahit.* Trahit sacra manu, *id est*. gestat cum difficultate aliqua. Trahit nepotē, er ziehet nach jhm. In Proph. Ne lacerate vestes, sed corda vestra. Lacerare, ad vestes relatū, propriū est: ad corda modificatum. Sic dici potest: Circumcisus est præputio non corde.

Multa animo contemplamur quæ oculis non possumus, id est, mente multa cogitamus, quæ oculis non cernimus.

Sejus est magis mutus pisce. Mutum relatum ad piscem, improprium est. Ad Sejum, proprium.

Ovid. *Mors etiam saxis arboribusq; venit.* Mors arboribus propriè, saxis impropriè tribuitur.

XVII.

De Gerundiis & participiis.

sent pas. non debere commisceri. Deinde probat, esse tum particip. tum præsentis temporis passivū.

Valla primùm quasi dubitans; Nescio, inquit, an dicendum sit gerundium esse participium præsentis temporis, more græcorum, cujus rei hoc argumentum est, quod idem est in legendo & in ipso legere, quod Græci melius ἐν τῷ ἀναγινώσκειν. Et in legendis libris, *id est*, qui leguntur. Deinde partim cunctanter partim asseverantius; Nolunt, inquit, Grammatici gerundium habere rectū casū, sed 4. tantùm obliquos. Fortasse & casu recto non caret, ut cùm inquit poëta, *Volvenda dies, en attulit ultro*; Volvenda non tempus futurum intelligit, sed rei administrationem. Dies videlicet quæ volvitur, non quæ volvetur. Unde indicatur, gerundium esse participium præsentis temporis.

Valla gerundio tribuit omnes casus, ut omnia genera, & omnes numeros.

At contra, inquit Linacer, nos primùm gerundia & participia distingui, & inter se separata genera esse doceamus. Deinde quòd Laurentius per omnia genera & casus inclinat, participium esse mox etiam præsentis tēporis ostendere tentemus.

Refutatio Valla

Tria ostendit Linacer.

Primùm constat, passivum participium sive sit præsentis sive futuri temporis, nusquam posse significare activè.

At participialia verba, quæ Valla vocat gerundia novè, activè & passivè accipi ipse fatetur.

Ergo Gerundium & Participium pro eodem sumi nequeunt.

Secundò quæ Valla ait posse accipi activè & passive, quia, ubi activè significant, nec certum numerum personámve habent, & constructionē suorum verborum servant; ubi passivè & absolutè ponuntur, nec cum propriis appellativísve intransitivè conjunguntur, quis ea non plurimum differre ab iis quibus omnia sunt contraria dixerit?

Ejusmodi sunt hæc, quæ nos participia præsentis temporis cēsemus; quippe quæ certum numerum, personam & significatum semper habeant, & nunquam sine propriis appellativísve adjunctis legantur.

III. Accedit eo, quod significatio præsentis participii passivi, & participialis sive gerundii passivi (quo minus eadem putentur) omninò diversa esse videtur. In illo enim (Virgil. lib. 3. Georgic.) *Vritq; videndo Fœmina*, sive intelligatur generalis aliquis ablativus agentis personæ, ut vir vel aliquis; sive addatur, tametsi usu addi non solet: significatur tamen dum fœmina videtur à viro, vel ab aliquo, urit illum quod sæpè usu venit, At in illo videndo viro urit, significatur, dum vir videtur urit illum, quod usu venire non experitur.

Quid? quod veteres id demum participiale sive gerendium appellarunt, quo Græcorum infinitum cum articulo interpretabātur, idq; per omne verborum genus, ut τοῦ ζῆν ἕνεκα vivendi caussa, ἐν τῷ ὁρᾷν καὶ ἐν τῷ ὁρᾶσθαι in videndo & videndo: μεταξὺ τοῦ γινώσκειν, inter cognoscendum, cùm participium potiùs per gentile suum participium exponatur, τύπτων verberās, τύψων verberaturus, τυπτόμενος vapulans vel verberandus eo modo quo *volvenda dies & jusjurandum*, licet parum in usu sub hoc casu sit: τυφθησόμενος verberandus, sive vapulaturus: sicut προσαγορευθησόμενος salutandus.

In talibus, Eo ad salutandum fratrem, ad salutandam sororem, ad salutandos affines.

V. Nec est quod cuiquam gerundium & participium passivum iccirco idem esse credantur, quòd eundem sensum per utrumque genus interpretari licet: ut *legendo nostra & legenda nostris*: *Inter accipiendum*

piendum de commodis suis rationes, inter accipiendas rationes.

Sic enim activum quoq; participium præsentis, cum gerundio fit idem, cùm fit idē sensus dicētis:

Legendo nostra proficies & legens nostra proficies.

Et quāta quæso sit absurditas ejusdem positionis, quatuor casus singularis formæ sine numero & persona esse, & verborum suorum constructionem servare, & ab omni verborum genere deduci posse reliquos tum singulares, tum plurales, tantùm à passivis?

VI. In summa gerund. sive participiale per o finitum, cum omnium Grammaticorum consensu communem habeat ultimam syllabam, participium esse nō potest. Cujus casus pro o finitos eorūdem Grammaticorū consensus eam longam habere contenderit, nemine in hunc diem aliter præcipiente observantéve. Non enim (arbitror) in illis: *De accusatore constituendo, in agro colendo*, Do syllabam communem esse affirmaverit. Et quod Gerundium quidem diversum omninò sit ab eo, quod Laurentius præsentis participium vocat, his puto rationibus quisque sibi persuaserit: Nunc quod ille præsentis participium alicubi vocat, ejusmodi participiū verè esse ostendere tentemus.

Primum igitur participium id esse, inde maximè intelligatur, quòd in ablativo consequentiæ sæpe legitur, (ut in illo Cicer. libro 1. officior.) *Orationem latinam, legendis nostris efficies profectò pleniorem.*

Convenit autem inter Grammaticos omnes tum Græcos tum Latinos, eum ablativum consistere sine participio non posse. At in talibus nullum aliud reperiri participium potest. Legi autem ejusmodi ablativos in consequētia, declarat tum redditum illis statim verbum cum nominativo

diverſæ rei, ut in omnibus id genus ablativis ſit. tum interpretatio omnium talium ablativorum propè communis per Dum vel Cum, ut in multis talibus licet perſpicere. *Legendis Veteribus proficis*, dum leguntur veteres. Et participium quidem eſſe, hinc puto liqueat Atqui præſentis temporis eſſe comprobat eadem interpretatio, ut quę per verbum præſentis temporis fiat, non futuri: *Defringendo ramo*, dum defringitur. Sicut interpretatio futuri per verbum futuri non præſentis, *Virgilio cras enarrando, tu diſcedis, id eſt*, cùm cras legetur. Quod ſi alicubi in imperfectum præteritum reſolvitur, ut *defringendo heri vel olim ramo feciſti injuriam*, pro, dum defringebatur: confirmat magis noſtram ſententiam, cùm participium præſentis, tam Græcis quàm Latinis etiam imperfecti ſignificationem una comprehendat.

Jam utrunq; & participium & præſentis tēporis eſſe indubitatò probat duplex interpretatio, & hujus, quod præſens vocamus, Græcè per præſens paſſivum, & Græci præſentis paſſivi per hoc latinè: Nam & illa etiam Laurentii exempla. *Defringendo ramo fit injuria domino fundi*, Et: *orationem legendis noſtris efficies pleniorem*, ſic græcè ad verbum vertuntur, Ῥηγνυμένου κλάδου. &c. ἡμετέρων ἀπογινωσκομένων. Alia variam recipiunt Græcè ad verbum interpretationem, ſicut *occupatio juris dicendi*. ἀσχολία δίκης λεγομένης, ſive δικαζομένης, & τοῦ λέγεσθαι, ſive δικάζεσθαι δίκην, ſicut etiā Latinè, *dicendi juris, dicendi jus*.

Rurſus inter accipiendas rationes, Μεταξὺ τοῦ λαμβάνεσθαι τοὺς λόγους, & μεταξὺ τοῦ λαμβάνειν τοὺς λόγους, ſed & μεταξὺ λαμβάνων τοὺς λόγους. Itidem *in committendo prælio*, ἐν τῇ μάχῃ

συντα-

συντιθεμένη, & τῇ συνήθειᾳ τὴν μάχην· & τῇ συντιθέναι τὴν μάχην: Et præsens Græcũ latinè sic: Φίλυ τυπτομένυ ἐλυπύμλω. Amico verberãdo dolebam. Quod Priscianus (lib. 18.) confirmat, cum illud Homeri (Illiad. 1.) Οὔ τις ἐμῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο: Σοὶ κοίλαις παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει, ita latinè vertit:

Nullus me vivo, & super terram videndo. Præterea participium esse præsentis temporis in passiva significatione confirmat Donatus super illud Terentii (And 3 scen. 4.) *Vix sum apud me, ita animus commotus est metu, spe, gaudio mirando hoc tam subito & repentino bono.*

Ubi ait, *mirando*, participium esse, & pro Dum miror, accipi, quæ planè præsentis est interpretatio, cujus generis sunt passim exempla. Ter (Heaut. act. 1. scen. 1.) *Nisi eos, qui in opere faciundo facilè sumtum exercent suum.*

Plin. ad Pō. Falc. (li. 1. Ep. 23.) Abstinui caussis agẽdis. Cic. ad Q. frat. (li. 2. Ep. 3.) Sed res multis querelis de Repub. interponendis nulla transacta est.

Idem ad Appium Pluc. (li. 3. Ep. 23. Fam.) Quis enim ad me non perscripsit, te nõ solùm auctoritate orationis, &c. sed etiã opera, consilio, domũ veniendo conveniendis meis nullum onus officii cuiquam reliquum fecisse?

Idem (in oratione) Quid tam difficile, quàm in plurimorum controversiis dijudicandis ab omnibus diligi? (Idem lib. 1 de orat.) *Exercenda est memoria ediscendis ad verbum quàm plurimis & nostris scriptis & alienis.*

In nominativo rarò legitur, quod eò fortasse evenit, quod cum efficere aliquando ambiguitatem posset, præsens ne esset, an futurum, per activum loqui autores maluêre. Quod Virgilius in illo (lib.

lo(lib.1. Æneid.) *Olim volventibus annis*, fecisse videtur.

Nam Homerus: *περιπλομένων ἐνιαυτῶν* dixit: Verum illud *Volvenda dies*, nominativum esse dissimulari non potest, & præsentis esse temporis facile declarat, tum interpretatio ipsa, ut prædictũ est, tum verbum Attulit sequens, quod futurum id dici non patitur.

De præsentis passivorum participio, quæ pro nostra facerent sententia, hæc habuimus. Huc usque Linacer.

Ego sic statuo, non per omnia modo in mediũ adductis assentiens, *sæpe participiũ in Dus transire in nomen*, quod ipse etiã Valla docet, ut colendus. qui dignus est coli. Mirandũ bonũ, *id est*, quod dignũ est admiratione seu admirabile. Hîc Mirandũ nomine seu verbo participiũ est, sed re nomẽ.

Cicero ait: *Mirandum in modũ*, hoc nihil aliud est, quàm mirum in modũ, quo etiam vtimur, ut majorem in modum, quasi ultra rationem : *sæpe ut Gerundia, recipere tempus ex adjuncto verbo*, *ut*, profundendo vino peccasti, *id est*, dum profundebatur. Sic profundendo vinum peccasti. Legendis his olim evades doctissimus, *id est*, dum olim hæc legentur à te. Sic legendo hæc olim, legendis his proficio, *id est*, dum leguntur. *Participii futuri passivi in Dus exempla sunt, cum justificandus opponitur justificato, salvandus salvato*, condemnandus condemnato, ornandus ornato, docendus docto, sed in his ferè concurrit expositio per *debet*, ut: ornandus der da soll zukünfftig promouirt werden/ Docendus. Der da soll gelehret werden.

Participia etiam in Ns interdum pro perfectis accipienda esse, alibi monui, ut: Cicer. in Bruto: cùm è Gallia discedens Romam venissem, *id est*, profectus, seu postquam discessi.

MISCEL-

XIX.
MISCELLÆ.

ETsi usitatè dicitur *Venturus est* (pro veniet) & venturum esse: codex tamen meus Ciceronianus habet: Quod si eris facturus lib. 4. Epist. Famil. epist. 9. & T. Livius decad. 2. lib. 8. habet. Acturum se per populum fore & Cicer. in Miloniana; vivo Clodio, nihil horum vos visuros fore (pro) esse. Exemplum etiam tale occurrit apud Livium de terminatis in Dus: sub pellibus milites habendos fore, De bello Macedonico: Et rectè dicitur non tantum Excusandus sum, sed etiam Excusandus ero; non accusandus, amice Si venerit ad me, erit mihi monendus. Quia in hunc locum incidimus, monendi mihi estis.

II. *Attractum iri* & similia per periphrasin eleganter commutantur in finita, ut: puto te attractum iri: puto fore, ut attraharis. Utrumque est apud Ciceronem.

XX.

An ut dicitur, Cibare aliquem, lactare infantem, sic etiam dicatur, Potare aliquem, pro dare seu praebere alicui potionem, potum? Negatur.

POto veteres usurparunt modo intransitivè seu absolutè. Cicer. Si potare velis, de dolio tibi hauriendum est, Zechen/ modo transitivè, ut potare vinum, aquam, zythum Trincken. Sed an, ut accusativum habet rei, sic etiam accusativum personæ admittat dubium est, *id est*, an dicendum sit: Potare sitientem, potare aliquem hominem, equum, Trencken/ quod græcis est ποτίζειν ἵππον, *id est*, potum porrigere equo. Ego sic sentio: veteres Latini usurpant *Poto* pro πίνω, *id est*, bibo, non pro ποτίζω, ich trencke. Itaq; non adjungunt ei accusativum personæ vel quasi personæ, ut significe- *De claris Oratoribus*

tur dare bibendum alicui, seu dare potum alicui, seu aliquid potandum præbere alicui. πίνειν autem & ποτίζειν differre inter se significatione, ostendit hoc Nazianzeni: ποτίζει τοὺς πιεῖν ἐθέλοντας, potum seu potionem præbet bibere volentibus (pro quo quidam è recentioribus dixissent, Potat bibere volentes, sicut illud 14. Apocalypseos πεπότικεν ἔθνη, &c. à quibusdā versum est, Potavit gentes, p potum præbuit seu dedit gentib. potandum præbuit gentib. Suetonius dixisset, *potionavit gentes*. nam in Caligula habet passivum Potionor, **Ich werde getrâncket** / *Creditur potionatus à Cæsonia uxore amatorio quidem medicamento* (quod græcis est philtron, *sed quod in furorem verterit*.) Sic σιτίζω idem est quod cibum seu cibatum præbeo. Animalia cibantur, est apud Columellam lib. 9.

XXI.

MISCELLÆ.

Mandatum est mihi à patre conveniendi te, rectè dicitur. si mandatum accipitur nominaliter, ut sententia sit, Habeo mādatum à patre.

2. Si participialiter, non rectè dicitur. Valla putat hic, *Cum illius dies venit mihi in mentem*: esse Ellipsin vocis status vel conditio vel qualitas. At ego dico, nullam esse hic ellipsin, sed periphrasin retinere casum verbi Recordor.

Gerundiū in Disjunctum plurale.

3. Nominandi istorum copia Vestri adhortandi causa: quorum illud Plautinum, hoc Livianum est, vitiosa esse, ait Vall. Ego nego.

4. Mihi injunctum est (pro mihi mandatum est) te convenire, etsi Valla probet: dico tamen ego, veteres Latinos ita non esse locutos.

5. An ejusdem nominis diversa Orthographia esse possit, quæritur? Affirmo, idq; maximè, cùm non convenit inter doctos de vocis origine.

6. Qui-

6. Quidam ph in lympha mutant in f. scribentes lymfa. Quæro, cur non etiam scribant *filosofia* pro philosophia? Difthongus pro diphthongus.

XXII.

De Reciproco Suus & Sui.

NOn omnibus dormio, proverbium est (quo utitur Cicero in Epistola) ortum à quodam, qui simulavit dormientem, ut impunius uxor sua mœcharetur: non rectè dicitur, Pro *sua*, *ejus*, dicendum.

2. Cum M. Fabio, quod te scire arbitror, summus mihi usus est, valdeque eum diligo, cùm propter summam probitatem ejus, &c. tum quòd in his controversiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera ejus uti soleo.

3. Rectè sic (si quid videre possum) dictum est *ejus*.

4. Etsi Vitus Amerbachius observandum hîc esse vult κατάχρησιν Relativi in verbis *probitatem ejus*, pro reciproco *suam*, ac innuit non esse imitandam.

5. Sed ego statuo eum, qui ex imperitè scribentium turba se exemtum cupit, tuto hoc Ciceronis imitari posse.

6. Assentiuntur, qui viri & quanti! Valla & Linacer, etsi ille comparatè loquatur sic: Amamus Deum propter bonitatem ejus: libentius dixerim quàm *suam*: Sed de his parum curæ est, quorum studium in culina est.

7. Magna cum sua, cum tua laude, dico, Magna cum sui, cum tui laude, non dico.

Paulus Manut. lib. 1. epist. ep. 2. A te ipso de tua laude admonitus. Idem lib. eodem epist. 5. Optimis studiis & posteritati magna tua cum laude consules. Sic tua causa, nostra causa.

8. Sic idem Manutius (alter Cicero) lib. 4. Epist. epist. 50. Quem tu tanti facis, cum ego Magistrum

sequor

ſequor. Quid igitur ille? *Epiſtolæ noſtræ debent interdum alucinari, nempe quod iis negligentia quadam, cùm ad familiares ſcribitur, etiam ornamento ſit.* In alucinationibus epiſtolicis autem ego habeo, quod lib.5.epiſt.26. ſcripſit: Mirandus te mutuò diligit, & qua ego tuis verbis eum ſalute impertivi, eandem tibi ut ejus nomine his literis adſcriberem diligenter mandavit. *Ejus nomine*, pro *ſuo nomine*, ſicut loquitur lib.7. Epiſt.9. appendice Zerbinus rogavit, ut ſalutem tibi *ſuis verbis* adſcriberem.

Κατάχρησις Manutii.

Probum.

Probum.

9. Idem rectè lib.5.epiſt.16. Magium noſtrum tibi pro ſua doctrina, mihi pro meo in eum non mediocri ſtudio deditum ſaluta.

10. Terentianum eſt: Suo hunc jugulo gladio. Ciceronianum: ego illum de ſuo regio percontatus ſum. in ſomn. Scip.

11. Placet, ſicut locutus eſt per os prophetarum ſuorum, non ejus.

12. Placet, Neq; deſcendet cum eo gloria ejus: etſi Valla malit Sua. cap.9. de Reciproc.

13. Diſplicet hoc cujusdam: *Chriſtus Abrahæ & poſteris ſuis exhibitus eſt per permiſſiones.* Dicendum erat: *Et poſteris ejus.*

Præterea Deus mundum ab eo ſemel creatum conſervat, non dicitur, Dicendum *à ſe.*

14. Apud Pſalmographum in quadam latina verſione eſt; Omnia à te exſpectant, ut des illis cibum in tempore: dante te illis colligent. *Dante te illis colligent*, placet: *ut des illis*, non placet, ſed Sibi.

15. Pſalm.145. Oculi omnium ad te ſpectant, quibus tu das eſcam ſuam tempore ſuo: placet, eſcam illorum diſplicet.

16. Valdè nocet teneræ ætati perſonare aures ejus hujuſmodi abuſionibus.

17. Ad

17. Ad obscuritatem & ambiguitatem vitandam pro *se* nonnunquam utimur *Ipsum*, ut: Stabunt justi adversus eos, qui ipsos presserunt: ubi & *Se* dicere licet. *Quomodo evitetur obscuritas amphibolia.*

XXIII.

MISCELLÆ.

IDentidem & itidem differunt. Itidem est ὡσαύτως, id est similiter, quasi iterum idem zugleich/Identidem est αὖθις καὶ αὖθις, eins vber das ander/ frequenter & cum quodam intervallo, subinde, vulgo per repetitas vices.

2. Profiteor pro polliceor sic usurpatur Ciceronis exemplo: quo quid laudatius?

Profitetur se hoc facturum, id est pollicetur.

Hoc de me vobis profiteor, id est, polliceor.

Profiteor tibi studium meum ad hanc rem.

Profiteor tibi operam meam in hac re, id est, polliceor.

3. Puto vitiosum esse versum cujusdam è recentioribus Poetis:

Prælior & Velitor cunctis interminor arma.

Veles enim nomen apud Ovid. habet primam longam.

4. Impune, impunius, impunissimè latinè dicitur, sed pro eo Inultus & Impunitus, a, um.

5. Pro Corporeitas usurpo extensio secundum tres dimensiones.

6. Vitiosè dictum est; volunt audiri Theologi, pro audire.

7. *An rectè dicatur Frater & Filius eramus?*

Epist. 2. Epist. Fam. lib. 16. sic legitur: *Septimum jam diem Corcyræ tenebamur. Q. autem frater & filius Butroti, soliciti eramus de tua Valetudine.* An non vitiosa est constructio: *Quintus frater & filius eramus*? An non dicendum fuit: *erant* vel *erat*?

Resp.

a *Hac insula.*
b *Hoc oppidum.*

Resp. εὐφήμως Locus hic vitiosè distinctus est; Germana distinctio hæc est: *Septimum autem Corcyræ a tenebamur. Quintus autem frater & filius Butroti* (b supple) *tenebantur. Solliciti eramus*: intellige *nos*, id est, *ego cum filio, cæterisq; meis familiaribus, frater & filius ejus.*

8. Ignotus pro ignorans, insciús, insciens is, qui non noverat, activè usurpatum est à Cicerone, Plauto, Livio, Curtio, Quintiliano: ut, *ignotis notæ facere.*

9. *An dicatur Trituro. Vitiosúsne sit Versus Bos vel homo navus, qui triturat esse meretur?*

Tritura est à supino tritu verbi tero. Hinc recentiores fecerunt Trituro ich dreschet & quidem ex iisdem quidam valdè quàm indoctè, TU corrupuerunt.

10. Dicitur & nimium Vini & nimium Vinum, Terent. nimium otium.

11. Vitiosè dicitur à quodam Physico: Contactus physicus fit per quandam qualitatem corporalem, defluxam ab agente in passum per medium: pro, quæ defluxit, seu defluentem.

12. Unam vocem ad duas classes vocum referri posse, ostendit vox Vero: Hæc interdum est conjunctio discretiva: ut, hic est pius, ille verò non. Interdum est adverbium affirmandi, & inseruit responsioni, ut: *Ego verò mi Servi vellem mihi affuisses.* Cicer. 4 Epist. Famil. 6. epist.

13. Cùm dicit Cicero: *Quid tibi cum illo est?* Ellipsis quibusdam videtur esse genitivi negotii, societatis, familiaritatis.

Sed exponi etiam potest sine Ellipsi: *Quid*, pro *quæ res, quod negotium, quæ societas, quæ familiaritas.*

XXIV.

Theses de Orthoëpéa antiqua.

Cum

CUm dicatur Grammatica ἀπὸ τῶν γραμμάτων, id est, literis, quæ ejus sunt quasi στοιχεῖα, id est, elementa & principia, de recta literarum & diphthongorum cùm scriptura, tum pronuntiatione utiliter differitur. *Plato in Cratylo.*

2. Literæ igitur rectè vel scribuntur & dicitur Orthographia: vel efferũtur & dicitur Orthoepéa.

3. De hac teneantur axiomata duo: Primum, *ut scriptura debet sonum imitari* (id est, *vox scribenda est quo modo sonat.*) *ita sonus scripturam exprimere*, id est *pronuntianda vox, quo modo scripta est.*

4. Ut enim scriptura oculis in legendo satisfacit, sic pronuntiatio in loquendo auribus inserviat.

5. Alterum: *Cuilibet lingua opus est distincta certa & inconfusa pronuntiatione.*

6. Nam propter confusionem & ταυτότητα sonorum lingua amphiboliis scatebit.

7. Et quorsum attineret, distinctas esse literas & diphthongos, si sono nihil differrent.

8. Sanè Lucianus in judicio vocalium testatur, omnes literas vim, jus & auctoritatem suam retinere, nec ullas unquam aliarum potestatem usurpare.

9. Singulas igitur literas & diphthongos proprium & peculiarem sonum habere, statuendum est.

10. Itaq; veterum pronuntiationem in Scholas tam triviales, tum claras ad nominis celebritatem revocandam.

11. Scribimus cum antiquis: Cur igitur non cum iisdem loqui consuescamus?

12. Quod si omninò adulterinam & depravatam illam rationem pronuntiandi retinere volumus: Cur non & scripturam immutamus, & corrumpimus?

13. Præ-

13. Præterea sunt hoc seculo, tantùm non aureo doctorum hominum industria magna cum laude bonæ artes repurgatæ. Cur igitur non etiam veram germanamq; veterum pronuntiationem, quę hactenus velut ab hostibus captiva in ergastulo detenta fuit, ceu postliminio reducere & pristinæ libertati ac nitori restituere liceat?

14. Idq; vel magis eo, quod & Grammaticorum veterum perpetuum consensum & manifestam utilitatem habeat.

15. Efficit enim, ut literas, syllabas & dictiones non solùm rectè perspicueq; proferamus, sed etjam in Orthographiam nihil committamus.

16. Inservit rudiori ætati, cum ei dictamus, ab ea dictata exigimus seu reposcimus; scripturam emendatam exposcimus.

17. Inservit collationibus mutuis (facit enim ut alter ab altero rectius intelligatur) & arti typographicæ.

18. Si studia sint conferenda, si quæ in adversaria nostra conjecta & chartis fidelibus sunt commissa, alteri bona fide sint legenda vel memoriter recitanda, si codicum libri castigandi, si errores typographorum & librariorum corrigendi, id commodius fieri nequit, quàm si lector vel recitator distinctissimè, explicatissimè, castigatissimè, & minimè confusè singula sonet atq; exprimat, & auscultator sonos legentis vel recitantis probè assequatur.

19. Sed multa hîc nobis occinuntur ad patrocinium prolationis pervulgatæ.

Quòd in veteri pronuntiatione non sit *εὐφωνία* festivitas & urbanitas.

Quòd sit hiulca & incerta.

Quòd consuetudo, quam etiam docti multi sequuntur, habeat vim legis.

Quòd

Quòd ab usu in usucapionem vulgaris pronuntiatio concesserit.

Quòd loquendum sit, verbis præsentibus, ut ait Favorinus apud Gellium, & novitas sit periculosa.

20. Sed nos primùm negamus, in veteri pronuntiatione non inesse concinnitatem & εὐφωνίαν, quæ non tam similitudine, quàm varietate jucundus sonus est,

Varietate, inquam, ut modò loquaris exiliter, presse, exanimatè, humiliter, abjectè, qualis est sonus literæ i; modo ampliter, magnificè, σεμνῶς, qualis est sonus literæ a.

21. Deinde dicimus, *Rei non bonæ consuetudinem esse pessimam*, Consuetudinem debere niti seu fultam esse ratione. Quo facit, quod Bartolus in consuetudine requirit principium rationabile (ut loquitur) ut non errore sed certa scientia introducta sit. Longissima consuetudine non præscribi veritati. Non videndum, quid ante nos factum sit, sed quid fieri debuerit: Auctoritatem antiquorum plus valere debere consuetudini corruptæ, & præsenti usui, qui inveteratus error, & non tolerandus abusus videtur dicendus.

21. Augustini sententia memorabilis est: *Nobis, qui ratione vincimus, frustrà consuetudo objicitur, quasi consuetudo sit major veritate.*

22. Quod ad novitatem objectam attinet, non quia nova rejici aut condemnari, pronuntiatio, de qua hîc pugnamus, debet. Nam nova dicimus etjam ea, quæ cùm vetera sint, diu ab oculis, tractatione & usu hominum abfuerunt.

23. Sed cum, quod præsens usus consuetudoque obtinet, & vel invitis extorquet ac evincit, tollere non possis, quid facias? *usum cum Cicerone populo concede, scientiam tibi reserva.*

24. Fortaſsè etiam objeceris: veteres *uni* literæ duplicem ſonum dediſſe.

25. Reſpond. Id quomodo & unde probabis? Sanè ſi veteres uni literæ duplicem ſonum, vel contra uni ſono duas literas tribuiſſent, feciſſet Ariſtoteles etiam literæ fallaciam, ut accentus & figuræ dictionis.

26. Quid multa? ſi, ut hoc quoq; in confirmationem ad quam revertor, meæ ſententiæ afferam, Grammatica eſt certa ratio (non corrupta conſuetudo) loquendi, Ergo & pronuntiandi.

27. Non tamen diſſimulo Axioma de pronuntiatione cum ſcriptione congruente, admittere aliquam reſtrictionem, ut ſcilicet dicatur: omnes literæ ſonabunt ut ſcribuntur, niſi propter adjunctam aliquam integrè proferri non poſſint.

28. Tum utendum erit ſono infracto, ideoque aliquo modo peregrino & adulterino Exemplum ſuppeditat græca lingua, cum γ ante χ vel κ vel ξ ponitur.

COROLLARIA.

I.

NON rectè profertur μοῦσαι *Muſæ*, ut *Muſe*, Rationes.

I. Quia diphthongus eſt ſyllaba ex duabus vocalibus conflata, quæ raptim & uno ſpiritu proferri poteſt, ut τιμῆ *timée*.

II. Quia ai latini poëtæ in ai diviſerunt, ut *terrai* per διαίρεσιν.

III. Quia in veteribus monumentis legitur *Aimilia*.

IV. Quia Quintilianus αι diphthongon græcos ſemper per α ι extuliſſe memorat.

II.

Non audiendum cenſemus edictum plurimorum

tum Grammaticorum, τ post ν sonabit, ut δ. Item ν ante β, μ, π, sonabit ut μ. Denique π post μ, ut b latinum.

Hanc enim pronuntiationem nulla veterum auctoritas sanxit, nec εὐφωνία suadet, nec necessitas exigit dictátve.

Latini dicunt, *Tantalon* & *Antonion*. Quid causæ est, cur non & Græci ita pronuntient, Τάνταλον & Ἀντώνιον.

Denique, ut Latini Pompam efferunt, sic Græci suum Πόμπην, non *Pombêen*.

III.

Γ ante γ sonabit ut γ. Ἄγγελος igitur proferatur ut Latinis *agger, suggero, oggannio*.

Nec obstat, quòd Latini dicunt Angelus. Hi enim cùm pronuntiant G ut N, mutant etiam scripturam, id est, mutant G in N, & ita G abolent. Sed Græci servunt γ. Vides igitur disparem esse utrinq; rationem.

IV.

Non rectè pronuntiatur αυ af, sed au: non rectè ηυ if, sed eéu. non rectè ἰωάννης *Ioannes*, sed *Jooannées*. Rationes duæ.

1. Quia uni literæ duplex sonus tribui nòn dicitur, nisi fortè dicas græcos laborare literarum inopia, quod dici nequit.

2. Quia à Sono consonantis est definitio constituta. ι autem & υ nunquam apud Gręcos sunt consonantes. Ergo non sunt ut consonantes efferendæ. Prætereà quis discernet inter οἴκοντε domumque, & οἴκονδε, id est, *domum* adverbialiter: inter τὸν φόβον, id est, *timorem*, &, τὸν δρόμον, id est, *cursum*, si eadem utrobiq; est pronuntiatio.

K 2 Jurecon-

Jureconsultus Theophilus Testamento vertit τεσαμένῳ, cur ibi leges *Testamendo*.

Adde quòd, ut commodius faciliusq; sonat Latinis nomen bonum, quàm nomen vonum: sic Græcis τὸν βίον *ton bion*, quàm *tom vion*. Ita & τὸν παῦλον *ton Paulum*, quam *tom baulon*. Huc facit istud Quintiliani; Apud Græcos nulla dictio in μ finitur, quia molesta est ejus pronuntiatio.

Etsi autem apud Latinos N interdum mutatur in M, ut videre licet in *Ambedo, amputo, imbibo, immuto, impono, commeo, complector*: tamen M literam scriptura exprimunt, non N scribunt & M proferunt.

V.

Bivei non rectè bini, sed binêi profertur. An rectè reprehendit apud Ciceronem 3. de Oratore, Crassus ut errorem in Sulpitio, quod pronuntians (contra σεμνὸν seu σεμνότητα orationis) ει ι literam tollebat, ι plenissimum dicebat.

XXV.

De Solœco & Solœcophane.

A Veteribus Grammaticis solœcismus dicitur analogiæ seu regulæ contraria anomalia, dicendi genus insolens; vel legitimæ partium inter se constructionis vitium.

2. Nam Diomedes & P. Mosellanus solœcismum vocant Ellipsin, pleonasmum, amphiboliam, casuum generum, numerorum, enallagen, quam alii dicunt Figuram Grammaticam, alii Anomaliam.

3. Et Linacer *lib. 6. pag. 380.* secutus Theodorum Gazam *lib. 4. pag. 500. introduct. Grammatica Græcæ*; *Justa*, inquit, *partium inter se constructionis vitium generali vocabulo Solœcismus dicitur.* Id in tribus summum generibus spectatur, numero, ordine &

in

in imitatione: quorum tamen certæ rationes sunt: quæ quod publicè ab illustribus auctoribus vel necessitate vel singulari commoditate frequentantur, figuræ pro vitiis sunt appellatæ. De his Grammatico non minus certè quàm de recto genere agendum.

4. Sic hodie nonnulli doctissimi viri, quæ singularia sunt, seu rarius & insolentius occurrunt in bonis auctoribus, ita ut notanda potiùs sint, quàm mihi & tibi imitanda, eo modo solœcismos & solœca, modo solœcophane vocant.

5. Ego exemplo etiam quorundam Solœcophane voco non tantùm minus usitata dicendi genera, duriores antiptoses aut enallagas, &c. sed etjam quæ indoctioribus & minus versatis in bonis auctoribus, licet sæpe ab his usurpata sint, habentur pro solœcismis: cùm verò non sint, ut αἰσχροφανὲς [apparens turpe] non est, αἰσχρὸν [turpe] & φαινόμενον ὂν, non est αὐτὸ ὄν.

. Sic Quintilianus libr. I. cap. 10. Quædam faiem solœcismi habent, græcis σολοικοφανῆ, & di- i vitiosa non possunt: ut in Am correptam est so- æcophanes, id est solœcum quidem & in conse- uens videtur. (Am enim generis neutrius est non eminini) non est tamen (intelligitur enim sylla- am.)

Sic etiam Suidas definit.

Solœcismum verò dico simpliciter vitiosam ationem.

Ac utrumque genus in sacris literis alicubi veniri statuo.

Spiritus sanctus enim non voluit sermonem ostolicum prorsus subjectum & astrictum esse ibus & normis Grammaticis. Voluit enim eos lingua communi, quæ apud populum tum e- corrupta, multa dicendi genera è medio pete-

 re, ut

re, ut rudi vulgo se accommodarent. Itaque etiam barbaras dictiones adhibuerunt.

10. Potuisset etiam Spiritus S. in Apostolis seu per Apostolos uti lingua Periclea vel Demosthenica; sed noluit, ut hominum sapientiam confunderet; 1. ad Corinth. 2. cap. *Ego cùm venirem ad vos, non veni cum eminentia facundiæ*, &c.

Spiritui S. placuit sermonis simplicitas in Euangelio proferendo & conscribêdo. Apostoli, quæ à Christo sũt dicta, custodierunt literis simplicioribus.

11. Erasmus Roterodamus ad Act. Apost. cap. 10. simplicem esse Apostolorum sermonem, & alicubi σολοικίζειν affirmat, quæ eadem D. Hieronymi sententia est.

12. Theodor. Beza *simplicitatem*, inquit, *in Apostolicis scriptis summam agnosco, hyperbata, antapodota, Solœcismos etiam aliquos non diffiteor. Sed illud ego virtutem non vitium appello. Ab istis verò quis vel Homerum, vel Demosthenem ipsum vindicarit? Quod ad sermonis simplicitatem attinet, eam quidem ego non modo reprehendo, sed etiam non possum satis admirari. Sed cur ista potius simplicitas placeret, quam ornata elocutio, gravissimas causas habuerunt Apostoli, imo cur interdum etiam balbutiendum atque adeo solœcissandum cum vulgo putarent. Sic placuit Deo confundere sapientes hujus seculi, ut ex professo Paulus adversus Corinthios illos disertulos disserit. Deinde res illis erat maxima ex parte cum rudibus ac plebejis hominibus, quorum sermonem, si quis ad Grammaticorum aut Rhetorum præcepta exegerit, ineptè profectò fecerit.*

Idem Marc. cap. 12. vers. 48. *In Græcis*, inquit, *Manifestum est solœcum, cùm potiùs pro* κατεσθίοντες *[devorantes]* & προσευχόμενοι *dicendum fuerit*, τῶν κατεσθιόντων καὶ προσευχομένων, vel οἱ κατεσθίουσι καὶ προσεύχονται, ut loquitur Luc. cap. 20. versic. 47. *Similia verò dicendi genera etiam apud disertiores*

res scriptores reperiuntur, ut Homerus Iliados α, *cùm exorsus esset hanc comparationem à recto casu:* Τρῶες δ' ὥστ' οἶες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ, ἀνακόλουθον. *subiicit hanc* ἀπόδοσιν *diverso casu,* Ὣς τρώων ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει.

Idem Iliad. β. Φυμὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα κρονίωνα. Ἀστράπτων ἐπιδέξι' ἐναίσιμα σήματα φαίνων: pro, ἀστράπτοντα & φαίνοντα *teste Eustathio.* (*Videtur etiam manifestum esse solæcum vel Solæcophanes seu* ἀνακόλουθον, *id est, inconsequens, in verbis Johan cap.* 17. *versic.* 2 *Sicut dedisti ei auctoritatem in omnem carnem.* Ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ δώσει αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Sic enim sonant verba in Græco.*) *Antiptosis insolentior*

Vide, si placet, eundem in 22. Luc. versf. 20. & in epist. Corinth. 2 cap. 8. vers. 3. qui & annotavit alibi Idiotismo Hebraico positum esse, τὸ cum participio pro ὅπερ cum verbo finito.

23. Joachimus Camerarius vir religiosus, Græcorum superioris ætatis facilè princeps in Notationis figurarum, quæ occurrunt in script. Apostol. parte secunda, G, i. ubi agit de verbo Apostoli περπερεύεται, *Non est*, inquit, quærendum τὸ ἀκριβὲς (*id est, exactum seu exquisitum*) *in scriptis Apostolorum, qui communi & noto sermone usi fuerunt, quem illis temporibus parum non fuisse constat. Quapropter pietas non offendetur iis, quæ vel βαρβαρίζειν vel σολοικίζειν videbuntur. Quale igitur verbum sit* περπερεύεσθαι, *de usu veterum indicare non possum.*

Idem Camerarius *F. 5.* μακέλλῳ *pro* κρεωπωλίῳ βαρβαρίζει. *Est enim externum vocabulum confu-*

re, ut rudi vulgo se accommodarent. Itaque etiam barbaras dictiones adhibuerunt.

10. Potuisset etiam Spiritus S. in Apostolis seu per Apostolos uti lingua Periclea vel Demosthenica; sed noluit, ut hominum sapientiam confunderet; 1. ad Corinth. 2. cap. *Ego cùm venirem ad vos, non veni cum eminentia facundiæ*, &c.

Spiritui S. placuit sermonis simplicitas in Euangelio proferendo & conscribēdo. Apostoli, quæ à Christo sūt dicta, custodierunt literis simplicioribus.

11. Erasmus Roterodamus ad Act. Apost. cap. 10. simplicem esse Apostolorum sermonem, & alicubi σολοικίζειν affirmat, quæ eadem D. Hieronymi sententia est.

12. Theodor. Beza *simplicitatem*, inquit, *in Apostolicis scriptis summam agnosco, hyperbata, antapodota, solæcismos etiam aliquos non diffiteor. Sed illud ego virtutem non vitium appello. Ab istis verò quis vel Homerum, vel Demosthenem ipsum vindicarit? Quod ad sermonis simplicitatem attinet, eam quidem ego non modo reprehendo, sed etiam non possum satis admirari. Sed cur ista potius simplicitas placeret, quàm ornata elocutio, gravissimas causas habuerunt Apostoli, imo cur interdum etiam balbutiendum atque adeo solæcissandum cum vulgo putarent. Sic placuit Deo confundere sapientes hujus seculi, ut ex professo Paulus adversus Corinthios illos disertulos disserit. Deinde res illis erat maxima ex parte cum rudibus ac plebejis hominibus, quorum sermonem, si quis ad Grammaticorum aut Rhetorum præcepta exegerit, ineptè profectò fecerit.*

Idem Marc. cap. 12. versf. 48. *In Græcis*, inquit, *Manifestum est solæcum, cùm potius pro* κατεσθίοντες [*devorantes*] & προσευχόμενοι *dicendum fuerit*, Τῶν κατεσθιόντων καὶ προσευχομένων, vel οἱ κατεσθίουσι καὶ προσεύχονται, ut loquitur Luc. cap. 20. versic. 47. *Similia vero dicendi genera etiam apud disertiores*

res scriptores reperiuntur, ut Homerus Iliados α, cùm exorsus esset hanc comparationem à recto casu: Τρῶες δ᾽ ὥστ᾽ ὄϊες πολυπάμμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ, ἀνακό-
subiicit hanc ἀπόδοσιν *diverso casu*, Ὡς Τρώων ἀλαλητὸς ἀνὰ στρατὸν εὐρὺν ὀρώρει. λουθον.

Idem Iliad. β. Φημὶ γὰρ οὖν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα. Ἀστράπτων ἐπιδέξι᾽ ἐναίσιμα σήματα φαίνων: pro, ἀστράπτοντα & φαίνοντα *teste Eustathio. (Videtur etiam manifestum esse solœcum vel Solæcophanes seu* ἀνακόλουθον, *id est, inconsequens, in verbis Johan cap. 17. versic. 2. Sicut dedisti ei auctoritatem in omnem carnem.* Ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ δώσει αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. *Ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Sic enim sonant verba in* *Antiptosis*
Græco.) *insolentior*

Vide, si placet, eundem in 22. Luc. vers. 20. & in epist. Corinth. 2 cap. 8. vers. 3. qui & annotavit alibi Idiotismo Hebraico positum esse, τὸ cum participio pro ὅπερ cum verbo finito.

13. Joachimus Camerarius vir religiosus, Græcorum superioris ætatis facilè princeps in Notationis figurarum, quæ occurrunt in script. Apostol. parte secunda, G, i. ubi agit de verbo Apostoli περπερεύεται, *Non est*, inquit, quærendum τὸ ἀκριβὲς (*id est, exactum seu exquisitum*) *in scriptis Apostolorum, qui communi & noto sermone usi fuerunt, quem illis temporibus parum non fuisse constat. Quapropter pietas non offendetur iis, quæ vel* βαρβαρίζειν *vel* σολοικίζειν *videbuntur. Quale igitur verbum sit* περπερεύεσθαι, *de usu veterum iudicare non possum.*

Idem Camerarius *F. 5.* μακέλλῳ *pro* κρεωπωλίῳ βαρβαρίζει. *Est enim externum vocabulum consu-*

sis linguis illo tempore. Nam Latini dicunt macellum pro carnario, seu taberna carnaria. M. 6. de vocabulo συμπολίτης βαρβαρίζει πῶς ἡ λέξις, *barbarissat aliquomodo dictio. Nam* συμπολῖται *graci non dixerunt, sed* πολίτας *Q. 2.* συμφυλετῶν βαρβαρίζει. *Nam Gracis sunt* φυλέται, *sicut* δημόται: *ut Latinis populares, non conpopulares.*

X. 4 *de particula* τοίνυν *contra legem Grammaticam & auctorum usum praposita* σολοικίζει φράσις μεταθέσει (*solæcissat locutio transpositione*) *Nam* τοίνυν *initiale inusitatius est. Sicut apud latin. Enim vel Autem.*

In Epistola Joannis Apost. cap. 3. dicitur μειζοτέραν (*majorem.*) Quid ad hoc Camerarius? βαρβαρίζει ἡ λέξις.

14. Sed barbararum vocum exempla plura sunt. μίλιον pro miliari apud Euangelistam est: sed apud nullum græcorum reperitur ξεστὸς, pro *Sextario*, sextarius est corruptus, **Ist zerbrochen Lateinisch** ut & σημικίνθιον est *semicinctium* Latinorum, sic φραγέλλιον est *flagellum*, σικάριος est *sicarius.*

Σουδάριον, est *Sudarium.*

Σπεκουλάτωρ, *Speculator.*

Κουστωδία, est *custodia.*

Talia sunt Ταβέρνη, μεμβράνα, πραιτώριον, δηνάριον, κεντυρίων, κῆνσος, Φόρον, κολωνία, λεγεὼν, λέντιον, λιβερτῖνος, κοδράντην (Matth. 5.) quæ Latin. sunt *taberna, membrana, pratorium, denarius, centurio, census, forum, colonia, legio, linteum, libertinus, quadrantem.*

15. Quæ exempla omnia argumento, documento, testimonio nobis sunt certissimo, Apostolos non spectasse Græcam ἀκρίβειαν, sed cum vulgo &

go & usu: qui tum temporis erat, locutos esse, & quędam latina vocabula populo notissimè gręcis literis scripsisse: In scripturis denique Apostolicis quædã dicendi genera occurrere nova singularia, rariora & in solentiora politissimis Græcis, (qui tamẽ & ipsi interdum habent aliquid inusitatius, nec facile ad exemplum trahendum) Ideoq; notanda & observanda potiùs, quàm æmulanda.

XXVI.

An Cancer pro morbo sit gen. neutrius & declinationis impari syllabæ?

CAncer pro morbo esse generis neutrius, non potest evinci ex illo Ovidii:

Utq; malum latè solet immedicabile cancer
Serpere & illæsas vitiatis addere partes.

Immedicabile enim cohærere cum substantivo Malum, non cum nomine Cancer, vel puero appareat. Apud Cyprianum autem legi *Cancer* genere neutro declinationis tertiæ, & Wittakerum, hoc alicubi imitatum, etsi ab aliis posteà neutrum mutatum sit in masculinum, testimonio mihi est multæ lectionis, & nõ unius, sed multarũ artiũ vir Joannes Pincierus, quem honoris caussa nomino.

XXVII.

DE VERBO EXCUSO:

An id, quod excusatur, semper simpliciter seu vero sit ἁμάρτημα, id est, vitium peccatum? Neg.

NOn necessariò sequitur: Hoc peccatum mihi objectum excusare possum. Ergo verè & propriè peccatum est. Nam excusare nonnunquã latinis significat objectum crimen diluere, removere, depellere, negare, vel absolutè vel aliquo modo. Crimen excusat lacrymis, id est, purgat se de crimine, quod non agnoscit, lacrymis tanquam testibus innocentiæ. Planetarum error, qui dicitur, excusari potest. Vulgus Astronom. dicere solet

Excusamus & vitia & quæ habentur pro vitiis.

Non sequitur: Habeo te excusatum.

seu accipio excusatio- nem de furto, ergo furtum commisisti.

solet Salvari, sic dico, potest hoc solœcophanes, hoc solœcum excusari. Quintilianus: Fieri id videtur excusatè, id est, citra culpam, ut interpretatur Gulielmus Budæus, quem vide circa finem lib. de Græc. ling. & Vallam li. 5. cap. 67. Adde quod Grecorum ἀπολογοῦμαι, interdum vertitur Excuso ἀπολογία & ἀπολόγημα excusatio.

XXVIII.

Quomodo mensurandus versus Ennii: O domus antiqua, &c.

VErsus Ennii 1. Offic Cicer. aliter atque aliter legitur. A quibusdam sic : *O domus antiqua dominare domino quam dispari.* Ita habet exemplar, quod est Scholiis Erasmi & Conradi Goclenii illustratum.

2. Ab aliis : *O domus antiqua heu quàm dispari dominaris domino.* Sic Nizolius.

3. Ab aliis: *Quàm dispari dominare domino.*

4. Ab aliis: *Quàm dispari domino dominaris,*

5. Ab Erasmo Chiliad. 4 Cent. 7.

O domus Anti *quàm dispari domino dominaris,* ut sit versus Heroicus, quem Ennius vocat longũ, ANti sumto pro vocativo nominis proprii, & s in demensione ex Dispari abjecto.

Ego statuo versum esse jambicum sic,

- u u | - - | u u u | - u u | u - | - -
O domus anti qua do mi na re do mino quam dis-
u - |
pa ri. Vel sic:
- u u | - - | u - | - u u | - u u | -
O domus an ti qua heu quam dis pa ri do mi na-
u u | u - | | queu |
re do mi no.

Rectiora docendi cedam.

K' προς

XXIX.

Ἠ περὶ τοὺς φιλολόγους quæstio quid sit Authepsa?

IN oratore Cicer. pro S.Roscio: Ibi domus referta vasis Corinthiis & Deliacis, in quibus est aut ipsa, quam nuper mercatus est, pro (Aut ipsa) eruditi, ut Nizolius, legunt Authepsa, quæ græca vox nonnullis videtur orta & composita esse ex αὖθις & ἑψέω, vel ἑψάω vel ἕψω, Attice, *hoc est*, iterum coquo, quod sit vas, quod apponitur mensæ ad rursus calefaciendum cibum, ein Fewerpfanne. Nizolio verò ex αὐτὸ & ἕψω, quasi ipsum coquens, ut authepsa aspirationem h accipiat à spiritu verbi. Vide Nizol. explicationē in Ciceroniano. Et huc usq; plus satis nostrorum ἐνθεωρημάτων.

XXX.

Utrum dicatur resilitio an resultatio?

LIb. 2. Problematum Grammaticorum, Julii Scaligeri *Subsilitio* & *resilitio* improbavi. Problemate 15. Sed hic retexo me ac affirmo utrumq; dici, *Resilitio* & *Resultatio*. *Subsilitio*, & *subsultatio*, *Transilitio*, qua voce usus est Scalig. 4. Poetices & *Transultatio* Salio enim veteres tribuerunt præteritum *Salivi*, per Syncopen *Sali* & *Salvi*, supinum *Salitu* & *Saltu*. Resilitio igitur est à *resilitu*. Resultatio à *resultu*: etsi composita à *salio* usitatius habeant præteritum *ui* divisis syllabis, supinum, *ultu*.

XXXI.

An latinè dicatur pecunia falsa?

SUnt, qui doceant, minus latinum esse, *pecunia falsa*, (quibus aliquando assensus sum.) Volunt enim dicendum, *Pecunia adulterina, non syncera, minus proba moneta*, (cui opponitur *bona, proba, legitima moneta*) Sed cum me revicerint exēpla, nūc, *pecunia falsa*, satis latinè dici existimo. Falsum enim latinis est, quod fallit, quod non est verū. Nec

tantum

tantum est in compositione seu enuntiato, sed etiam in rebus. Dicimus enim, *Falsum somnium, falsus tutor, falsum testamentum.* Ac doctissimi Jureconsulti dicunt *falsare vinum, falsare pondera, mensuras.* Vide exemplum l. penult. ff. ad leg. Corn. *Species pecuniæ falsa, minus vera, adulterina est: subaratum aurum, cùm æs intus latet, extrinsecus aurum videtur*, gefälscht Gold. Quod usurpatur etiam proverbii vice, de re fucosa, minime syncera, sed aliud aspectui offerente, aliud intus clausum habente & regente: Potest ejus usus esse de facie puellæ fucata, seu medicamentis colorata.

XXXII.

Suboleo an idem sit, quod subodoror, & an rectè dicatur, hoc suboleo? Negatur utrumq;.

SUboleo, idem est, quod leviter oleo, modicè odorem emitto: Estq; objecti. At *Subodoror* est, leviter odorem percipio. Estq; sensorii seu organi. Castigandum igitur, quod Calepinus habet, *Suboleo propriè est odoratus sensu leviter percipio, & per translationem præsentisco.* Et quod est in thesauro latinæ linguæ, *Suboleo propriè est odorem leviter, hoc est, paululum sentio, & per translationem præsentisco (seu præsentio.)* Subdubito. Nec imitandum hoc Francisci Vallesii lib. 2. controversiarum philosoph. & Medic. ca. 21. *Si Galenus istam facultatum diversitatem subboluisset.* Dicendum erat, *subodoratus esset.* Nota interim idem significare, *Hoc subodoror*, & *Hoc mihi subolet.* Plauti locus in Pseudolo germanus est. *Corrumpitur jā cœna, hem subolet;* non legendū, *suboler*, ut meus habet Calepinus.

XXXIII.

Rectè ne legatur versus Persii Satyr. 5. Excepto si quid Masuri rubrica vetarit, (vel vetavit?)

HUnc versum alii sic legunt, *Masuri rubrica notarit*, (vel *notavit*,) quòd *vetavi* non dica-

tur,

tur, sed *Vetui*. Verum olim etiam in usu fuisse *Vetavi* & *Vetatum* ostendunt. Participium *Vetaturus* & nomen *Vetatio* (de quo Valla) & Paulus ff. ad exhibendũ. l. 6. cujus initiũ Geminianus, ubi hæc leguntur, *Quia lex duodecim tabularum solvi vetarit*. Ideoque credo, Antonius Foquelinus Veromanduus lectionem *Vetavit* retinuit in commentario suo eruditissimo.

XXXIV.

An dicendum ignosciturus, cognoscibile? &c.

NOn puto imitandum, quod quidam dicunt, *Ignosciturum*. Ut enim dicitur, *cogniturum*, non, *cognosciturũ*, sic etiã non dicitur *ignosciturum* sed *ignoturũ*. Participia enim in Rus nõ à præsenti seu a supino deducũtur (etsi multi doctissimi etiã viri hodie nasciturus à præsenti faciant) *Cognoscitu* autem & *ignoscitu* non dicitur. Itaque etiam Thomæ Aquin. *cognoscibile*, & Gellii *Ignoscibile* respuo. *Fruibile bonum* dici potest. Quia dicitur *fruitum* & *fruitu*.

MISCELLÆ.

I. *Leviter pro Paululum.*

LEviter nonnunqnam est adverbium quantitatis, seu remittendi, pro Paululum: ut leviter offensus, *id est*, paululum offensus, notatus, reprehensus, Cic. in ep. fam. lib. 6. L. 9. ep. fam. ep. 8. legitur: Quibus à me petis consilium, quod sim tibi auctor. Sed lectio non est sincera, lege quo, verba enim petendi sequitur *μόριον τελικὸν*, *hoc est*, particula habens significatum caussæ finalis.

II.

Quid sit aliquo esse numero?

NOtanda est figura loquendi Ciceroniana in epist. fam. lib. 2. epist. ult. Velim ibi malis esse, ubi aliquo numero sis, quàm isthic, ubi solus sapere videare. Hic enim Aliquo numero esse, significat

ficat esse, ubi non solus hoc sis, quod sis, aut esse cupias. Da du nicht allein der Han im Korb bist/ cum alias contra ferè significet, esse ubi sis, quod sis, aut esse cupias. In summa: in numero propriè is est, qui est inter alios sui similes, non solus. Ergo in numero esse dicitur, in existimatione vel æstimatione esse & inter alios locum habere, ita ut ipse aliquid sis: aut ut alii etiam aliquid sint, & non tu solus. Illud majoris laudis est, Hoc minoris.

III.

NAM, nullius tractationis, orationis aut epistolæ initium est: cur igitur epistola ultima 2 lib. fam. sic incipit, Cur enim tibi hoc non gratificer nescio? R.

EPistolæ initium pendet ab Inscriptione seu Epigraphe, ac pulcrè convenit exordium cum verbo Jurisconsulti. Inscriptio est: M. T. Cicero Valerio jurisconsulto. Ratio hujus inscriptionis: Cur enim tibi hoc non gratificer? Nam quod Victorius suspicari se dicit, multa his deesse, est nodum in scirpo quærere, imò nihil est. Poëta etiã nonnunquã quasi enthusiasmo percitus, aut profundis cogitationibus excitatus, ex abrupto incipit carmen à NAM. In poëmat. Joach. Majoris invenies exemplum. Sed hæc, ut alia multa, è re nata, in otii penuria.

IV.

1. TUæ *celsitudinis subditissimus* non dicitur.
2. *Subditus* enim non comparatur.
3. *Tuæ celsitudinis subjectissimus, deditissimus* non dicitur, sed *tuæ celsitudini.*
4. Nisi fortè sit locutio elliptica, *hoc est*, nisi ὑπακούης *servus*: ut celsitudinis regatur ab intellecto seu suppresso *Servus* sive *administer*, sic dicitur *Totus tuus*, intellige *Amicus.*
5. *Suam ipsius gloriam quærit* probo: *sui ipsius* improbo

probo, sic & *sui natura*: pro *sua natura*. In ep. fam. lib.2.ep.5.legitur quidem, *Eam unius tui studio me assequi posse confido*. Sed Valla locum hunc nō habens pro sincero, sic legit: *Eam rem tuo unius studio me assequi posse confido*.

6. Quanquam *studio* etiam *tui* defendi possit, si intelligatur *gratia, favore, amore aliorum erga te*: ut apud Horatium: *Ne studio nostri pecces*.

7. Sed contextus consideratus in epistola illa magis favet interpretationi activæ & ablativo *Tuo*, sic alibi Cicero: *Mea unius opera*.

8. Fastidium meum, quo ego alios fastidio, Mei, quo ego fastidior ad aliis. Ignorantia sua activè dicitur. Ignorantia sui passive: ut *prodit suam ignorantiam. ignorantia sui est magnus animi morbus*.

V.

An rectè dicatur, Digni habiti sunt qui ornentur?

PRæterito ferè non subjicitur præteritum, si res nondum est præterita. Rectè igitur dicitur: *Hi adolescētes digni judicati sunt, qui titulo seu nomine hoc cohonestentur, qui laudentur*. Nondum scilicet cohonestatio & laudatio præteriit Subjicitur cōtra præteritum, si res præteriit, ut digni judicati sunt, qui ornarentur, honestarentur.

VI.

Nihil, in Adverbium transiens.

NIhil ut & Nil interdum adverbialiter accipitur pro non, sed fortasse cum significatione augendi & intendēdi, gar nicht / ut: Nihil me fallis, *id est*, prorsus non. Ipsa suis pollens opibus, nihil indiget nostri: de Dei majestate, cui convenit *αὐτάρκεια*.

VII.

De constructione Relativorum accidentis Talis, Ejusmodi.

Voces.

XII.

PRocedo ut apud Græcos προκόπτω interdū est prætereo: ut Dies processit unus & alter: apud Vir 3 Æneid. i.e. transiit, periit Sall. in Jugurth. Ut plerunque noctis processit, ἡ νὺξ προέκοψεν, nox processit, Ad Ro. 13. cap Die Nacht ist vergangen.

Ad virtutem procedere, Ciceroni est progressionem facere, τὴν προκοπὴν ποιεῖν. 4. de Finibus Cicero dicit, in virtute procedere & progredi. 3: de Finib. Qui processit aliquantum ad virtutis aditum. Processum facere est apud Manutium.

XIII.

FRequentativum Negito à nego, quo quidam usus est, non probo: caret enim veterum auctoritate.

XIV.

De voce Spectatus.

VOcem *Spectatus* sive nominaliter sive participialiter accipiatur, consequitur vel casus nullus vel ablativus, ut *vir spectatus, vir doctrina & virtutū comitatu spectatissimus.* At enim inquis, in Cic. de Orat. occurrit, *Cæterarū artiū homines spectati & probati.* Respondeo hic genitivum non regi à voce *spectati*, sed à voce *homines.*

THESES DE PERSONA, IN QUIBUS examinatur sententia Boëtii & L. Valla elegant. 6. cap. 35.

IMperiti & barbari ferè sic loquuntur: *Tres personæ me exspectant, video duas personas. Est bona persona.* Laur. Valla.

2. Nam persona significat relationem vel qualitatē, qua alius ab alio differimus, imò qua ipse etiam à me ipso differo. Tum in internis, tum in externis, quæ à Rhetoribus inter attributa personæ numerantur.

3. In internis, *hoc est*, in animo vel corpore.

4. In animo ut quo studio aliquis se exerceat ju-

ris ne civilis an militiæ, & qua mente sit, iracundus, an moderatus, avarus, an liberalis.

5. In corpore, juvenis an senex, pulcer an deformis, mas an fœmina.

6. In internis seu extra positis, dives an pauper, clarus an obscurus, maritus an cœlebs, parens liberorum, an orbus.

7. Dicimus igitur: *Histrio ille accepit personam servi, meretricis, lenonis, parasiti. Ego nunc personam humani, nunc inhumani, nunc fortis, nunc timidi viri, hoc est, parum viri, assumo. Induere personam alicujus, irati judicis.*

8. Quo fit, ut adsit mihi multiplex & diversa persona, sed una sim substantia. Non rectè Valla, *una adsit mihi substantia.* Adesse enim composito, accidentiũ est, hoc est, accidētia adsunt composito.

6. Speciatim etiã persona larvam significat, quæ Græcis πρόσωπον, προσωπὶς, προσωπεῖον, προσωπεῖον, προσωπίδιον: unde προσωποιὸς qui larvas seu vultus efficit.

10. Porrò persona Boëtio etiam est substantia quædam. Sed ostendam, inquit Valla, huic homini Romano, Romanè eum loqui nescire.

11. Verùm ego pro Boëtio respondeo, eum loqui ut Theologum. Theologi enim in suo foro hypostasin vocãt personam seu πρόσωπον. Dicũt enim persona Patris, persona Filii, πρόσωπον πατρός.

12. Nec tamen nego, personæ vocem etiã Deo attributam nonnunquam significare accidens ut qualitatem. Ut, Deo non est persona turpis aut improba imponenda à poëta ullo.

13. Definitio tamen personæ Boëtiana IN commutabilis [a] naturæ individua substantia, vitiosa est: quia legibus logicæ non congruit, de quo consule Theologos.

[a] *Puto legendum in communicabilis.*

14. Fal-

14. Falsum autem est, quod ait Valla, in Deo personam poni, quod verè in Deo triplex sit qualitas inseparabilis: qualis in Sole lux, vibratio, calor.

15. Nam in Deitate trinum seu trinunum est, nō triplex, Trinitas, *id est*, trinunitas, seu trium unitas Dreyeinigkeit/ non triplicitas Dreyfaltigkeit.

16. Nec recipiendum, quod dicit: Tales qualitates (intellige, quæ abesse à te non possunt: qualis est calor vel lux in sole) statuo in Deo: & has dico personas, quæ abesse non possunt: (Sicut & periculosum est, quod quidam Schegkianorum personas divinas vocat δυνάμεις, de quo aliàs.)

17. Differunt enim in mysterio trinitatis. Essentia seu ὀσία, & Persona seu hypostasis ferè ut genus & species, seu ut commune & proprium seu singulare. Propriè enim in Deo est unica essentia, ipsa scilicet θεότης, *id est*, Deitas: Tres verò personæ per se subsistentes in una eademque deitate, ἀγέννητ☉ Pater, γεννητὸς Filius, ἐκπορευτὸς Spiritus sanct⁹, qui ἐνάδα τεισυπόςατον, seu τεισπρόσωπον μὲν, ὁμόσιον δὲ sive ἐνόσιον constituunt.

18. Ad Hebr. 1. Filius χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτῦ character personæ ejus: (intellige patris) non qualitatis ejus.

XIII.

An ex regula copia & inopia Abundans regat genitivum? N.

ABundans & affluens, quæ dicuntur in re eadem, participia regunt ablativum ex regula: participia imitantur suorum verborum constructionem, ut: Mulier abundans audacia. Affluens omni scelere. Cic. pro A. Cluentio. Affluo enim & abundo regunt tantum ablativum.

Abundans verò nomen regit genitivum, ut lactis abundans ex regula: participia in *ns* cum in nomina degenerant, regunt genitivum.

Itaq; ad hæc exempla adduci non debet regula de adjectivis copiæ & inopiæ.

XIV.

THESES.

Versutus unde, & quis sit συνωνυμαλικῶς *& quid Malitia & Virtus non sint contraria?*

VErsutus est, cujus mens celeriter versatur (id est, vertitur.)

2. Itaq; pro eodem dicitur, multiplex.

3. Idem quoq; vafer, fallax, versipellis, callidus, & malitiosus dicitur.

Malitiosa simulatio est callida. 4. Malitia enim idem est quod fraus, calliditas, versutia & fallax nocendi ratio. Cic. de Nat. Deorum. Pro Q. Rosc. Supercilia illa rasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur.

Pro Cluentio. A consiliis malitiæ deseruntur, *id est*, non sunt satis callidi ad cogitandum & fingendum. Ita Lipsius quoq; in Politicis usus est.

5. Itaq; Malitia certi vitii nomen est, Cicer. in Tuscul. Quæst.

6. Non igitur malitia idem est, quod vitiositas seu vitium seu improbitas, & græcorum κακία.

7. Vitiositas scilicet seu κακία contraria est virtuti seu καλοκαγαθία, seu ἀγαθία. Malitia verò prudentiæ opposita est.

8. Malitia inquit Cicero, providentiam imitatur in partit. & ad Attic. *id est*, malitia vult videri se esse prudentiam, sed ab ea distat plurimum.

9. Objiciat nobis aliquis locum Ciceronis in Tuscul. quæstion. ipsum cui innititur omne ferè quod diximus.

Virtuti contraria est vitiositas, sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν vocant. Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium. An non hîc dicit Cicero, Malitiam

litiam à Græcis vocari κακίαν? Malitiæ igitur idē est, quod vitium seu vitiositas.

10. Respondeo hic, Cicero dicit vitiositatem, non malitiam dici à Græcis κακίαν. Syntaxis enim hic est ἀνώμαλος, ut ibi: animal quem hominem dicimus, pro quod. In carcere quod Tullianū dicitur, pro qui. Præcepta religionis Christianæ, quos articulos fidei vocant, *id est*, quæ: ita dicitur à Cicerone, sic, *id est*, vitiositatem malo appellare, quā *id est*, quod κακίαν vocant, de qua syntaxi & interpretatione quod dubites, nihil est.

11. Quæri hic potest, quomodo accipiatur Malitia, cùm dicitur ex canonibus pōtificiis legitimæ ætatis (quæ ad justas nuptias requiritur) Defectū supplet malitia. Disputatum est de eo variè in examine Cand. Justitiæ Hermanni Kirchneri Poëtæ Cæsarei.

12. Ego accipio ibi pro luxuria seu impetu præmaturo animi, seu præpropero desiderio, seu libidine, quā Scholastici vocant malā concupiscētiā.

13. Malitia, *id est*, conjunctionis appetitus, & generandi facultas, inquit in Com. de Matrimonio, Antonius Guberti Constan. pag. 89. & alii.

14. Sed non probo. Vis enim procreatrix, seu potestas coëundi. & præveniens vis naturam cum malitia idem esse non possunt. Itaque, idem esse, cave dixeris.

15. Addunt Canones, Malitiæ etiam prudentiam, per eam intellectam prævenientem ætatem intelligo, seu præcocem intelligentiam, Vorwitz per κατάχρησιν.

XV.

MISCELLÆ.

AC & atq; præcedunt. Excip Compos. Simul ac, simul atq;, forma græca ἅμα καί.

2. Jugum, Injuges, cui opponitur Conjuges, Bijuges, habent ju breve. At jugis juge, jugiter ju long. Exempla sunt apud Plautum & Horatium.

3. In voce Involucrum Prudentius lu corripuit in hymno Post cibum, contra leg. prosodiæ. Est enim vox à supino involutu.

4. Quod Germani dicunt, Ein Abschrifft/ Græci dicunt, ἀπόγραφον, *id est*, descriptum, exemplum, imago scripti.

5. Cùm dicitur, *Mea sponte*, dicitur etiam *Ejus sponte*. Exempum habes in Scaligero exerc. 77.

XVI.

De usu vocis DESCRIBO.

DEscribere, quod nonnunquam idem sit, quod distribuere & Græcorũ ἀπογράφεσθαι: pauci animadvertunt.

2. Apud Lucã Euangelistam est ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, id rectè versum est. Describi totum orbem, hoc est, distribui.

3. Sic Cic. Epist. fam. lib. 16. ep. 10. Regiones descriptæ, *id est*, distributæ.

4. Sic dicit Grammaticus, novum ordinem literarum faciens, literarum vulgo alia est descriptio, indeq; numeri notantur, librorum octerniones & lexicorum dictiones ordinantur hoc modo:

a 1,
b 2.
c 3,

Hic descriptio idem est, quod enumeratio distributio, ordine numeratio, ordinatio.

5. Vulgaris, (ut hæc obiter addam) descriptio literarum etiam cernitur in Acrostichide Sedulii: A solis ortus cardine, &c. Beatus auctor seculi. Est autem Acrostichis, cùm ab initialibus literis Carmen aliquod ordine continuo deducitur.

SOLEN-

SOLENNIS ACTUS XIX.

MAGISTRORUM, ET XXV. BACCAlaureorum, Descriptus & percelebratus in illustri Academia Marpurg. Hass. Augusti XI. Anno Servatoris 1598.

A

RODOLPHO GOCLENIO Philosophico Professore.

Additamenti vice problematibus Grammaticis subjectus.

Laudatur Illustr. & potentiss. Principis Mauritii, &c. Instit. Philosoph. & tractatur Quæstio; An principis sit Philosophari?



IN celeberrimo hoc Senatus Populique Academici conventu, Magnifice Dn. Rector, Amplissime Procancellarie, facultatum quarumlibet Professores, Doctores ac Magistri class. collegæ, mihi præter cæteros observandi, tuq; auditorum, qui vel honoris, vel officii, vel animi gratia huc venistis, corona lectissima, in augusto, inquā hoc conventu, publicaq; & docentium & discentium celebritate, pro ea quæ mihi imposita est persona verba facturo initio gratulabundo & lætabundo liceat, quod de Achillis hasta in Telephi vulnere, traditum est à Poetis, idem ad justum simul & misericordem patrem D. N. I. C. convertere.

Una eademq; manus vulnus opemq; tulit.

Scilicet qui nos affecerat graviter, qui nos huc

illuc metu pestilentis contagii disiecerat, idem nunc auræ benignioris ac tẽperatioris cœli usura recreat, recollectis magnam partem, quæ dispersa erant, corporis Academici membris: in quæ quidem dum magna voluptate intueor, Deo Servatori & Sospitatori pro beneficio conservatæ adhuc salutis σωτήρια piè sanctéq;, quo ad possum, persolvo (perinde ut qui à gravi morbo convaluerunt, pro felice medicatione σῶστρα solvunt, nisi forte animi ingrati notam subire sustineant) eundemque oro, ut mali illius reliquias, si quæ forte hic sint, clementer exstinguat, ne literariũ otium, quod ipsius gloriæ & hominum usibus servit, cum ejusmodi congressibus interturbetur aut impediatur, in quibus debita iis, qui humaniter vixerũt, præmia tribuuntur. Talem verò esse hunc ipsum Senatus philosophicus voluit, cùm quidẽ ex philosophiæ studiosis 25. se primæ laureæ, undeviginti verò Magisterii nostri honore condecorari petierint: quod bene audire & ornari virtutis rectéq; factorum fructus ipsis sit amplissimus, quem certè omnes ingenui minimeq; dissoluti homines appetunt, ut rectè cecinerit ille:

Cui non dulcis honos, cui non est gloria cordi,
Et levis & non est indolis ille bonæ.

Par igitur & æquum fuerit, ut qui aliis doctiores sese in hoc sacro-sanctum Philosophiæ templũ intulerunt, ex eodem quoq; ornatiores, & honoratiores sese efferant. Sed nihil præter legem & morem, præsertim quem & sapiẽti consilio à majoribus institutum, & gravi judicio à posteris huc usque conservatum didicimus.

Quare cùm jus consuetudoq; hujus Academiæ me jubeat publicæ renuntiationi istorũ competitorum aliquid præfari (sicut antiqui ferè omnibus rebus agendis, quod bonum faustumq; esset, præfa-

præfabantur) ab utili quopiam argumento perorando mihi hujus solemnis actus exordium capessendum esse video. Cui autem vestrûm non est perspicuum, quantum habeat momentum ad omnes res occasio & commoditas: quanti referat, quo quidq; tempore aut loco fiat aut dicatur. Sicut enim artificiosi pictoris tabulæ convenienti loco constitutæ mirificè delectant, eædemq; minus bona in luce collocatæ, non idem aspicientium oculos tenere ac pascere consueverunt: Sic instituta nostra, actiones nostrę, orationes nostrę, propter importunitatem seu intempestivitatem parvi ducuntur, minusque sunt acceptæ, mirum verò quantum opportunitate & gratæ jucundæq; sint & commendentur: tantùm profectò, ut non rarò in tempore locoq; plus, quàm in ipsa re positum esse videatur. Jam verò quis ex vobis est, ad quem non dico aliquis rumusculus, sed constans fama pervenerit de ratione studiorum, quam ingressus est Illustrissimus Hassiæ Princeps, ac Dn. Dn. Mauritius Landtgravius Hassiæ, Comes Cattimeliboci, Dec. Zigenh. & Nidd. Dominus noster clementissimus, Magni illius Wilhelmi, cujus mortui gloria vivet semper in memoria vivorum, unicus idemq; optimus filius. Quod si fortè quispiam est in hac gente & terra adeo hospes, ut vitæ modo laudati principis institutum ignoret, cognoscat, quæso hoc ipsum ex carmine extemporali quidem, sed eleganti pariter & erudito, quod superiore mense Cassellis poëticæ suæ præscripsit:

Diversos diversa juvant, omniq; palato
Non omnes sapiunt, conveniuntq; cibi.
Quisq; suo capitur studio; sua quenq; voluptas
(Qua sine vix homini vivere dulce) trahit.
Inspirant alii fumantia follibus æra,
Ut statuas condant arte Perylle tua.

 His

ficat esse, ubi non solus hoc sis, quod sis, aut esse cupias. Da du nicht allein der Han im Korb bist/ cum alias contra ferè significet, esse ubi sis, quod sis, aut esse cupias. In summa: in numero propriè is est, qui est inter alios sui similes, non solus. Ergo in numero esse dicitur, in existimatione vel æstimatione esse & inter alios locum habere, ita ut ipse aliquid sis: aut ut alii etiam aliquid sint, & non tu solus. Illud majoris laudis est, Hoc minoris.

III.

NAM, nullius tractationis, orationis aut epistolæ initium est : cur igitur epistola ultima 2 lib. fam. sic incipit, Cur enim tibi hoc non gratificer nescio? R.

EPistolæ initium pendet ab Inscriptione seu Epigraphe, ac pulcrè convenit exordium cum verbo Jurisconsulti. Inscriptio est: M. T. Cicero Valerio jurisconsulto. Ratio hujus inscriptionis: Cur enim tibi hoc non gratificer? Nam quod Victorius suspicari se dicit, multa his deesse, est nodum in scirpo quærere, imò nihil est. Poëta etiã nonnunquã quasi enthusiasmo percitus, aut profundis cogitationibus excitatus, ex abrupto incipit carmen à NAM. In poëmat. Joach. Majoris invenies exemplum. Sed hæc, ut alia multa, è re nata, in otii penuria.

IV.

1. TUæ *celsitudinis subditissimus* non dicitur.

2. *Subditus* enim non comparatur.

3. *Tuæ celsitudinis subjectissimus, deditissimus* non dicitur, sed *tuæ celsitudini*.

4. Nisi fortè sit locutio elliptica, *hoc est*, nisi *ὑπακύης servus*: ut celsitudinis regatur ab intellecto seu suppresso *Servus* sive *administer*, sic dicitur *Totus tuus*, intellige *Amicus*.

5. *Suam ipsius gloriam quærit* probo: *sui ipsius* improbo

probo, sic & *sui natura*: pro *sua natura*. In ep. fam. lib. 2. ep. 5. legitur quidem, *Eam unius tui studio me assequi posse confido*. Sed Valla locum hunc nō habens pro sincero, sic legit: *Eam rem tuo unius studio me assequi posse confido.*

6. Quanquam *studio* etiam *tui* defendi possit, si intelligatur *gratia, favore, amore aliorum erga te*: ut apud Horatium: *Ne studio nostri pecces.*

7. Sed contextus consideratus in epistola illa magis favet interpretationi activæ & ablativo *Tuo*, sic alibi Cicero: *Mea unius opera.*

8. Fastidium meum, quo ego alios fastidio, Mei, quo ego fastidior ad aliis. Ignorantia sua activè dicitur. Ignorantia sui passivè: ut *prodit suam ignorantiam. Ignorantia sui est magnus animi morbus.*

V.

An rectè dicatur, Digni habiti sunt qui ornentur?

PRæterito ferè non subjicitur præteritum, si res nondum est præterita. Rectè igitur dicitur: *Hi adolescētes digni judicati sunt, qui titulo seu nomine hoc cohonestentur, qui laudentur.* Nondum scilicet cohonestatio & laudatio præteriit. Subjicitur cōtra præteritum, si res præteriit, ut digni judicati sunt, qui ornarentur, honestarentur.

VI.

Nihil, in Adverbium transiens.

NIhil ut & Nil interdum adverbialiter accipitur pro non, sed fortasse cum significatione augendi & intendēdi, gar nicht/ ut: Nihil me fallis, *id est*, prorsus non. Ipsa suis pollens opibus, nihil indiget nostri: de Dei majestate, cui convenit αὐτάρκεια.

VII.

De constructione Relativorum accidentis Talis, Ejusmodi.

Voces

XII.

PRocedo ut apud Græcos προκόπτω interdũ est prætereo: ut Dies processit unus & alter: apud Vir 3 Æneid. i. e. transiit, periit Sall. in Jugurth. Ut plerunque noctis processit, ἡ νὺξ προέκοψεν, nox processit, Ad Ro. 13. cap Die Nacht ist vergangen.

Ad virtutem procedere, Ciceroni est progressionem facere, τὴν προκοπὴν ποιεῖν. 4. de Finibus Cicero dicit, in virtute procedere & progredi. 3: de Finib. Qui processit aliquantum ad virtutis aditum. Processum facere est apud Manutium.

XIII.

FRequentativum Negito à nego, quo quidam usus est, non probo: caret enim veterum auctoritate.

XIV.

De voce Spectatus.

VOcem *Spectatus* sive nominaliter sive participialiter accipiatur, consequitur vel casus nullus vel ablativus, ut *vir spectatus, vir doctrina & virtutũ comitatu spectatissimus.* At enim inquis, in Cic. de Orat. occurrit, *Cæterarũ artiũ homines spectati & probati.* Respondeo hic genitivum non regi à voce *spectati*, sed à voce *homines.*

THESES DE PERSONA, IN QUIBUS examinatur sententia Boetii & L. Vallæ elegant. 6. cap. 35.

IMperiti & barbari ferè sic loquuntur: *Tres personæ me exspectant, video duas personas. Est bona persona.* Laur. Valla.

2. Nam persona significat relationem vel qualitatẽ, qua alius ab alio differimus, imò qua ipse etiam à me ipso differo. Tum in internis, tum in externis, quæ à Rhetoribus inter attributa personæ numerantur.

3. In internis, *hoc est*, in animo vel corpore.

4. In animo ut quo studio aliquis se exerceat ju-

ris ne civilis an militiæ, & qua mente sit, iracundus, an moderatus, avarus, an liberalis.

5. In corpore, juvenis an senex, pulcer an deformis, mas an fœmina.

6. In internis seu extra positis, dives an pauper, clarus an obscurus, maritus an cœlebs, parens liberorum, an orbus.

7. Dicimus igitur: *Histrio ille accepit personam servi, meretricis, lenonis, parasiti. Ego nunc personam humani, nunc inhumani, nunc fortis, nunc timidi viri, hoc est, parum viri, assumo. Induere personam alicujus, irati judicis.*

8. Quo fit, ut adsit mihi multiplex & diversa persona, sed una sim substantia. Non rectè Valla, *una adsit mihi substantia.* Adesse enim composito, accidentiũ est, hoc est, accidẽtia adsunt composito.

6. Speciatim etiã persona larvam significat, quæ Græcis πρόσωπον, προσωπὶς, προσωπεῖον, προσωπεῖον, προσωπίδιον: unde προσωποιὸς qui larvas seu vultus efficit.

10. Porrò persona Boëtio etiam est substantia quædam. Sed ostendam, inquit Valla, huic homini Romano, Romanè eum loqui nescire.

11. Verùm ego pro Boëtio respondeo, eum loqui ut Theologum. Theologi enim in suo foro hypostasin vocãt personam seu πρόσωπον. Dicũt enim persona Patris, persona Filii, πρόσωπον πατρός.

12. Nec tamen nego, personæ vocem etiã Deo attributam nonnunquam significare accidens ut qualitatem. Ut, Deo non est persona turpis aut improba imponenda à poëta ullo.

13. Definitio tamen personæ Boëtiana IN communicabilis *a* naturæ individua substantia, vitiosa est: quia legibus logicæ non congruit, de quo consule Theologos.

a Puto legendum in communicabilis.

14. Fal-

14. Falsum autem est, quod ait Valla, in Deo personam poni, quod verè in Deo triplex sit qualitas inseparabilis: qualis in Sole lux, vibratio, calor.

15. Nam in Deitate trinum seu trinunum est, nō triplex, Trinitas, *id est*, trinunitas, seu trium unitas Dreyeinigkeit/ non triplicitas Dreyfaltigkeit.

16. Nec recipiendum, quod dicit: Tales qualitates (intellige, quæ abesse à te non possunt: qualis est calor vel lux in sole) statuo in Deo: & has dico personas, quæ abesse non possunt: (Sicut & periculosum est, quod quidam Schegkianorum personas divinas vocat δυνάμεις, de quo aliàs.)

17. Differunt enim in mysterio trinitatis. Essentia seu ὀσία, & Persona seu hypostasis ferè ut genus & species, seu ut commune & proprium seu singulare. Propriè enim in Deo est unica essentia, ipsa scilicet Θεότης, *id est*, Deitas: Tres verò personæ per se subsistentes in una eademque deitate, ἀγέννητ☉ Pater, γεννητὸς Filius, ἐκπορευτὸς Spiritus sanct⁹, qui ἐνάδα τεισυπόςατον, seu τειπρόσωπον μὲν, ὁμόσιον δὲ sive ἑνόσιον constituunt.

18. Ad Hebr. 1. Filius χαρακτὴρ τῆς ὑποςάσεως αὐτῦ character personæ ejus: (intellige patris) non qualitatis ejus.

XIII.

An ex regula copia & inopia Abundans regat genitivum? N.

ABundans & affluens, quæ dicuntur in re eadem, participia regunt ablativum ex regula: participia imitantur suorum verborum constructionem, ut: Mulier abundans audacia. Affluens omni scelere. Cic. pro A. Cluentio. Affluo enim & abundo regunt tantum ablativum.

Abundans verò nomen regit genitivum, ut lactis abundans ex regula: participia in *ns* cum in nomina degenerant, regunt genitivum.

Itaq; ad hæc exempla adduci non debet regula de adjectivis copiæ & inopiæ.

XIV.

THESES.

Versutus unde, & quis sit ἐυγονμαίικῶς & quid Malitia & Virtus non sint contraria?

VErsutus est, cujus mens celeriter versatur (id est, vertitur.)

2. Itaq; pro eodem dicitur, multiplex.

3. Idem quoq; vafer, fallax, versipellis, callidus, & malitiosus dicitur.

Malitiosa simulatio est callida. 4. Malitia enim idem est quod fraus, calliditas, versutia & fallax nocendi ratio. Cic. de Nat. Deorum. Pro Q. Rosc. Supercilia illa rasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur.

Pro Cluentio. A consiliis malitiæ deseruntur, *id est*, non sunt satis callidi ad cogitandum & fingendum. Ita Lipsius quoq; in Politicis usus est.

5. Itaq; Malitia certi vitii nomen est, Cicer. in Tuscul. Quæst.

6. Non igitur malitia idem est, quod vitiositas seu vitium seu improbitas, & græcorum κακία.

7. Vitiositas scilicet seu κακία contraria est virtuti seu καλοκαγαθία, seu ἀκακία. Malitia verò prudentiæ opposita est.

8. Malitia inquit Cicero, providentiam imitatur in partit. & ad Attic. *id est*, malitia vult videri se esse prudentiam, sed ab ea distat plurimum.

9. Objiciat nobis aliquis locum Ciceronis in Tuscul. quæstion. ipsum cui innititur omne ferè quod diximus.

Virtuti contraria est vitiositas, sic enim malo, quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν vocant. Nam malitia certi cujusdam vitii nomen est, vitiositas omnium. An non hîc dicit Cicero, Malitiam

litiam à Græcis vocari κακίαν? Malitiæ igitur idē est, quod vitium seu vitiositas.

10. Respondeo hic, Cicero dicit vitiositatem, non malitiam dici à Græcis κακίαν. Syntaxis enim hic est ἀνώμαλος, ut ibi: animal quem hominem dicimus, pro quod. In carcere quod Tullianū dicitur, pro qui. Præcepta religionis Christianæ, quos articulos fidei vocant, *id est*, quæ ita dicitur à Cicerone, sic, *id est*, vitiositatem malo appellare, quā *id est*, quod κακίαν vocant, de qua syntaxi & interpretatione quod dubites, nihil est.

11. Quæri hîc potest, quomodo accipiatur Malitia, cùm dicitur ex canonibus pōtificiis legitimæ ætatis (quæ ad justas nuptias requiritur) Defectū supplet malitia. Disputatum est de eo variè in examine Cand. Justitiæ Hermanni Kirchneri Poëtæ Cæsarei.

12. Ego accipio ibi pro luxuria seu impetu præmaturo animi, seu præpropero desiderio, seu libidine, quā Scholastici vocant malā concupiscētiā.

13. Malitia, *id est*, conjunctionis appetitus, & generandi facultas, inquit in Com. de Matrimonio, Antonius Guberti Constan. pag. 89. & alii.

14. Sed non probo. Vis enim procreatrix, seu potestas coëundi. & præveniens vis naturam cum malitia idem esse non possunt. Itaque, idem esse, cave dixeris.

15. Addunt Canones, Malitiæ etiam prudentiam, per eam intellectam prævenientem ætatem intelligo, seu præcocem intelligentiam, Vorwitz per κατάχρησιν.

XV.

MISCELLÆ.

AC & atq; præcedunt. Excip Compos. Simul ac, simul atq;, forma græca ἅμα καί.

2. Jugum, Injuges, cui opponitur Conjuges, Bijuges, habent ju breve. At jugis juge, jugiter ju long. Exempla sunt apud Plautum & Horatium.

3. In voce Involucrum Prudentius lu corripuit in hymno Post cibum, contra leg. prosodiæ. Est enim vox à supino involutu.

4. Quod Germani dicunt, Ein Abschrifft/ Græci dicunt, *ἀπόγραφον, id est*, descriptum, exemplum, imago scripti.

5. Cùm dicitur, *Mea sponte*, dicitur etiam *Ejus sponte*. Exempum habes in Scaligero exerc. 77.

XVI.

De usu Vocis DESCRIBO.

DEscribere, quod nonnunquam idem sit, quod distribuere & Græcorũ *ἀπογράφεσθαι*: pauci animadvertunt.

2. Apud Lucã Euangelistam est *ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην*, id rectè versum est. Describi totum orbem, hoc est, distribui.

3. Sic Cic Epist. fam. lib. 16. ep. 10. Regiones descriptæ, *id est*, distributæ.

4. Sic dicit Grammaticus, novum ordinem literarum faciens, literarum vulgo alia est descriptio, indeq; numeri notantur, librorum octerniones & lexicorum dictiones ordinantur hoc modo:

a 1.
b 2.
c 3.

Hic descriptio idem est, quod enumeratio distributio, ordine numeratio, ordinatio.

5. Vulgaris, (ut hæc obiter addam) descriptio literarum etiam cernitur in Acrostichide Sedulii: A solis ortus cardine, &c. Beatus auctor seculi. Est autem Acrostichis, cùm ab initialibus literis Carmen aliquod ordine continuo deducitur.

SOLEN-

SOLENNIS ACTUS XIX:

MAGISTRORUM, ET XXV. BACCAlaureorum, Descriptus & percelebratus in illustri Academia Marpurg. Hass. Augusti XI. Anno Servatoris 1598.

A

RODOLPHO GOCLENIO
Philosophico Professore.

Additamenti vice problematibus Grammaticus subjectus.

Laudatur Illustr. & potentiss. Principis Mauritii, &c. Instit. Philosoph. & tractatur Quæstio; An principis sit Philosophari?



IN celeberrimo hoc Senatus Populique Academici conventu, Magnifice Dn. Rector, Amplissime Procancellarie, facultatum quarumlibet Professores, Doctores ac Magistri class. collegæ, mihi præter cæteros observandi, tuq; auditorum, qui vel honoris, vel officii, vel animi gratia huc venistis, corona lectissima, in augusto, inquã hoc conventu, publicaq; & docentium & discentium celebritate, pro ea quæ mihi imposita est persona verba facturo initio gratulabundo & lætabundo liceat, quod de Achillis hasta in Telephi vulnere, traditum est à Poetis, idem ad justum simul & misericordem patrem D. N. I. C. convertere.

Una eademq; manus vulnus opemq; tulit.

Scilicet qui nos affecerat graviter, qui nos huc

præfabantur) ab utili quopiam argumento perorando mihi hujus solemnis actus exordium capessendum esse video. Cui autem vestrûm non est perspicuum, quantum habeat momentum ad omnes res occasio & commoditas: quanti referat, quo quidq; tempore aut loco fiat aut dicatur. Sicut enim artificiosi pictoris tabulæ convenienti loco constitutæ mirificè delectant, eædemq; minus bona in luce collocatæ, non idem aspicientium oculos tenere ac pascere consueverunt: Sic instituta nostra, actiones nostrę, orationes nostrę, propter importunitatem seu intempestivitatem parvi ducuntur, minusque sunt acceptæ, mirum verò quantum opportunitate & gratæ jucundæq; sint & commendentur: tantùm profectò, ut non rarò in tempore locoq; plus, quàm in ipsa re positum esse videatur. Jam verò quis ex vobis est, ad quem non dico aliquis rumusculus, sed constans fama pervenerit de ratione studiorum, quam ingressus est Illustrissimus Hassiæ Princeps, ac Dn. Dn. Mauritius Landtgravius Hassiæ, Comes Cattimelibocí, Dec. Zigenh. & Nidd. Dominus noster clementissimus, Magni illius Wilhelmi, cujus mortui gloria vivet semper in memoria vivorum, unicus idemq; optimus filius. Quod si forte quispiam est in hac gente & terra adeo hospes, ut vitæ modo laudati principis institutum ignoret, cognoscat, quæso hoc ipsum ex carmine extemporali quidem, sed eleganti pariter & erudito, quod superiore mense Cassellis poëticæ suæ præscripsit:

Diversos diversa juvant, omníq; palato
Non omnes sapiunt, conveniuntq; cibi.
Quisq; suo capitur studio; sua quenq; voluptas
(Qua sine vix homini vivere dulce) trahit.
Inspirant alii fumantia follibus æra,
Ut statuas condant arte Perylle tua.

Hic fundit Pyrio replendas pulvere cannas,
Ejicit inde sono terrificante globos.
Educta hinc cœlo moles sylvæq; tremiscunt,
Turbatiq; pavet regia vasta maris.
Non sic irata jaculatur fulmina dextra,
Nec tonitru cœlum Juppiter ipse quatit.
Describunt alii vario sibi ficta colore,
Ut faciant fuco mortua viva suo.
Ostendunt alii fugientes temporis horas,
Et vigiles harum singula puncta notant,
Augendi est aliis immensum cura peculi,
Fallor? an his Plutum dixeris esse Deum.
Hos juvat in gyrum validos torquere caballos:
Illos arma juvant, Martia pugna juvat.
At volupe est aliis spoliare volucribus auras,
Piscibus & fluvios & nemus omne feris,
Plena trahunt alios udi Carchesia Bacchi,
Quîs nihil est aliud vivere quàm bibere.
Nostra sed Aonia venatio sobria Musa est,
Próq; fera cerva, vera Minerva placet.
Noster amor Sophia est, dulces ante omnia Musæ:
Noster amor docti turba novena chori.
In cujus medio radianti vertice Phœbus
Increpat arguta fila canora Lyra.
Nunc blandos elegos faciles, nunc auctor Iambos
Heroosve canens, non sine laude, modos.

Audin' ut in sexto Æneidos facta ad laudem Romani nominis comparantur, Corinthii æra, Parii marmora, Babylonii & Ægyptii astra perfectius exercuerunt: At

Tu regere imperio populos Romane memento, &c.

Sic *Princeps noster* sua studia cum aliorum studiis comparans se Philosophum profitetur: Sed facto etiam, opereque se Philosophum esse ostendit, inde quantum splendoris? quantum ornamenti bonis artibus accedit? Dum alii sunt aucupes

vel

vel venatores, dum alii sunt toti in congerendis auri argentique acervis, aut versant calices, potantque ad stellam usque diurnam, ILLE versat codices, venatur Sapientiam, scribit Comœdias & Tragœdias tam sacras quàm profanas, meditatur Dialecticen, Rhetoricen, Oratoriam, Politicam, sicut jam ante meditatus est Poëticen, quæ Methodice ab ipso informata typis expressa & edita nunc in multorum manibus versatur, quam propediem, Deo volente, hominibusque approbantibus, latina ejus Grammatica sequetur: Meditatus est Musicen practicam & poëticam singulari artificio, ejusque exempla documentaque nobis dedit ea, ut Symphonias ipsius Orlandi vel Cypriani de Rore esse jures, ut si eas vel ipse caneres, vel canentem audires, diceres ejus caput totum esse harmonicum. Ad eas audiendas, cùm aliquando clementer admissus essem, tantam ex iis voluptatem hausi, quantam vix veteres Imperatores è suis, nô dico orationibus, sed triumphis hausisse existimem. Meditatur præterea ex novis hypothesibus, ductu cognitionis rei metallicæ, singularem, hactenusque incognitam Meteorologiam. Neq; enim antecessores nostros eo usq; cogitatione ingeniorum processisse existimat, ut sibi & aliis posteris, quod præterea discerent, relinquerent nihil: persuasissimum potiùs sibi habet, multa latere adhuc abstrusa abditaque in naturæ profunditate sinuque amplissimo, quæ elicere & evocare in lucem possit, qui ingenii rarioris acie studioq; omni eorum perscrutationem incubuerit. Ac ne quod Philosophi officium prætermittat, in Schola sua illustri nunc ipse docet, aut periculum facit progressionis discipulorum in literis, nunc disputationes moderatur, nunc respondentis, nunc opponentis munere defungitur,

(Proh

(Proh quantum, ita fasces suos Philosophiæ & Musis submittere!) nunc memoriter instar Oratoris perorat, nunc carminibus extemporalibus certat, quorum ipse cum aliis plurimis testis esse possum: quippe, qui cùm nuper, cùm præmia ipse distributurus esset inter generosos & nobiles discipulos, qui in examine bene stetissent, eisq; præfectos, magnificè & graviter verba facientem de *Schola* suæ aulicæ rationibus ac scopo, comparandisq; iis, unde verum decus, vera nobilitas emanat, dubium majore voluptate, an admiratione audiverim, qui eidem in certamine poëtico, cùm legem posuisset, ne prosa usurparetur, manum ultro dederim: quanquam, cùm inter Poëtas vix tenuis sim umbra, facile me superare potuit. Vidi illum, & quidem penè cum stupore vidi, ex tempore, cùm de quibusdam thesibus philosophicis disputaretur, artificiosum elegans & venustum (penè dicerem nectareum) hoc carmen velut ludendo facere, quo quidem tanquam applausu & respondentis elogio disputationem istam concludebat:

Cernite quam doctè Logicas *moderetur* habenas
Noster Philonicus *in* aula.
Cernite quam scite placidas *ferat ore* loquelas
Noster Philonicus in arte.
Cernite quam pulcre lepidas *sciat edere* Musas
Noster Philonicus in arce.
Ergo ferat Princeps *Philonico præmia laudis*,
Cui det Philonicus honorem.
Ergo Sophi cedant Philonico gaudia plausus:
Reddat Philonicus amorem.
Ergo caput, juvenes, Philonici cingite serto:
Spiret Philonicus odorem.

Adde, quòd peregrinas etiam linguas quibus eruditus est exercere, & ad epulas suas, accitis eruditis, quæstiones sacras, politicas, historicas proponere

ponere solet, & de iis in utranque partem disertè disputare, aut assidentium judicium exquirere, ut nunquam ferè ad ejus mensam accedas, quin abscedas doctior. Sic olim Hadrianus Imperator, cùm omnes artes profiteretur, sæpe aliqua proposita quæstione cum Doctorib. quibuslibet certasse legitur. Testes habeo meæ narrationis locupletes intimos excelsissimi *nostri Principis* Consiliarios: Habeo testes luculentos omni honore, omnique laude florentes viros multos ex aliis aulis & scholis, ex literata etiam nobilitate nonnullos, è quibus quidam aliquando cum NOSTRO cœnatus in digressu ad me conversus; vulgo, inquiebat, dicitur: *Minuit præsentia famã*. Et: *Extra fama volat semper majoribus alis*. At non semper hoc ita se habere, nunc reipsa comperio. Hic enim, *Advena fama minor: superat præsentia famam*. Hæc cùm ita sint, non ab re quæritur: *an Princeps augustam personam ejusmodi Philosophia studium deceat*. Judicant enim quidam non esse principis viri studium suum dare rebus Scholasticis, minui hoc splendorem & majestatem ejus. Ajunt Philosophiam, non esse cum rerum actione & gubernatione conjungendam, imò conjungi posse negant. Quo argumento? Ajunt eas in dissimili rerum genere versari, alteram in otio, alteram in negotiis. Itaque se non videre, qui possit unus Princeps in utraq; excellere, in posteriore autem eum excellere debere. Sed istos, ut æquum est, bona cum gratia dimittamus, ac æquiori lance rem examinantes statuamus, Imperatori, Regi, Principi gloriosum esse vario literarum genere non vulgariter eruditum esse. Statuamus cum subditorum utilitate conjunctum esse, si principem habeant artibus humanioribus excultum, sed ita ne à rerum gerendarum studio curaque se abducat, in quo nobis ὁμόψηφοι

habere

habere videmus Dionyſium illum Gothofredum Iℓtum. Is enim præterito menſe Januario in Schola publica Argentoratenſi propoſuit hoc Problema, hanc quæſtionem comparatam, *Debeantne ſubditi principem ſuum literatum eſſe magis exoptare, quam illiteratum*, ac prius defendit. Judicium enim ſuum bene literatus Dynaſta de rebus gravibus melius adhibere poteſt, nec neceſſe habet ex aliena virtute totus pendere, & alienis tantum oculis videre, quibus non raro principes falli, cui in Politia verſanti obſcurum eſt? Itaque viri ſapientes omnibus temporibus alterutrum rectè cupierunt, ut aut Reges philoſopharentur ipſi, aut philoſophantes regnarent. Ac Alphonſus Aragonum Rex ſapientiſs. (hic enim in præſentia dum memoriam meam excutio occurrit) commemorabilibus quendam ex Hiſpania regibus dixiſſe, non decere principes viros ſcire literas, rectè exclamavit: *Eam vocem bovu eſſe, non hominis.* Eſt profectò aliquid, imò verò magna res, & neſcio an major hac eſſe poſſit ulla, principem virum non vulgares tantùm, ſed & interiores literas tenere & exercere, philoſophica ſtudia colere, & quantum in ipſo eſt, propagare, ac diſciplinas honeſtas locupletare, victorias & triumphos Regum, nunquam interituris carminibus decantare, ac ſplendidiſſimis iiſdemque ſemper victuris orationibus celebrare, vel quæ ipſi laudabiliter & ex virtute fecerunt, manuve aut conſiliis præclarè geſſerunt, literis cuſtodire poſſe. Quo in numero fuiſſe ſcitis præpotentem illum principem, quem armorum laus & victoriarum gloria cœlo coæquavit, Julium Cæſarem. Is enim politioris literaturæ præter cæteros cultor, præclaros illos, qui bono literarum fato adhuc exſtant, de bellis ſe Duce geſtis commentarios nobis dedit, qui ejus

nomen

nomen ab interitu vindicant, rerum quas gessit, memoriam perpetuam faciunt. Sed seposito hoc, paulisper dicite mihi, utrum putetis plus profuisse hominum generi, Ciceronémne cum negotiosus Rempubl. Romanam Consul administraret, an Ciceronem, cùm otiosus eruditissimos commentarios philosophicos scriberet, & eloquentiæ suæ divinæ monumenta nobis relinqueret? Explicatis animi vestri rationibus dicite, quæso, mihi, ex utro horum majorem illũ nominis celebritatem consecutum esse putetis. Non fefellit sane eum eventus istius: Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ, pro quo nobis παρῳδεῖν liceat:

Cedant regna Sophis, concedat laurea Musis.

Hæ semper virent vigentque supra fortunæ aleam positæ, cum regna unius sæpe culpa concidere & vitam eorum, qui bellica laudis gloria inclaruerunt, sine doctorum virorum literis vitalem, hoc est, memoriam diuturnam esse non posse videamus. *Bios sine Musis acleos.*

Neque verò hæc, quæ hactenus pro principe erudito dixi, ita accipi à me velim, quasi res, quæ in Principe copulatæ esse debent, sejunctas velim. *Prolepsis.* *Nolo enim principem in literis tractandis navum, cætera ignavum.* Non enim de nihilo est, quod finxere veteres Palladem sapientiæ simul & armorum præsidem esse. Nec inane esse principis illud Symbolum, *Consilio & Virtute*. Volo principem ita percipere, & tractare philosophica, ne à rerũ actione se subtrahat. In sceptro scilicet oculus. Volo eum modo à cognitione atq; altiore mentis contemplatione ad res agendas, modo à rebus agẽdis ad liberalem cognitionem lectionemque traduci, ne mens, manus & actiones ejus illiteratę habeantur. Valeant qui inter hæc divortiũ quærunt, valeant. Nam Philosophorũ Principis Platonis illud,

Tum

Tum demum Respubl. futura est felix, cùm vel reges philosophabuntur ipsi, vel Philosophi regnabunt, quod veluti oraculum crebris quidem nostrorum hominum sermonibus usurpatur, sed minus rectè à vulgo intelligitur, id ego intelligo non de theorica tantùm, sed etiam de actuosa illa & practica philosophia, adeoque minimè omnium inefficaci sapientia illa, cujus caput est sobria vereq; Dei cognitio, quæ vitæ nostræ & Reipubl. Christianæ firmamentum est, ut qui eam tollunt, solem de mundo tollere videantur. Hæc verè regia Philosophia est. Hinc regnum verè Philosophicum dicitur. Sed

Confut. tempus nunc est, ut occurram ἀμούσοις istis, qui facultatem in principe poëticam & scientiam Grammaticam vel parvi faciunt, vel in sermonibus vituperant, & minus suaviter de suavissima ejus Musica loquuntur.

Quid, inquiunt, est Poëtica? canoras nugas & fabularum monstra continet. Fabulis autem, quid inanius, quid minus decorum gravissimæ personæ principis harum tractatione? Quid puerilius, quid abjectius, quid humilius Grammatica? Princeps pro celsitudine sua nihil debet humile cogitare, nihil angustum, nihil inane. Virtus enim ejus quasi in specula quadam excelsa atq; illustri posita est. Excelsa igitur petet ejus animus, ampla, plena dignitatis, ostentationis & gloriæ, quo eum majorum exempla vocant. Nec parum virum in omnibus sese ostendet. Musicam igitur cantoribus minus mollibus & effœminatis relinquet, ne forte ea ut probrum ipsi objiciatur. Scitum etiam istud Stratonici Musici notum est: *aliud est sceptrum, aliud plectrum*. Hic scilicet cùm apud Sicyonios vicisset adversum se cithara certantes consecravit in Æsculapii templo cum hac inscriptione: *Stratonicus à male cithara canentibus*. Is igitur Ptolemæo

rege

rege de Musica cum ipso contentiosius differente ac disceptante, aliud est, inquit, σκώπτειν aliud ψάλλειν, significans non esse regium de Musica cum Musico disputare. Hæc isti calidi reprehensores. Sed parata nobis defensio acutioribus ista oculis aspicientibus. Non profectò vulgaris est poëticæ: sed nobilis disciplina. Habet ea suavitatem plus quàm nectaream, ut altera Musica, qua fit ut nonnunquam legentes divina quasi vi quadam ac numine abrepti altius extollamur. Habet eadem utilitatem & dignitatem minimè aspernandam, quandoquidem in ea delitescunt Philosophiæ arcana, quæ crassioribus sensibus non patent, quæ si mystagogus desit, non nisi lectis ingeniis sunt obvia. Quas igitur narras nobis fabulas? Sacra mysteria ferè sunt, quæ poësis fabularum specie velat. Vitia sunt monstra illa Hydra lernæa, turpes fœdaque Harpyiæ, Sus Erymanthius, quæ poëticis figmentis ingeniosè, sed rectè ostenduntur. Huc accedit, quod non necesse est fabulosis & nugacibus fictionibus orationem numeris ac pedibus astrictam vinctamq; contineri. Sacra enim & profana hinc involucris talibus gravitate & elegantia apertè à multis decantata sunt, quos noster, omni omniũ laude cohonestandus, in Comœdiis & Tragœdiis eruditi leporis, quasi quodam sale perspersis, componendis imitatur feliciter, *Scenicus minime obscænus*. Nolim tamen principem virum hanc ita complecti, atq; ita in ea hærere, ut avelli ab ea nulla prorsus ratione unquam possit, sed à gravissimis curis in amœnissimos Musarum hortos divertere. Num verò humilem etiam artem esse existimatis, Auditores, sine qua magni evadere non potestis, quæ latinæ linguæ fores aperit, & vestibulũ est ad sapientię adyta? Tolle Grammaticam, & barbaries regnabit, dignitasq; omnis

t Philo-

Philosophiæ, splendor omnis obsolescet Eloquentiæ. Hoc cum intelligerent summi olim viri & potentissimi Dynastæ, vel ipsi in Grammaticam omni animi impetu incubuerunt, vel ejus gratia doctissimos viros magnis sumptib. foverunt. Ptolemęus Philadelphus Rex Ægypti Stratonis discipulus omni literarum genere instructissimus, qui Bibliothecam Alexandrinam constructam curavit, rei Grammaticæ peritissimos viros à se conquisitos magnis muneribus affecit. Quid? quod hunc ipsum regem ζητήματα quædam, in Homerum Grammaticè scribere nec puduit nec piguit. Sed eloquentia & πολυγλωττία seu linguarum varietas in principe *nostro*, Grammaticam ejus scientiam augustiorem & illustriorem facit Q. Ennius Poëta tria corda sese habere ajebat, quod Græcè, oscè & latinè loqui sciret. Quanto magis gloriandum & prædicandum, quod noster *Mauritius* Latinam, Græcam, Italicam, Gallicam, Hispanicam, Anglicā linguas partim intelligit, partim usurpat, ut sex corda habere, & Frideric. II. Ænobarbum in eo revixisse merito dixerim, quippe qui Italicè, latinè, germanicè, gallicè, græcè & turcicè ad miraculū usq; doctus fuisse narretur. *Musica*, qui indigna sit principe, cùm ab omnib. philosophis inter ingenua exercitia numeretur, & animus noster cōcentu & harmonia mirificè delectetur, eamq; ob causam Plato animum harmonicè à primo opifice creatum asserere non dubitarit. Musica flexanima est semper ad excitandos vel permulcendo animos adhibita, ad remissionem & relationem animi, quę principibus viris à gravissimis curis maximè debetur, comparata. Et quis reprehendit quod *noster* graviora studia, honesta voluptate aliquando lenire, aut animi, cui varia dissimiliaqu objiciuntur, motus vocum concentu jucundaque modu-

modulatione moderari studet? Nec verum est ab omni cantu levitatem & effœminationem animorum proficisci. Secundus enim tonus, quem Hypodorium dicunt, ut gravibus & modestis argumẽtis accommodatus est: sic gravitatem quandam in animo efficit. Tertius (qui veteribus Phrygius dictus) adhibetur materiis tristibus, lugubribus & querulis. Veteres ad iracundiam plurimum eum valere judicarunt. Ac testatur Franchinus, Cretenses & Lacedæmonas hoc tono usos esse in bellis. Timotheus Musicus eo Alexandrum ad arma capienda promovit. Apud Boëtium Tauromitanus quidam juvenis temulentus hoc modo instigatus est, ut comburere vellet domum, in qua ipsius amica latitabat. Quarti toni (qui Hypophrygius dictus) magnus usus est in precationibus. Scribitur eo Alexander ad sese rediisse, furore militari, quem ex Phrygio conceperat, deposito. Cùm idem tonus succineretur, ad animi moderationem rediit juvenis jam dictus Taurominitanus ante Phrygio tantoperè cõmotus. Sextus ad ciendos leniores affectus aptus est. Utimur eo frequẽter in precibus & similibus rebus, quibus gravitatem aliquam subesse convenit. Octavus gravitatem habet peculiarem. Æolius qui loco nono numerari potest, cum jucunda & dulci suavitate conjunctam etiam habet severitatem.

Nec moveor Stratonicea plectri & sceptri distinctione, cum ea locum tantum in *ἀμύσοις* habeat. Quid enim ii judicẽt de Musica quod asinus de cantu lusciniæ & cuculi: quod Rex Phrygũ Midas, Gordii bubulci filius de cithara & utre. Nam cùm Phœbus & Pan carmine certarent, electus ille judex pro Pane judicium tulit, quamobrem & indignatus Apollo auriculas asininas ei addidit. At *noster Princeps* Musicæ theoricæ, practicæ, poë-

ticæ doctissimus est. Non igitur alienum ab eo de Musicis judicare, & de symphoniàs ratione cum artificibus conferre.

His ergo Musicum *Principis* studium satis defensum est, quod tamen velut πάρεργον ejus est, cum ἔργα ejus sint in sacris, in historicis, in occultiore Physica, re herbaria, metallica, chymica, & quod primum est, in omnium suorũ justa gubernatione. Sed ecce, quid hoc spectri est? Virginem se in mediũ auditorum agmen inferre video. Quàm augusta, quàm illustris Homo, an Dea? O Dea certe. Profectò Historia est fixis in me oculis conversa. Suboleo quid velit. Tacitè me rogat, ut à se repetam veterum principum & Imperatorum studia *nostri Domini* studiis prorsus consentanea. Tempus ferè nihil novi efficit, sed primum quicquam replicat. Ne igitur laudatissimorum & excelsissimorum hominum exemplo *noster* destitui videatur, age Divæ huic morem geramus.

Prosopopœja historiæ.

Videor mihi in *Mauritio* P. videre imaginem Ælii Hadriani vel M. Antonii Imperatorum Romanorum expressissimum, Quid ita? Marcus Antoninus ob Philosophicę eruditionis Philosophus cognominatus est. Fuit idem Orator egregius, & filio suo in Imperio successori Institutionis Imperialis librum à se compositum reliquit, qui omnis generis exemplorum & disciplinæ plenus fuisse scribitur.

Ælius Hadrianus cognitione linguarum & liberalium artium non leviter tinctus, sed penitus imbutus fuit. In carminibus facilis, ut cum Poetis ex tempore quoque certaret. Ab horum compositione,

Quanquam in mediis jam morte teneretur
Non tamen abstinuit.

Morientis enim hi jambici circumferuntur:

Ani-

Animula vagula, blandula
Hospes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula.
Nec ut soles dabis jocos.

Scribunt quidam tam studiosum fuisse poeseos, ut nonnunquam ei criminis loco objiceretur tam impense græcarum literarum amantem fuisse, ut Græculus appellaretur. Item Arithmeticæ & Geometriæ fuit peritissimus, pinxit egregiè, Musicen excellenter calluit. Neq; verò etsi imperii occupationibus distineretur, judex sederet & causas attentè audiret ipse, nunquam earum disciplinarum studium intermisit, dum simul scriberet, dictaret, audiret & loqueretur. Quid dicam de Cajo illo Julio Cæsare primo Imperii Romani Monarcha, jam ante à me laudato; qui vel in summo bellorũ civiliũ ardore duos de Analogia libros Grammaticos ad aureum illud Eloquentię flumen M. Tullium confecisse perhibetur. Idem Herculis quoq; laudes & tragœdiam Oedipum scripsisse legitur.

Quid dicam de Cęsare Augusto? qui studia literarum ab ætate prima cupidissimè & laboriosissimè exercuit, Mutinensi bello in tanta mole rerum & lectioni operam dedit & scripsit & declamavit. Epigrammatum librum & Epistolarum ad amicos facetissimè gravitate & luculentissima brevitate conditum composuit, dissimilis in eo *nostro Principi* quòd fescenninos (à quibus hic abhorret ut purus, castus & sobrius Poeta) versus scripsit in Pollionem, de quibus interrogatus Pollio, cur non responderet: *Non facile est*, inquit, *in eum scribere, qui possit proscribere.*

Quàm præclarus Poeta & Orator fuit ac Musicus egregius Aurelius ille Alexander, Severus virtute ad imperii culmen vel in primo ætatis flore

ticæ doctiſſimus eſt. Non igitur alienum ab eo de Muſicis judicare, & de ſymphoniâs ratione cum artificibus conferre.

His ergo Muſicum *Principis* ſtudium ſatis defenſum eſt, quod tamen velut πάρεργον ejus eſt, cum ἔργα ejus ſint in ſacris, in hiſtoricis, in occultiore Phyſica, re herbaria, metallica, chymica, & quod primum eſt, in omnium ſuorũ juſta gubernatione. Sed ecce, quid hoc ſpectri eſt? Virginem ſe in mediũ auditorum agmen inferre video. Quàm auguſta, quàm illuſtris Homo, an Dea? O Dea certe. Profectò Hiſtoria eſt fixis in me oculis converſa. Suboleo quid velit. Tacitè me rogat, ut à ſe repetam veterum principum & Imperatorum ſtudia *noſtri Domini* ſtudiis prorſus conſentanea. Tempus ferè nihil novi efficit, ſed primum quicquam replicat. Ne igitur laudatiſſimorum & excelſiſſimorum hominum exemplo *noſter* deſtitui videatur, age Divæ huic morem geramus.

Proſopopœja hiſtoria.

Videor mihi in *Mauritio* P. videre imaginem Ælii Hadriani vel M. Antonii Imperatorum Romanorum expreſſiſſimum. Quid ita? Marcus Antoninus ob Philoſophicę eruditionis Philoſophus cognominatus eſt. Fuit idem Orator egregius, & filio ſuo in Imperio ſucceſſori Inſtitutionis Imperialis librum à ſe compoſitum reliquit, qui omnis generis exemplorum & diſciplinæ plenus fuiſſe ſcribitur.

Ælius Hadrianus cognitione linguarum & liberalium artium non leviter tinctus, ſed penitus imbutus fuit. In carminibus facilis, ut cum Poetis ex tempore quoque certaret. Ab horum compoſitione,

Quanquam in media jam morte tenetur
Non tamen abſtinuit.

Morientis enim hi jambici circumferuntur:

Ani-

Animula vagula, blandula
Hospes, comesq; corporis,
Quæ nunc abibis in loca,
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos.

Scribunt quidam tam studiosum fuisse poeseos, ut nonnunquam ei criminis loco objiceretur tam impense græcarum literarum amantem fuisse, ut Græculus appellaretur. Item Arithmeticæ & Geometriæ fuit peritissimus, pinxit egregiè, Musicen excellenter calluit. Neq; verò etsi imperii occupationibus distineretur, judex sederet & causas attentè audiret ipse, nunquam earum disciplinarum studium intermisit, dum simul scriberet, dictaret, audiret & loqueretur. Quid dicam de Cajo illo Julio Cæsare primo Imperii Romani Monarcha, jam ante à me laudato, qui vel in summo bellorũ civiliũ ardore duos de Analogia libros Grammaticos ad aureum illud Eloquentię flumen M. Tullium confecisse perhibetur. Idem Herculis quoq; laudes & tragœdiam Oedipum scripsisse legitur.

Quid dicam de Cęsare Augusto? qui studia literarum ab ætate prima cupidissimè & laboriosissimè exercuit, Mutinensi bello in tanta mole rerum & lectioni operam dedit & scripsit & declamavit. Epigrammatum librum & Epistolarum ad amicos facetissimè gravitate & luculentissima brevitate conditum composuit, dissimilis in eo *nostro Principi* quòd fescenninos (à quibus hic abhorret ut purus, castus & sobrius Poeta) versus scripsit in Pollionem, de quibus interrogatus Pollio, cur non responderet: *Non facile est*, inquit, *in eum scribere, qui possit proscribere.*

Quàm præclarus Poeta & Orator fuit ac Musicus egregius Aurelius ille Alexander, Severus virtute ad imperii culmen vel in primo ætatis flore

evectus? Qui & Virgilium assiduè legebat: eumq; Poetarum Platonem appellabat,&bonorum principum vitas versibus descripsit, omninoq; suo exemplo ostendit, non minus splendoris ex eruditione,quam potentiæ ex militari disciplina in Imperatores redundare.

Huic adjungo Imperatorem Galienum prosa & carmine illis temporibus clarum, qui cùm fratrum suorum filios matrimonio jungeret,omnésque poetæ Epithalamia per plurimos dies cecinissent, ita sponsorum & sponsarum manus tenens cecinit:

Ite,ait,*ô pueri pariter sudate medullis*
Omnibus,inter vos,non murmura vestra columba,
Brachia non hedera non vincant oscula concha:

Quod metrum inter centum poetarum carmina præcipuum habitum fuisse scribitur.

Julianum Imperatorem ingenio literatura mirabili præditum,Oratorem insignem,sed quis mihi hic aurem vellicat,quis?profectò *Religio*. Hunc igitur ut crudelissimum Christianorum hostem ad inferos amandatum mitto. Mitto Claudium Neronem in poetica ambitiosè versatum,& in theatro carmina recitantem tanta omnium lætitia,ut ob recitationem supplicatio decreta & pars carminum aureis literis Jovi Capitolino dicata sit. Prætereo Tiberium Cæsarem Augusti privignum, Germanicum Cæsarem Drusi filium, Ovidii tuba poetica celebratum, quorum uterque græca Epigrammata, hic verò præterea græcas Comœdias contexuit. Transeo Antoninũ Caracallam Imperatorẽ, qui magnam partẽ diei philosophabatur.

Venio ad Carolum Magnum verè magnum. Is & peregrinis linguis fuit eruditus, & Grammaticen patrio sermone incoavit, & carmina, quibus veterum Regum bella ac res gestæ canebantur, scripsit.

scripsit, mensibus anni nostra lingua nomina imposuit, ventos 12. propriis nominibus insignivit, cum antea 4. tantum venti nominarentur: Tetrastichon ejus hoc est de morte fortis Rolandi:

Tu patriam repetis, tristis nos orbe relinquis:
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies.
Tu qui lustra geris jam binos octo per annos
Ereptus terris justus ad astra redis.

In scholam Pragensem antiquissimam aliquando ingressus cum disputantes artium liberalium Magistros in horas 4. audisset, idq; aulici moleste ferentes, præsertim purpurati illi, quorum corpus non animus in sagina est, cœnæ tempus adesse dicerent. *Mihi vero*, inquit, *tempus minime est: Hac enim mea cæna est.* prætulit Imperator potentissimus animi Pabulum philosophicas disputationes conviviis delicatissimis. Similiter profecto *noster* animatus est, ut utrum alteri præferam ignorem. Vidi ipse conferendi studii flagrantem rei jucunditate captum detentumque, refectionis corporis pene oblitum, disputationem institutam ultra tẽpus & horam prandii extrahere, cujus jam dudum præteritæ si admonitus fuisset, sine dubio dixisset, hic mihi pastus est. *O ævi princeps gloria rara tui.*

Non enim possum quin exclamem, qui sciam eum si propius nos esset, nõnunquam ad exercitationes Scholasticas venturum, sicut Alphonsus Arragonum Rex prælectionibus professorum sæpissime interfuit, ac pedes quidem ad eas ventitare non dubitavit studiorum flagrantissimus. Dicere enim solebat se malle privatum vivere, q̃ eruditione carere. Eant nunc, qui nobis adversi sunt, & dicant potentiam & dignitatem summã ad literarũ contemtum potius rapere debere principem, vel a persona principis philosophica studia paulo alieniora esse, nostri ordinis hominibus viris ea committenda.

media pars in privato atque eodem magis otioso homine si inveniretur, id etiam amplissimum videri posset. Meritò enim ad eum accommodo hoc, quod Fulgosus Adriano Imperatori tribuit. Exstimulet etiam te ad pulcerrima nostra studia exemplum horum novendecim candidatorum, qui in pulvere Scholastico, & Philosophorum ymbraculis ita vixerunt, in assequenda honestarum artium scientia operam & industriam suam sic collocarunt, ut nunc *hoc agatur.* Itaq; tempus est ad eos, ut oratio mea sese convertat.

Apostrophe ad Candidatos.

Ingressi sumus, optimi Candidati, propter vos augustissimum & religiosissimũ justitiæ templũ, Justitiæ, inquam, quæ benefactis honores & præmia, malefactis ignominiam & pœnas proponit, ut & studia bonorum excitentur, & malorum improbitas coerceatur.

Cùm igitur hîc vestra res agatur, cùm vos fructus præmiaque virtutis & eruditionis vestræ modestè petatis, agite, singuli quantum conniti atque efficere potestis, tantum conferte huc ex copiis & opibus vestris ad vos huic auditorio probandos, hoc est, specimen quoddam edite, unde apparere liquidoque constare possit, vos esse eos, quos & justitia ornari præcipiat, & honore dignos esse, ne quidem ipsa neget invidia.

Macti ergo este animo & virtute juvenes, ac ut dux gregis ipse caper præit, sic tu Joannes Scrodere Nicopiensis Suecę primus quæstionẽ aliquam Philosophicam orationis flore convestitam edissere. *Floridam enim ætatem floridum orationis genus minimè dedecet.*

ORATIO DE ARTIUM LIBERAlium majestate, memoriter recitata in publ. Prom.

EST hoc in more positum institutoque nobilissimæ hujus Academiæ, magnifice Domine Rector, amplissime Procancellarie, spectabilis philosophicæ facultatis Decane, clarissime Promotor, Reverendi, consultissimi, peritissimi viri, vosque nobilissimi & ornatissimi studiosi, ut ii, qui honores ante oculos positos consequi velint, in amplissimo hoc consessu eruditionis suæ virtutisque specimen edant, quo se dignos esse tantis honoribus ostendât, quo se in Philosophici curriculi stadio strenuè desudasse omnibus persuadeant. Quo quidem in genere ita versantur, ut alii physicorum pulcerrimas divitias, alii Ethicorum suavissimas delicias magnificè ostentent. Pleríque hoc perficiunt, ut ex præclarissimis & præstantissimis Mathematicorum patrimoniis, quid caussæ suæ consentaneum esse possit, non sine summa audientium voluptate desumant. Ego verò etsi præclaras horum voluntates vituperare non possum; possum tamen amplissimæ vestræ virtuti ingeniique mei mediocritatem ejusmodi argumento ante oculos collocare, quo & illorum in dispersis artium dignitatibus colligendis imiter prudentiam, & meam quoque comprobem industriam. Quare dabitis hanc veniam, ut singulari vestra humanitate confisus, problema hoc: *Quid artes liberales & ingenua ad superiora facultatũ studia conferant?* Problema, inquam, omni reverentia complectendum, in medium proponam. Adhibebitur autem à me certa ratio moderatioque dicẽdi, ut quid de tam intricato negotio sentiam, liberè indicem; ut temporis etiam angustias, in quas conjectus sum, studiosè observem.

Gravis

Gravis profectò & ardua quæstio,multorum invidiæ calumniisq; objecta. Non audeo dicere,dicendum tamen est,& quia cõtentionis nostræ veritas in eo potissimùm consistit, à nobis omni diligentia pertractandum.Vis igitur magnus Theologus haberi? Artium liberalium campos prius perlustrato. Vis major Jure consultus celebrari? Artium ingenuarum flores prius delibato,Vis deniq; Medicus omni laude cumulatus judicari? Artium magnarum delicias prius cognoscito.Gravis ut dixi,res est, quam nisi certissimis argumentis demonstravero,nisi verissimis rationum momentis confirmavero,erunt fortassè nonnulli,qui me rem tanto hominum præclarissimorum conventu indignam suscepisse judicabunt. Quapropter ut tota res facilius æstimetur,artes ipsas in palæstrā hanc vocabo,deinde ad auctoritatem vestram,judicium vestrum,clarissima hujus Academiæ lumina,& ornamenta,judicium,inquam,vestrum provocabo. Quod cum facio,quæso, diligenter attēdite. Accedite itaq; huc artes omnes, magnificas vestras opes, præclarissimis his viris, nobilissimo huic cœtui,ante oculos ponite,quid ad insequentiū facultatum studia rectè cognoscenda & percipienda cõferatis,omnibus modis contendite. Accedite,inquam,Grammatica, Rhetorica, Logica, Arithmetica,Geometria, Optica, Musica, Astronomia, Geographia, Mechanica, Physica, Ethica,Politica,accedite in hunc amplissimū consessū pariter omnes. Quid igitur artes nobilissimæ? Quantas & quales numē vestrū verecūdè invocātibus communicatis opes? Quātis bonis cultores vestros cumulatis & exornatis? Tāta est liberalitas nostra,ut nihil sit in fontib⁹ nostris amœnissimis,cujus nõ ubertate &copia animos liberales & ingenuos suaviter perfundamus. Ergo in primis

Gram-

Grammatica sermonis puri facultatem immensam omnium nationum &gentium hominibus liberalissimè communico. Puri, inquam, sermonis gloriam mirificamq; laudem Theologis, Jurecōsultis, Medicis, promtissimè humanissimeq; impertio, cujus beneficio recondita facultatū suarū mysteria in publicam lucem publicumq; conspectum summa cum nominis gloria, &infinita mortalium felicitate proferunt & depromunt. Quid verò vultis ut ego *Rhetorica* quantis floream dignitatibus, quantis polleam emolumētis, magnificè commemorem? Quid, per Deum immortalē, præstabilius esse videtur, quàm posse hominum cœtus dicendo tenere, mentes allicere, voluntatē impellere quo velis, & unde velis deducere? Quid tam admirabile, quàm rem propositā ornatè pronuntiare, troporum luminibus variare, insignibus figurarum exornare? Quid tam jucundum cognitu atq; auditu, quàm modulatione vocis permulcere, dignitate gestus excitare? Quid potest esse in otio aut jucundius, aut magis humanitatis proprium, quàm sermo facetus ac nulla in re rudis? Quid potest præclaris his dotibus esse illustrius, quid ornatius? Ac ne speciem ac pōpam mearum virtutum potius inanem, quàm operis & veritatis effigiem aliquam exhibere videar, ponite vobis ante oculos Demosthenem, Hortensium, Crassū, Ciceronem, totaq; mente perpendite, quæ efficere potuerit, ut superiorū ætatū homines certo sibi persuaserint, Jovem si Græcè vel Latinè loqui vellet, non alio sermone, quàm tantorum hominum usurum; attendite, quæso, diligenter, tamq; stupēda naturę miracula ante oculos vestros collocate, nonne tandem reperietis sorores meas nobilissimas universam suæ sapientiæ vim in illos effudisse? Nonne deprehendetis omnes illos meo præ-
sertim

ſertim beneficio tanti nominis famã conſequutos eſſe? Quamobrem videte, clariſſimi viri, num quis rectè ad ſuperiora facultatum ſtudia contenderit, ſine tot ac tantis meis divitiis quibus inſtructus, facultati ſuę maximũ ſolatiũ, maximum cõmodũ, maxima emolumenta comparabit. Sed ne reliquis ſororibus in infinitis meis laudibus enumerãdis aliquid detrahere videar, *Logicam* ipſam adducã, ut & illa pari contentione, ſi non majore laudes ſuas ampliſſimas, vobis grata mente exhibeat. Dic ergo jucundiſſima ſoror; Quæ ſunt tuæ virtutes? Quæ poſſeſſiones? Me *Logicam* homines nobiliſſimi vocant, quòd ſola rationis mentisq; munera promtiſſimè expediam, quòd particulã illam divinæ mentis hominibus inſitam & ingeneratam, vivifico quodam calore recreem, quòd deniq; lumine meo omnium rerum magnarũ campos vehemẽter colluſtrem. Quis quæſo, Poëtas rectè legere, Hiſtorias cognoſcere, bonarum artium Scriptores pervolutare, exercitationis gratia laudare, corrigere, vituperare, refellere, in contrarias partes diſputare, omnibus omnium ſcriptionũ, meditationum, modis amplificare, quis, inquã, hæc omnia ſumma cũ laude præſtare poterit, niſi Logicarum artium eruditionem & ſcientiã erit conſequutus? Atque ut quod ſentio, de me ipſa dicam, nihil aliis in artibus altius aut ſublimius adhuc videre potui, quo velit aut poſſit cupiditate ſciẽtiæ inflammatus animus conſcendere. Si quid in artium Theorematis ſubducendis, legitimoq; ordine collocandis: Si quid adverſus Sophiſtas artiumq; liberalium & ſanæ Philoſophiæ contemtores, Homines doctiſſimi acutè celeriterq; viderũt meum beneficiũ fuit: Si quid Theologi, Jure-conſulti, Medici in facultatum ſuarũ Decretis legitima methodo colligendis hominibus profuerunt,
meum

meum beneficiũ fuit: Si quã illi ipsi acuminis ingeniiq; gloriã apud homines consequuti sunt, Logici luminis gratia & commentatione cõsequuti sunt. Quid multa? Si disciplinæ & artes casu aliquo ignis exustæ & distinctæ essent omnes, quis, quæso artes illas excitaret? Ad numẽ & majestatẽ meam homines undiq; cõfluerent, supplices & verecũdi orarent obtestarẽturq;, ne in inveniendo solertiam & in judicando constantiã denegare vellẽ. Ergo qui ad superiora facultatũ studia contendũt, in artis meæ diligentiã & scientiã primũ incumbant, tempore sibi majore ad meas delitias perdiscendum, quàm ad Grammatica & Rhetorica illa ornamẽta percipiendũ, opus esse, penitus persuadeant. Hæ sunt opes, clarissimi viri, hæ sunt divitiæ, quas *Grammatica, Rhetorica, Logica*, cultoribus suis largiuntur & cõmunicant. Neminem jam ex iis, qui ad facultates aspirant, reperiri credo, qui inspectis tot virtutibus, non arbitretur artes liberales sibi omni studio colendas, expetendas, omnibusq; modis addiscẽdas esse. Sinite igitur me in *Mathematicorum* campos exspatiari, eorumque possessiones ab interitu pene vindicare. Sed hic Aristippum quendã Mathemata calumniantẽ, mihiq; contradicentẽ audire videor. Quid, inquiet? Túne artes Mathematicas futuro Theologo, futuro Jureconsulto, futuro medico utiles esse existimabis? Túne huc erumpes, ut cùm juventus artes Mathematicas despiciat, contemnat, cũ nemo ferè sit, qui mathematicis rebus delectetur & capiatur: Túne inquiet, statues mathematicas artes summè esse necessarias? Quid audio amplissimi auditores? O homo humanitatis expers! Nihilne te amplissimus hic conventus commovet? Nihilne horum ora vultusque movere possunt? Audet hic Aristippus præclara mathematicorum

eorum patrimonia calumniari,eo quod juventus patriæ ritum & consuetudinem sequuta, artes illas negligat, contemnat,despiciat; pestifera hæc opinio per animos hominum non ita pridem pervasit:mathematicas artes plane esse inutiles penitus persuasit. Ergo ista exitialis persuasio ex animis hominũ nobis evellenda est, si mathematicas disciplinas inertiæ crimine liberare volumus. Mathematicæ artes inquis,sunt inutiles,nihil vel parum ad insignes facultatũ virtutes consequendas & adipiscendas conferre possunt. Quam ob rem, inquam,aut quam tuæ tam insolentis assertionis edis rationẽ? Quia mathematica studia ab omnibus penè hominibus,prætereuntur, negliguntur. O fatuam & ridiculam argumentationem! Quid verò Aristippe dices,si constanti judicio certisque argumentis evicero, neq; Theologorum pulcerrimas epulas, neq; jureconsultorum magnificas delitias, neq; medicorũ præstantissimas divitias sine mathematicis artibus intelligi posse? Nonne tandem desines his studiis insidiari? Nonne desines mathematum possessionibus interitum & exitium machinari? consideremus divinam illam Salomonis Theologiam *Sap* 11.ubi legitur.Deum omnia creasse in numero,mẽsura,& pondere. Quis quæso,nisi mathematicis artib.leviter saltem tinctus fuerit, hæc intelliget? quid enim aliud divinus ille vir indicare voluit,quàm Deum creasse omnia ad regulam Arithmeticam, Geometricam, Isorrhopicã.Verum enimverò si tantus tamq; cœlestis vir matheseos majestatem tibi persuadere nõ potest,attende & animadverte,quid omnium rerũ conditor ad Jobum hominẽ verè beatũ voce cœlesti *ca.*38.loquatur,ut intelligas te supplicio & odio omniũ hominũ dignũ,qui tam nequiter,tãque impudenter mathematicas opes contemnas,

ut eas

ut eas vanitatis inutilitatisq; coarguere desinas. Oracula,inquã,illa stupenda præpotentis Dei cõsideremus:Oracula autem suntGeometrica de fabrica mundi terræq; basibus & situ : Oracula sunt mechanica,de vectibus, Oracula sunt optica, de loco lucis & tenebrarum ; Oracula Astronomica de Plejadibus, Orione, Arcturo, Boote, de cœli imperio in terras,ac dominatu? Oracula denique Geographica, de terræ mensura & latitudine. O beatos Theologiæ studiosos & perpetuo florẽtes, si tam præclara ipsius Jehovæ mysteria intelligãt? Intelligẽt autẽ,si cum reliquarũ artiũ studiis mathemata conjunxerint. Quid igitur auditores, aliud nobis dicendũ relinquitur,quàm Aristippum hunc turpi mendacio deceptum esse, quàm artes Mathematicas futuro Theologo valdè esse necessarias,quàm rerum Theologicarum gravitatẽ & majestatem sine mathematis expediri non posse.Sed calumniator,auditores,fatetur, tot convictus argumentis, imò verò profitetur studia hæc Theologis esse salutaria, Jureconsultis autem videri inutilia. Verum scilicet est. Adeamus igitur præclara illorũ monumẽta,consideremusq; an tã gravis adversaria,quę nobis opponitur nullis possit machinis everti,nullis argumentis labefactari. Intueamur *l. 13. ff.* de liberis & posthumis, cujus hæc sunt clarissima verba: *si ita scriptum sit,si filius mihi natus fuerit ex besse heres esto,ex reliqua parte Vxor mea heres esto:si Vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres esto,ex reliqua parte Vxor heres esto:& filius & filia nati essent;Dicendum assem distribuẽdum esse in septem partes:ut ex his filius quatuor, uxor duas,filia unam partem habeat,ita enim secundũ Voluntatẽ testantis filius altero tãto amplius habebit, quàm uxor &c.* Hæc sunt legis illius verba. At Deus æterne,quid tam oportunum, tam commodum

modum ad Arithmetices necessitatem inducendam vel demonstrandam fingi vel excogitari potuit? Hujus ænigmatis solutione si torqueatur Jure-consultus, cujus, quæso, numen invocabit, ut de vero testamenti sensu quærentibus & consulētib⁹ cumulatè satisfacere possit? Numen, inquã, Arithmeticũ salutariter appellabit. Quare desine sanctissimũ juris volumẽ sine mathematicis oculis aspicere, desine mathematicas opes tã vehemẽter prostratas & afflictas calumniari. Sed Theologos, Jure-cõsultos relinquamus, ad Medicos ipsos deveniamus. Hic si certis Aristippis Mathematum cognitionẽ futuro medico minus necessariã existimãtibus, his, inquã, si Hippocratis & Galeni auctoritatẽ opposuero, an non satis respõsione perfunctus videbor? sic opinor. Quid igitur? Quo studio, qua reverẽtia artes mathematicas prosequitur Hippocrates? Tanta mehercle, ut filio suo Thessalo Arithmeticã & Geometriã non solùm ad vitæ splendorem, verũ etiã ad medicinæ usum studiosè perdiscendas esse contendat, ut eidẽ tantorum bonorum scientiam excellentem atq; præstantem ex animo precetur & optet. Arithmeticã quidem ad morborum intensiones, remissiones, periodos, mutationes, judicia: Geometriam verò ad ossium situm, ordinem, luxationem, repositionem, contritorum refectionem, compositionem, exemtionem, affectionem denique omnem atque curationem. Quid Galenus alter ille medicorum parens? Eadem profectò quæ Hippocrates præcipit. O præstantissimos & præclarissimos medicos, de quibus, si mihi judiciũ ferre liceret, eos non solùm summis laudibus ornarem, sed cœlesti quadam gloria dignos judicarem. Quapropter per Deum immortalem, qui ad sacros Hippocratis & Galeni fontes contenditis, cogitate, vos

u Thes-

Thessalos illos esse; quibus tã præclara patrimonia mathematicis oculis aspicienda sint relicta cogitate, quanto studio nobilissimi illi homines Arithmeticam, Geometriam, Astronomiam, perdidicerint, quantoq; ardore à posteris suis perdiscendas & cognoscendas esse cõtenderint Sentio vos, auditores, tam jucunda tamque suavi rerum mathematicarum recordatione esse commotos. Quid si ipsas Musas loquentes audiretis? Quid si infinitam illarum artium vim oratione mea cõprehendere vellem? Quantos amores? Quantas admirationes excitarent sui? Verùm me longiorem esset temporis ratio non finit, non patitur, nõ permittit. Ergo relictæ nobis sunt Physicæ, Ethicę & Politicæ disciplinæ, quarum egregias virtutes libẽter prætermittimus, cùm nemo ferè sit in hac amplissimorum hominum corona, qui nesciat, superiora facultatum studia harum artium inopiam & necessitatem præceptionibus suis requirere & desiderare, imò verò utraq; quasi manu postulare & efflagitare. Convertamus igitur orationem nostrã ad clarissimos hujus Academiæ Professores, Doctores & Magistros, ut eorum auctoritate, judicio tanti problematis veritatem muniamus, ut in quorum laudis honorẽ tam insigne problema suscepimus, in eorum quoq; auctoritatis umbra tutiores & constantiores acquiescamus. Contendimus hactenus, neminem in superiorum facultatũ studiis feliciter beateq; versari posse, qui contemtis artium studiis, in illustres facultatum possessiones invaderet, qui omne vitæ tempus facultatum studiis, nullum autem vel exigium artiũ liberalium studiis transmittendum esse cogitaret. Ergo jam tot difficultatibus erepti, tot scopulos prætervecti, in portum tandem salvi & incolumes perducimur. In portum, inquam, vestrum, ad quẽ

cum

cum multi in maximis suis periculis appulissent, mirificè recreati & conservati sunt. Ad vos igitur primum, Magnifice Domine Rector, & amplissime Procancellarie, oculos meos, mentem denique totam converto, ad vos, qui me de artium liberaliũ majestate differentem auctoritate vestra mirificè sublevare potestis. Si quis à vobis humaniter quæreret, an artes ingenuæ ad amplissimos vestrarũ professionum terminos exornandũ & illustrandum aliquid conferant, responderetis, opinor, infinitam esse illarum artium vim, responderetis, neminem vel in historiis, vel in vastissimo illo juris pelago & augustissimo feliciter versari posse, sine tot tantisque virtutibus. Quare Magnifici viri; perficite quæso, ne ego, qui non quęrendo sed obnoxiè rogando hoc a vobis impetrare gestio, ne, inquam, ego, opem vestrã, auxiliũ vestrũ frustra implorasse videar. Quod si votis méis annueritis, reliqui deinde hujus Academiæ professores ad tanti problematis veritatẽ defendendã & approbandam sine molestia quadam adducentur & invitabuntur. Sed quia non dubito, quin oculĩ isti vestri tam ardentes, quin vultus ille vester tam jucundus tamq; hilaris, orationi meæ fidem sit facturũs, averto me à vobis ad philosphicę facultatis Decanum virũ humanissimum, qui mihi propter ordinis philosophici reverentiam & dignitatem, proximo loco est invitandus, & ut spero, salutariter appellandus. Quamvis vir spectabilis Græcarũ literarum sis in hac Academia Professor celeberrimus, nõ tamen existimo de artibus liberalibus, quarũ usum in prælectionibus tuis urges vehementissimè, te salutarem dexteram denegaturũ, sed omnibus modis propugnaturum. Quod hoc etiam impensius & libentius facere debes, cùm ipse sis philosophiæ artiumque liberalium

Doctor eximius, cùm artium ingenuarum scientiam longo tibi usu comparaveris, multis laboribus & vigiliis acquisiveris. Sed quid te pluribus appello? Te, te, potiùs Rodolphe Gocleni, Promotor nobilissime, te appello, ut logicas artes, quas multum ad facultates ipsas conferre contendi, prudentia dixteritateque tua egregiè tuearis ac defendas. Logicæ artes liberalitatem tuam quotidiè experiuntur, imò verò propter nominis tui celebritatem ab omnibus penè hominib. amantur & coluntur. Quid dico logicas artes munificentiam & bonitatē tuam experiri, cùm & Mathematicæ & Opticæ Musæ per te, ut alterū Professorem Matheseos propagentur, cùm deniq; à te monumentis literarum publicis omnes ferè Philosophiæ partes illustrentur. Cùm igitur philosophicæ artes tantoperè tibi sint obligatæ, universa Hassorum juventus felicem & fortunatum longioris vitæ cursum ex animo tibi deprecatur & optat. Imò verò ultimi Septentrionis populi omnium populorū antiquissimi, *Sueci, Gothi, Scrickfinni, Bothni, Helsingi*, ad quos monumenta tua pervenerunt, hoc ipsum deprecantur & optant. Sed vos philosophicæ facultatis professores paulisper relinquo, & ad Theologos sanctos illos & divinos homines lætus devenio. Vos ego qui Mosis, Prophetarum, Apostolorum ac reliquorū Evangelii verorū germanorumq; nuntiorū, & quidem omnibus penè linguis loquentiū monumēta, explicatis, Vos, inquam, ego singulos & universos, ad tam grave, sed tamen laudabile judicium humanissimè invito. Et profectò, si severitas vestra satis mihi cognita est, neminem ad sacros illos fontes admittitis, nisi qui animū suū in philosophicis studiis excoluerit, judicium & acumen quoddam philosophicum sibi comparaverit. Atque

que ut de virtutibus vestris paucis dicam, Sic te *Winckelmanne* Theologe profundissime philosophicis studiis deditum esse testatur publicæ tuæ cū promotore nostro collationes,ut nulla sit philosophiæ pars,quam non acumine tuo perlustrasse,cujus non delicias universas degustasse videaris.Tu *Moltbere*,quantus & qualis sis Theologus, quid vis,referam? Quamvis, inquam, Hebraicarum literarum divitias hauseris universas, quamvis Theologorum epulas perceperis suavissimas, nunquam tamē philosophica studia deseruisti vel ingratus contemsisti.Adjungo vobis *Baltazarum Mentzerum* professionis vestræ virū doctissimū. Perge miMentzere ista tua in rebus philosophicis divina & cœlesti virtute frui, perge oppressas res Theologicas liberare periculis, supplicibus salutarem porrigere dexteram.Gratulor itaque vobis ô philosophicæ Musæ tam vehementer afflictis & debilitatis, quod Theologos, id est, præpotentis Dei oracula profitentes, patronos & defensores habeatis amplissimos. Ingredior deinde venerandum jureconsultorum ordinem, in quo, bone Deus, quot & quanta conspicio lumina & ornamenta? Videor hic mihi videre Crassos,Tullios,Sulpitios, Scævolas, Mutios, quos vetus & florens Romanorum respublica ad summas dignitates evexit,mirificeque extulit. Multis à vobis *Hermanne Vultei*, *Philippe Matthae*, *Joannes Gœddæe*, viri consultissimi, contenderem percibus,ut afflictæ meę caussæ in subsidium veniretis, nisi petitionem meam magnifici Domini Vulteii verba in præfatione Jurisprudentiæ Romanæ posita,jam dudum antevertissent. *Sine quibus*,inquit Dominus Vultejus Jureconsultorum decus, *Jus cōmode disci nequit*, omnes sunt philosophiæ partes,cum primis autem Ethica,quæ juris quædam

principia proponit,tum verò potiſſimùm Logica Magnifica profectò vox & valde vera. Imo verò profiteor illam tam veritati eſſe conſentaneã, ut ne quidem §. *final. l. ita vulneratos* 51.*ff. ad leg. aquil.* quo quidam imperitè abutuntur ad logices neceſſitatem in juris ſtudio diminuendam, ut inquam paragraphus iſte, ne tantillum quidem logices ſplendorem in rebus juridicis obſcurare valeat. Rogo itaque vos, magnifici viri, per veſtram philoſophiam, id eſt, per jurisprudentiam veſtrã, ne epulas veſtras impuris & incultis hominibus, ſed artium liberalium deliciis mirificè inſtructis & exornatis liberaliter communicetis. Medicæ verò facultatis profeſſores problema hoc noſtrũ approbare, cui dubium eſſe poterit? Cùm præſertim ipſi in his ſtudiis exercendis tot annorum operam, induſtriam, vitam denique conſumſerint, cumque facultas illa medica philoſophicis plane fundamentis inſiſtat & innitatur. Quapropter vos medici præſtantiſſimi oro & obteſtor, ne opes à Galeno & Hippocrate relictas iis tradatis, qui artium magnarum campos non perluſtrarunt, qui philoſophorum præclaris monumentis non tota mente, atque adeo cogitatione invigilarunt. Revertor jam ad ordinis Philoſophi viros clariſſimos. Te igitur *Petre Nigidi*, ſenex venerande, te verecundus intueor & aſpicio. Doctor es juris utriuſq; egregius. At præclara illa Jureconſultorum. patrimonia nunquàm efficere potuerunt, ut philoſophica ſtudia vel negligeres vel contemneres: Imo vero acumine tuo philoſophico hoc perfeciſti, ut jam nominetis Ethicarũ artium profeſſor celeberrimus Hanc verò *Petre Nigidi* præclaris tuis virtutibus acceſſionem feceris mirificam, ſi noſtræ etiam ſententiæ te patronũ præbueris acerrimũ, ſi Ethica decreta, quæ tot

anno-

annorum decurſu tradidiſti, magnaque ſolertia obſervaſti, ſi illa vaſtiſſimo terrarum orbi cõmunicaveris Nec ubi tu *Hermanne Nigidi* ſpem conſiliorum noſtrorum fallere potes. Profeſſionis enim tuæ fructus hic eſſe conſpicitur; ut conjunctus ſermonis uſus doceatur, ut damnatis omnibus ſolœciſmis & barbariſmis purus & nitidus ſermo revocetur, ut pro ſpinoſo & jejuno ſophiſmate, juventus ſuavem & ornatam orationẽ referre doceatur, ut deniq; animus diſcentium his veluti oblectamẽtis ad ſuperiora facultatum ſtugia illiciatur & incendatur. Macte ergo vir præſtantiſſime, in hanc curam alacrius incumbe, magnos quotidie oratores effice: mihi crede, nominis tui gloriam omnium gentium linguæ prædicabunt & celebrabũr. Relictus eſt nobis alter hujus Academiæ Mathematicus *Joannes Hartmanni*, quem quamvis abſentem, honorificentiſſimè tamen appello, ne mathematicas Muſas tã fœda tamq; funeſta calumnia traduci velit, quaſi cum inſequentium facultatum ſtudiis nullo communi vinculo copulentur & devinciantur. De te, Joannes Hartmanni, & Rodolpho Goclenio, quia ambo Mathematici eſtis, verè dicere poſſum:

Fortunati ambo ſi quid mea carmina poſſunt:
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Eadem deinde appellatione mihi eſt appellandus Dominus *Mulnerus* præclarũ medicorum & Phyſicorum ornamentum, Cui profecto ſempiterna cujusdam gloriæ ſeges propoſita erit, ſi eo pede, quo cœpit phyſicas Muſas non ſolum excitare, ſed proſtratis glorioſam & ſalutarem dexteram porrigere voluerit. Ad te tandem venio nobiliſsime Domine *Kirchnere*, quem propter animum verè poeticum & politicum, acumen incomparabile, judicium omnium gentium linguis

prædicabile, multa hominum millia suspiciunt & venerantur. Ex te *Hermanne Kirchnere*, sæpius audivi neminem dura admodum & injucunda Jurisprudentiæ ænigmata solvere posse, neminem fructum Jurisscientia dignum consequi posse, nisi artium liberalium & Historiarum cognitionem consecutus fuerit plenissimum. Quare auctoritate etiam tua, axioma propositum confirmabitur. Si qui præterea philosophiæ artiumque liberalium fautores adsunt, illi omnes votis & postulatis nostris æquissimis accedant & assentiantur. Quæ cùm ita sint, verè dicere atque concludere possumus, quod initio posuimus: artes liberales & ingenuas ad insequentium facultatum studia plurimum conferre. Tot enim commoditatibus, tot bonorum generibus problema hoc cumulatur, tot præclarissimorum hominum judiciis & auctoritatibus confirmatur & approbatur, ut necesse sit, eum non dico impudentem, sed planè temerarium esse, qui se his opponere velit. Nos vero omnes Deum illum Opt. Maxim. communibus animis precamur, ut illustrissimos Hassiæ Principes D. *Ludovicum & D. Mauritium*, eorumque familiares ad hanc generis humani felicitatem augendam & amplificandam quotidie magis ac magis velit incitare.

DIXI.

Secuta sunt reliquorum oratiunculæ.

Petitio honorum.

Promotor ad D. Procancellarium.

Audivistis, & quidem non sine tacita voluptate, jucundaq; intimorum sensuum affectione audivistis, oratiunculas Candidatorũ nostrorum, ex quibus quales sint, facilè cognoscere potestis, ut ex cantu volucrem generosum, ex ungue Leonem, quod est in proverbio. Reliquum igitur est, ut, ne quid, quod mearum est partium, in me deside-

desiderari possit, dem operam, hoc est, Scholasticorum vulgo hosce eximam, ideoq; tanquam numen quoddam adeam demissè, qui mihi gratiam faciat, eos philosophiæ Doctores creandi. Is vero est vir, qui & quantus.

Amplissimus sane Procancellarius Academiæ *Hermannus Lersnerus* LL. celeberrimus Professor, cujus vultus splendor, cujus oris majestas, & exoptatissima præsentia mirificè candidatos hosce, & me recreat. Sicut enim ipsum, eos veræ ac solidæ laudis cupiditate accensos, audire juvit: Sic quoq; quantum potest, maximum beneficium in eos collocare non gravabitur. Ecce igitur *Hermanne Lersnere*, hi undeviginti adolescentes & juvenes, qui certè non languori & desidiæ, sed animorum suorum culturæ tempus dederunt, & id privata publicaque artium nostrarum, quarum amore flagrant, cognitione ac exercitatione traduxere: hi igitur supplices ad genua tua accidunt. Quid petant taciti, intelligis, nempe ut cùm ad honores, quos propter virtutem & eruditionem, collegium Philosophicum unanimi prorsus consensu, ipsis decrevit, provehi sine te non possint, decretum istud gravissima simul & suavissima tua voce confirmes. Ne sim hic multus, splendidissimus hic actus, cùm non nisi interposita auctoritate invictissimi atque potentissimi Romani Imperatoris Rodolphi Secundi, & Illustrissim. Principum ac Dominorum D. Ludovici, & D. Mauritii Landtgraviorum Hassiæ, Dominorum nostrorum clementissimorum expediri possit; Tu verò nunc vices eorum geras, demissè abs te petunt, ut sicut hæc tibi sunt per quàm honorificæ, ita ipsis sint ad decus suum fructuosæ, hoc est, ut des mihi potestatem, se Magistros artium Humanitatis in hac florentissima assidentium & astantium corona

creandi. Quod idem ipse quoque à T. amplitudine peto. Simile procreat simile, asinus asinum, leo leonem, homo hominem. Quidni ergò per te amplifs. Procancellarie, per te, inquam, liceat Philosopho generare Philosophos? Hic si nobis facilem te dederis, ut omninò confidimus, quid enim Musis nostris neges? tantum à te beneficium accepisse videbimur, ut magnitudinem illius, verbis à nobis coæquari nunquam posse ultro confessuri simus; Charitesque nostræ tui memoriam culturæ sint sempiternam. Id tibi omni asseveratione cõfirmo.

ORATIO D. PROcancell.

DIu ante Platonem, clarissime doctissimeque Domine Promotor, amice carissime, sancitum fuit, Boni finem esse secundum virtutem vivere. Quod illis continget, qui ad intima philosophiæ sacraria pervenerunt, cùm sit ipsa philosophia ars artium, scientiarum princeps, omniumq; virtutum disciplina, dux & indagatrix atque vitiorum expultrix, quanquam si rectè secundum Ciceronem philosophiæ officium interpretari velimus, nihil aliud erit quàm studium sapientiæ. Verum & Plato docuit, philosophos divina tenere, humana gubernare, & absolutam Boni naturam per sapientiæ claritatem contemplari, & ad bonum finem humanas exercitationes dirigere, civitates & Respublicas fortiter defendere atque in bono statu conservare. Hinc factum, ut philosophiam principes viri, singulari dexteritate ingenii prædití, in magno pretio & honore semper habuerint, præcipuè autem ipsis Jureconsultis grata & accepta fuit, ex cujus fundamentis ars, boni & æqui, *id est*, ipsa justitia profluxit, ut testatur summus ille Jurisconsultus Ulpianus. Quo studio Divus Marcus inflammatus, jam senex non erubuit

ad philoſophos ititare, quem & Juſtinianus Imperator *in L. 11. ff. de his quibus ut indig.* vocat principem plenum philoſophiæ, & ille Cato cenſor extremæ ſenectutis vir, philoſophos admodum familiares habuit, ſecum meditatus, philoſophiam eſſe matrem omnium bene factorum beneque dictorum. Ut igitur hoc ſtudium illibatum conſervaretur & propagaretur, certa præmia conſtituta fuerunt. Nam Veſpaſianus Philoſopho annua centena dari juſſit. Auguſtus & Antoninus Imperatores per omnes provincias profeſſoribus Philoſophiæ annua ſalaria dari curaverunt. Sic & Conſtãtinus Imperator philoſophis didactra præſtari mandavit, & ſummo beneficio atq; privilegio eos donavit, ita, ut non modò ipſi profeſſores, verũ etiam uxores, liberi, eorumq; res quas poſſiderent, immunes ab omnib. eſſent, neq; ipſi in provinciis hoſpites, præter & contra voluntatem ſuam reciperent, neq; aliquo fungerentur munere, neq; ad judicium deducerentur, vel injuriam paterentur, ſed qui eos vexaret pœna arbitraria plecteretur.

Ad hæc Auguſtus etiam Imperator eos immunitate, Julius verò Cæſar civitate donavit. Ex quibus relucet, philoſophiam ſummis viris cordi fuiſſe, quam quidem amarunt, & in maximo ut dixi, pretio habuerunt, & voluerunt, ut per totum mundum ſpargeretur, eamq; ingenui & liberales homines ex ipſis fontibus haurirent. Hoc itaque ſtudium ſumma cum diligentia ad nos propagatũ eſt, quod & hi præſentes candidati, exemplo ſuo docent ac probant, qui per totius vitæ curſum ſumma aſſiduitate & diligentia in ſtudio artium liberalium cucurrerunt, ſolidamq; cognitionem philoſophiæ hauſerunt, quod non ſolum in privatis examinibus, ſed & publicè diſputando & declamando conteſtati fuerunt, ita quidem, ut ab ampliſſimo

plissimo collegio facultatis philosophiæ digni judicati fuerint, ut hodierno die Magistri bonarum artium crearentur. Non igitur video aliquid obstare, quo minus petita præmia virtutum & doctrinarum consequi queant, præsertim cùm & ipsi Imperatores Diocletianus & Maximinianus, *in Le.D.de His quib. ut indign.* rescripserint, bene merentibus præmia non esse differenda, sed in continenti illis conferenda, ut beneficiis officia condigna consequantur.

Cùm itaque in hisce solemnibus actibus etiam auctoritas Cæsarea & principalis intervenire consueverit, Ego tanquam Vice cancellarius hujus inclytæ universitatis, qui vices gero invictissimi atq; potentissimi Romanorum Imperatoris Domini, atq; Domini RODOLPHI secundi, & Illustrissimorum nostrorum Principum Hassiæ Domini, atq; Domini LUDOVICI senioris, Domini atq; Domini MAURITII, tibi clarissime atq; doctissime Domine Promotor, concedo atq; potestatem facio, ut in hac amplissima corona doctissimorum virorum & studiosorum adolescentium, in nomine individuę Trinitatis hos præsentes Candidatos Magistros Philosophiæ publicè renuntiare atque creare possis, quod ut vergat in utilitatem Ecclesiæ & Reipubl. inque ipsorum emolumentum & utilitatem tendat, ex animo precor.

JURAMENTUM Magistrorum.

Loquitur Apparitor Academicus.

ANtequam ad amplissimam bonarum artium & philosophiæ insignia Domini mei Professores vos admittant, decreta quædam vobis Candidatis non tam audienda quàm religiosè observanda, mihique publico hujus almæ universitatis ministro, ut recitem, demandarunt. Volunt autem,

tem, ut pro se quisque, eo quo constitutus est loco & ordine, ad communia Scholæ sceptra sanctè juret:

Primum, se omnibus modis, ut, quam hactenus exspectationem sui concitavit, hanc sustineat, ac tueatur curaturum, nec ulla alia in Schola quantumvis frequenti hunc eundem gradum iteraturum esse.

Deinde, se cùm hodiernum hoc beneficium longè maximum, tum hujus *Universitatis* ejusque Professorum laudes, ubicunq; terrarum gentiumque erit, qua decet fide ac reverentia prædicaturum, nec usquam ipsorum honori commodisque defuturum esse.

Tum vita morumq; honestate atq; adeò modestia assiduaque diligentia sua, in quibus præcipua Magistrorum laus consistit, se Magisterii titulo per omnia dignissimum ostensurum esse.

Dicat quisque: *Polliceor.*

JURAMENTUM.

Non nisi juratis Sophiæ tribuuntur honores,
Hac lex Scholaq; sanctio est.
Ergo qui cornuta domas Euangele monstra,
Scholæ minister publicæ
Voce præi ornandis, formam lege Sacramenti,
Jurare sanctè præcipe.

Admonitio ad Candidat.

Jurastis, temerare fidem, sanctòq; cavete
Jehovæ abuti nomine.
Ac sperate Deum memorem fandi atq; nefandi,
Quem nil celare possumus,
Odit & indubiè punit perjuria vindex
Veri, Deus verissimus.
Vero & servatæ fidei dat præmia vindex
Falsi, Deus justissimus.

RENUN-

RENUNTIATIO.

EGo igitur Rodolphus Goclenius Logicæ & Matheseos Professor, pro concessa attributaque mihi potestate publica nomine collegii nostri universi in hoc clarissimo Musarum & Charitum theatro, in hoc venerando docentium, discentium, spectantium conventu, vos undeviginti illustris hujus Academiæ alumnos, ac cives bonos omnes & singulos ex æquo, propter vestram virtutem & operam in artibus liberalibus præclarè navatam ac privatim publiceque satis spectatam probatamq; philosophiæ Magistros creo, declaro, renuntio, in nomine Ter Sancti Dei Patris, Filii & Spiritus sancti. Atq; ut hic titulus honosq; serviat divinæ gloriæ, & Ecclesiæ sit bono, vobisq; prosperè feliciterq; eveniat, ex animo precor.

EXPLICATIO RITUUM.

FACES.

ADjunxere Patres ritus & symbola certa
Huic titulo. Ecce faces (procul hinc procul este profani.)
Gloria signata est illis fax mentis honesta,
Hac vos ornati juvenes in luce locabit,
Perpetibúsq; vehet per postera secula pennis,
Si partum studiis omni nitemini opum vi
Conservare decus, vitámq; à labe tueri.
Cernitis, ut de nocte faces in nubila cæli
Proferat arx, puróq; nigras per inane tenebras,
Lumine flammarum tremularum & siderea æthrâ
Discutiat, pandatq; viam séseq; tuenti
Det contemplandum, quantum, mortalia possunt
Lumina. Cernitis, ut Luna fax æmula Phœbi,
Deferat in terras lumen sub nocte sopora,
Ne temerè in tenebris vagus erret navita in undis:
Sic artes sophiæ detersa arugine sensus
Mentemq; illustrant, piceæ caliginis umbra

Absce-

Abscedunt, cæcisq; inscitia mersa tenebris.
Sunt artes vitæ lumen pedibusq; lucerna,
Si labyrintheis ambagibus intriceris.
Vos verò similes qui olim speratis honores,
Et pueri & juvenes doceant quoque flammea nostra:
Ut facula flagrant admoto comminus igni:
Sic tota Clarias animis ardescite in artes.

LIBER.

Librum cuique suum trado sophia monumentum.
Ius vestrum profiteri artes, pubémque docere
Ingenuam, primam do clausum, scilicet istud
Vos moneant Rhythmi, quem barbara secla dedere:
Cordi non chartæ tradas quod noveris arte,
Ne si charta cadat, simul heu sapientia vadat.
Dein volo reclusum librum, quem consecro cuique,
Dum calices alii Bacchi pro codice versant,
Vos vigili versate manu noctésque diésque
Libros: consilia hic dubiis exquirite rebus.
Non opis humanæ est, sed numinis, abdita mente
Cuncta recordari, *cum rerum efflagitat usus.*

ANNULUS ET SERTUM.

Corporis ornamenta insignia bina supersunt,
Gestaménque manus, resplendens annulus auro,
Et tegmen capitis sertum, pulcérque tiaras.
Hac simul explicui quid signent, quisque feratis.
Est servanda probe divina particula aura,
Augustaque caput mentis prælustre sacellum,
Vim contra & noxas corruptelásque tuendum,
Hoc seu pileolus moneat seu pulcra tiara.
Quid verò aureolo monet orbe arguta vetustas?
Pectora, quæ geritis Cyclicas exculta per artes,
Quantivis pretii manus orbe auróque decora
Innuit: Hunc tereti digito circundare vobis
Fas est, citra omnem, nullo prohibente, pudorem.
Quantumvis humili atque abjecta sorte profectis.
Annulus in sese levi revolubilis orbe,

Atque

Atq; in se vergens semper, quocunq; rotetur,
Undiq; par similisq; sui, cœlúmq; Deúmq;
Nos meditari animus monet altus. Annulus idem
In sese rediens lapsu gyróq; perenni
Nec motus medium, finem aut exordia novit:
Sic etiam natura Dei fine, sine ullo
Principio & medio est, spatiis aviq; lociq;
Non clausa æternis mens perfectissima seclis.
Deniq; ut in sese redit annulus, haud secus ipsa
Mens tota in sese incumbat vergátq; reflexa:
Ut se noscat homo par vaq; in imagine Numen.
Aureus est vere non ferreus annulus, eccur?
Auro ecquid pretiosius? ecquid purius auro?
Ecquid vividius? (nec enim corrumpitur igni)
Sic syncera fides, purum cor, & integra vita
Et mores vobis nulla sint labe notati.
Hic animi nitor est, hac vita est funeris expers,
Deniq; victoris decus atq; insigne corona est:
Vos durum vicistis iter durósq; labores
Militia stravistis monstra, informia monstra.
Arcadiea agmina plumbea, barbara, agrestia, barda,
Vestra igitur festis redimiri tempora sertis
Convenit, & nostro causa est sat congrua facto.
Qualiter æquævo sociatam palmite vitem
Amplexa est ulmus: Sic virtus ambit honorem.
(Scilicet est virtutis honos nutritor & artis)
Sic sertum capita & digitos auri ambiat orbis.

CATHEDRA.

Huc agite huc: una cathedram conscendite doctam,
Quæ monet ut doctos sublimi in sede reponat
Ars sua, & ex humili subvectos pulvere tollat,
Filius ut terræ jacet expers artis honestæ,
Ignotus populo est, ignoratúrq; propinquis.
Hæc eadem Ascræi vatis bene subjicit illud:
Ardua virtutis via, ad istam tesqua per hirta
Itur, primo aditu longe est asperrima; sed cùm

Ventum

Ventum est ad summũ, facilis jucundaq; facta est.
Ite citi, hinc sibi quisq; ferat dona, aurea dicti.

JOANNES SCRODERUS
Nicopiensis Suecus.

Arctoæ Suecum decus admirabile gentis
Ter gratiose propter eloquentiam,
Gloria Nicopiæ juvenis bene docte Mathesin,
Et gnave cultor rarioris Opticæ.
Est aliquid reliquis præcellere & esse supremum;
Chorumq; pulcrè literatum ducere.
Ergo primus habe hæc tibi præmia: tanta Schönero
Tuo renuntiabis grata præmia?
Pulcras in te auge dotes, augustaq; magni
Caroli Dynastæ Excel*sitas te provehet.*

JACOBUS MULLERUS
Helmstadiensis.

Quem dedit hic nobis ornandum Julia terrâ;
Müllere, ô quantum robur in Hercle fuit!
Tu patria Saxo; *res quam firmissima saxum;*
Fortis ut in Græcos Troius Hector *erat!*
Fortis Alexander *totum sibi subdidit orbem.*
Dis *illum vincens fortis & ipse fuit.*
Et Milo *fortis erat, cùm taurum ferre valeret;*
Quis potis est fortes enumerare feras?
Barbariem vincens est fortior, Hercule, Saxo,
Hectore, Alexandro, Dite, Milone, feris.
Ergo domum tecum meritæ aufer præmia palmæ.
Præmia quæ manui do capitiq; tuo.

CHRISTIANUS LUDOVICUS Franckenb.

Qui trahis eximium Christi de nomine nomen,
Claróq; ante alios virtutis lumine luces,
Ut satus Anchisa cunctis ex morte vocatis,
Victorem magni præconis voce Cleanthum
Declarat, viridiq; advelat tempora ramo:

Sic tua Barbariæ victoris tempora cingo
Hoc serto, tecúmq; cano alta voce: Triumpe.

CHRISTOPHORUS BAUNEMANNUS Cassel.

Inclyta Musarum Bonimanne ô signa secute,
Palladiaq; Dea strenue miles ova.
Strenue miles ova sumta victrice corona,
Quam bene temporibus convenit ista tuis!
Annulus hic levam decoret: tibi ridet ut aurum,
Nobile quod gemma versicolore nitet!
Vir bone virtutem firmato pectore serva,
Et commune diu sis maneásq; bonum.

JOANNES VALENTINUS Lindensis.

Arte valens age rumpe moras, huc ocyus ito,
Prodi: namq; suus cuiq; ferendus honos.
Debita sit merces, & par fortuna labori:
Et levior labor est, & bene fertur onus.
Aureus hic medium digitum levæ implicet orbis,
Et teneras velet pulcra corona comas.

CONRAD WINTERBERG, Wolffhag.

Quis precor ornabit Conradi tempora? Phœbus.
At quis eum studii mole levavit? Amor.
Quæ Dea q̃ cathedrã dedit hanc conscendere? Virtu
Quod Musa donum est? annulus aureolus.
Quæ Dea, quæ Sophia concessit dona? Minerva.
Quæ dedit huic auro splendida serta? Charis.
Muneribus tantis gaude, tibi numina rident,
Et sunt in titulos officiosa tuos.
Applaudúntq; tuo, Conrade Magister, honori
Phœbus, Amor, Virtus, Musa, Minerva, Chari

HENRICUS FULHUNIUS.

Quisq; sibi Deus est: pigris fortuna repugnat,
Ignavúmq; pecus gloria vera fugit.

Assecla

Assecla virtutis contrà decoratur honore
Cultorem nunquam deserit illa sui.

FRIDERICUS SAURIUS ABRAH.
filius Marpurgensis.

Cui dono digiti decus smaragdum?
Cui dono capitis decus Tiaram?
Cui dono simul auream corollam?
Sauri dono tibi, tibi merenti
Matthaúmq; Patrísq; persequenti
Pedum signa virûm celebriorum.

JOANNES FLORUS, Assenheimens.

Huc Flore huc venias, capte hujus floris amore.
Sic ornere mihi tam pulcri floris honore.
Jam comitatus abi tam suavis floris odore.
Sed decus hoc aurum flori addat jaspide fulgens:
Ingenua ars virtúsq; tua omni floreat ævo.

JOANNES MARTINUS
Gundernhusanus.

Summus ut esse negas: sic infimus esse recusas,
Es medius: mediis gratia rebus inest.
Sol medius tenet infra se suprâq; Planetas:
Erronum dominus, sed tamen ille manet.
Tu medius primo pares: tibi debita dona
Aufer pileolum gemmiferúmq; Cyclum.

JOANNES PETMANNUS GE-
raviensis.

Pulcra quidem Venus *est pharetrati mater amorum:*
Sunt pulcri læta fertilitatis agri.
Est pulcer murex, *quo splendida turba superbit:*
Sunt pulcra gemmæ, *quas vehit unda Tagi.*
Pulcrũ est argentũ, sceptrũ *cum* stemmate pulcrũ;
Stirps *pulcra est, pulcer summus in arte* gradus.
Pulcrior est virtus Venere, agris, murice, gemmis,
Argento, sceptro, stemmate, stirpe, gradu.
Virtutis Petmanne tuæ hæc pulcerrima tecum
Præmia fer, partúmque arte tuere decus.

CA-

CASPAR RUDOLF WEISbrot, Leucartus

Ut decus est horto laurus, laurusq́; coronæ,
Pulcra corona comæ, coma nymphis, nympha choreis:
Sic virtus arti decus est, artiq́; Juventa,
Docta juventa scholæ, schola templis, templa docenti.
Auro intertexta hæc moneat te laurea, Caspar
Weisbrod; illa suo tibi perstet salva virore.
Dum mensæ vinum, vino albus panis honori est.

ADAMUS WIGANDUS Marpurg.

Huc VVigande, meis amande Musis,
Huc VVigande, novo beande Cyclo,
Huc VVigande, novo beande serto;
Hæc insignia habe eruditionis.

OTTO GERLACUS.

Otto seu læva seu dextra parte legare,
Diceris Otto, tuum nomen an omen habet?
Scis bene Grammaticos canonas, nec carmina nescis
Scribere, scis Logicen, nec male dinumeras.
Sic perge in studiis, nec currat distichon istud
Retrogrado cancer ceu solet ire pede:
Dinumeras male, nec Logicen scis, carmina nescis
Scribere, nec canonas Grammaticos bene scis.
Ast eat in vacuas Garlace hoc omen in auras:
Tu verò hæc Sophiæ munera gratus habe.

GEORGIUS FABER Sondranus.

Georgium pulcro decorabo serto:
Georgium caro decorabo cyclo:
Georgius serto viridi q; gemma
Dignus & auro.
Laureo frontem decorate serto,
Aureo lævam decorate cyclo,

Nunc

Nunc choros circum sacra cum noVenis
Ducito Musis.

JOANNES BARTH,
Marpurg.

Barthi, sed barbate minus, magis arte probate,
En libertatis tibi signum & pignus honoris
In capite atq; manu: meruere capútq; manúsq;
Sæpe laborando. Ne desine quæso laborum
Re non pileolo tantum, titulóq; Magister.

CONRADUS RUMBACH,
Marpurg.

Pulcra quidem sylva *est*; *apricáq;* littora: *pulcrum*
Est pratum: *in Viridi* gramina *pulcra solo.*
Sunt pulcræ gemmæ: *sunt cæli* sydera *pulcra:*
Quam pulcri flores? *pulcra ter alma* dies:
Pulcrior at Virtus est sylva, littore, prato,
Graminibus, gemmis, sydere, flore, die.
Aureola facit illa tuum splendere corona,
Mi Rumpache, caput, dat manuíq; cyclum.

MICHAEL CELLARIUS.

Huc age te tandem, qui cellam claudis, an audis?
(Se moVet ut tarde: sed tamen ille Venit)
Imo stare loco tutum est, summisq; negatum
Stare diu, & palmæ præmia finis habet.
Ergo duplex insigne tui fer latus honoris:
Fulgeat hinc digitus, fulgeat inde caput.

TRANSITIO AD CREATIONEM
Baccalaureorum.

Hactenus est exacta mei pars prima laboris.

PHilosophos enim creavi non quidem ex nihilo (id enim Dei, non hominis est) sed ex Baccalaureis: nemo enim nobis promovetur per saltum, hoc est, primo gradu neglecta, sicut nunc alicubi extra Academiam Doctores & Magistri fiunt: dicerem, si liceret, penè citius quèm Asparagi coquantur. Nunc igitur ex studiosis formabo, Deo

me juvante, Baccalaureos. His enim viginti-quinque adolescentibus amor virtutis ac literarum in visceribus ac medullis ita defixus insidet, ut si quæras, qui ex cœtu nostro Academico in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticis, latina & græca linguis, omninoq; politiore literatura & rudimentis Arithmeticæ, ac doctrinæ sphæricæ ad superiores plenioresque doctrinas præparati & præculti sint, hi ipsi sint.

Arduum iter ad Musas, summa in arce habitantes:
Arduum certamen cum monstro Inscitiæ & ignaviæ.

In quo quidem quia superiores & victores evaserunt, strenui hi milites, Baccis lauri quæ victoriæ insigne est, ex decreto Senatus nostri mihi sunt condecorandi. Juvet igitur vos hos adolescentes audire, juvet primam eorum coronationem spectare. Specimen primum aliquod exhibebunt vobis suæ eruditionis: percipietis ex eorum oratiunculis quid quantumq; aliquot annorum labores vigiliæque ipsis pepererint. Deinde dabo vobis eos novas (pace vestrâ mihi sic loqui liceat) creaturas. Sed & bona cum vestra gratia veniaq; fas mihi sit à vobis me ad hosce meos convertere.

Mei adolescentes, mei inquam: maxima enim voluntatis meæ erga vos propensio: Videtis, ut vos intueatur concio ista: At quæ concio? lectissima ornatiss. frequentiss. eruditiss. quæ honoris vestri causâ huc convenit. Videtis ut isti proximi vobis pueri vos aspiciant. Quid ita? Exspectant à vobis dignum laude & imitatione exemplum doctrinæ liberalis. Vos igitur date operam, ut nostra de vobis judicia sustineatis, & aliqua saltem ex parte respondeatis horum puerorum, imò verò totius concionis exspectationi, quam de vobis sine omni dubitatione in ejus animis judicium & pondus auctoritatis Collegii philosophici concitavit.

O quam

O quàm nobis hoc optabile? vobis verò quàm honorificum, sed ut diei tempus est, neq; auditores, neque vos diutius mihi detinendi estis. Quare tu, qui primo loco es constitutus, loquere, ut te videamus, hoc est, aliquam quæstiunculam ex orbe doctrinarum propone, & ut captus ingenii tui fert, coram nobilissimo hoc auditorum consessu explica.

Post pronunciatas quæstiones & responsiones ad eas.

Non dubito quin æquè judicantibus auditoribus progressus vester in literis nobiscum probetur. Ut igitur fas mihi sit vos ornare, de certis capitibus ad Academiæ sceptra jurare. Jurisjurandi formulã ex publico Academiæ ministro audietis.

JUSJURANDUM BACCALAUR.

Priusquam primam hanc studiorum humaniorum lauream in vos conferat Dominus Promotor, ad communia hujus Academię nostræ sceptra jurejurando affirmabitis: Primum vos Dominorum professorum votis pro viribus satisfacturos, nec eundem gradum ulla in schola alia iteraturos esse.

Deinde vos ea diligentia, studia vestra feliciter cœpta persecuturos esse, ut propediem altiora honorum culmina conscendere, atq; adeo patriæ & amicis commodè præesse possitis.

Postremò vos quocunque locorum vel gentium veneritis, hujus Academiæ ejusque Professorum laudem, & erga vos bene-merita summe prædicaturos, atque ita hodierno beneficio vos per omnia dignos esse declaraturos. *Dicant singuli* PROMITTO.

RENUNTIATIO.

Auspiciis igitur sacrosanctæ Trinitatis veri & vivi

RENUNTIATIO.

Auspiciis igitur sacrosanctæ Trinitatis veri vivi Dei Pat, Fil. & Spir. Sanct. ego Rodolphus G clenius non tam mei quàm totius collegii phil sophici auctoritate, hos viginti quinq; adolesce tulos, honestatis, ingenuarum artium, & lingu rum studiosissimos, è quibus ult. Nicolaus Happ lius Marpurg. abest, excusante ejus absentia summa necessitate, hos, inquam, omnes & sing los, alumnos nostros egregios, philosophiæ Ba calaureos, creo, declaro, proclamo. Felix hoc fa stumque esse velit perpetuus ille omnium reru moderator JEHOVA, & benignissimus scholast cœtus & Academicorum honorum conservato Idemque porro horum adolescentum studia c menter gubernet, ut evadant organa servient ipsius gloriæ & salutaria sibi ipsis ac aliis multis.

Ita eveniat, ita eveniat.

HERMANNUS ECKHARDUS
VVetteranus.

Dignior ante alios ades ô dux ordinis hujus,
Cui Charites nomen dulce dedere bona.
Hoc meruit virtus tua sertum: jaspis in illo est;
Grata Deo dicas; grata Deo facias.

JOANNES JACOB. BERN-
hard. Marpurg.

Huc ades Ursinum referens cognomine robur,
Hac tegat ornatum laurus odora caput.
Laurea frontis honos: ista hæc tibi jaspide fulget.
Signa pedum patris nate vertere tui:
Clarus is est, virtus quem clara exornat avorun
Qui propria claret, clarior ille suis.

CASPARUS FINCKIUS
Giessensis.

Si, nisi quæ potuit te digna virore videri,
Nulla corona tua est, nulla corona tua est.

JOA

JOANNES WILLIUS
Hirschfeld.

Si, nisi quæ potuit vera virtute parari,
Gloria nulla tuâ est, gloria nulla tua est.

HENRICUS GRIEB.
Mintzenb.

Artium quamvis sit amara radix;
Sunt tamen fructus tibi dulciores,
Hoc monet Baccis tibi facta laurus
Griebe corona.

GEORGIUS PLEBANUS
Salbachus.

Ludere in hoc Festo mihi more licebit honesto.
Plebanus maneat cui Prisci vapulat anus.
Talem Plebanum tu dicas jure beanum.
Tu quia non talis, te quondam provehet alis,
Candida fama bonis: fruere istis Salbace donis.
Vive pie & late, faciliq; ignosce Poëtæ.

RODOLPHUS SCHENCKELIUS.

Laurus amor Phœbi est, faciem mutata puella:
Et tuus est Phœbi non simulatus amor.
Phœbi igitur jussu viridi te flore corona,
Rodolphe: à Musis fama decusq; venit.

PHILIPPUS SCRÆDERUS.

Cujus amor volucres, hinnitusq; acer equorum,
Huic ad Parnassi culmina claussa via est.
Non tu non talis, non re sed voce Philippus,
Dicendus merito, qui philomusus eras.
Ergo fer hoc sertum capitis gestamen honestum:
Hoc longe ante alios pulcrior esse potes.

VALENTINUS HACHENBERGER.

En tibi nunc sacram tribuo Hachenberge coronam,
Quæ damnosi expers senii tua tempora circum
Floreat, & visum virtutis signet honorem,
Donec ad æquoreis ignotos fluctibus ignes
Clara Ariadnææ rutilabunt signa coronæ.

JUSTUS KISSELIUS.

Et te Phœbus amat, simul & tua nomina clamat,
Nomen habes laudis, Juste, ô sis ergo quod audis.
Sit tibi Musarum donum quod confero carum.
Sis Phœbo fautor. precor hoc tibi carminis auctor.

CASPARUS HERING
Marpurg.

Cui laurifero floridam corollam?
Do Caspare tibi mereris illam.
Nam novem tenero colens ab ævo
Divas obsequio & fide sorores.
Sacris fontibus ora proluisti.
Quare habe hanc tibi floridam corollam.

ADAMUS PISCATOR.

En Daphnes sertum decus immortale repono
Pro virtute tibi: tibi sit piscatio veri
Cura: Atq; aureolam dedero labentibus annis.

JOANNES BACKIUS
Darmstad.

Gloria non minima est medio consistere posse.
Quod medio positum est assolet esse bonum.
Obvia fulminibus sublimi est culmine quercus,
In tuto frutices stantq; vigentq; loco.
Ergo sorte tua gaude sertoq; decenti,
Dáq; operam, majus nomen ab arte feras.

WILHELMUS COLONUS.

Dii virtutis iter sudoribus obsepserunt.
Ni sudore paret cuncta, Colonus eget,
Sic sudore tibi parta ista Colone corona est.
Virtuti ad decus est invia nulla via.

BERNHARDUS DOLÆUS
Grebenstein.

Adsis, monstra, Dolae, dolans cornuta Beanos.
Floribus his redimite caput bene docte Dolae,
Intactis anni, tactis a virgine casta.
Sis re Bernhardus: veri ferus Ursus in hostes.

CHRI-

CHRISTOPHORUS KEIL
Butzbach.

Ubi malignus nodus est, Quareð° asper cuneus est. Illius est vis maxima, Ingenium si sit plumbeũ. Ut hæreat fixissimis Radicibus scientia. Animo diu, unus cuneus est,

Et alter diligentia: Est continuata motio Cerebri, & impigra lectio. Hinc nactus hoc es sertulũ Pulcelle Baccalauree Sic perge: habebis aureũ.

JOHANNES LEUCHTERUS
Melosung.

Huc propera, huc propera, nil te remoretur euntem
Coronam habebis gloriæ pulcerrimam,
Tu candelabrum: tua virtus lampas in illo.
Daduche habe hanc tua corona gloriam.

JOHANNES DIPPELIUS.

Joannes placidus excultior artibus adsis,
Ecce virens sertum, tibi præmia prima togatæ
Militia: pueri ô, non qui certamina segnes
Fugerunt, sad pugnarunt, meruere coronas.

CASPAR LAUCARDUS
Echtzellanus.

Egregii mores capiunt virtutis honores,
Optime Caspar, ave muneribúsq; fave.

HENERICUS DIETZIUS.

Ut sat sis pulcer mihi Baccalaureus (aureus)
En Henerice tibi laureola (aureola)
Hanc reverenter habeנam casto pollice Diva
Nexuit hanc Clio non mala Lais (ais,)

WENDELINUS SEIPELIUS

Seipeli, salve mihi VVendeline,
Seipeli dextro pede VVendeline,
Huc ades, latum tibi dona longo
Parta labore.
Laurea en frontem decet hac corolla:

Auream

Auream quondam tuleris, diurna
Atq; nocturna modo docta verses
Scripta Sophorum

JOANNES PISTOR.
Zigenhain.

Laurigerum tu Jane decus quandoq; futurus
Cum sis ades: tibi aufer isthaec praemia.
Invia desidiae est via, quae patet ad sacra Musis
Templa atq; Honori. Ergo pigrum fuge otiū.

JOANNES WICKIUS
Alsfeld.

Divina VVicki, sertum quis fecerit istud,
Quod te manet tua Virtutis praemium?
Musarum hoc opus est, pulcrum gestamen honoris.
Quae venit à Musis, illa vera gloria est.

JODOCUS WISKEMANNUS
Allendorff.

Est honor in portu cum puppis ab aequore venit,
Et studii metam tangere magnus honos:
De quo nō dubites VViskmanne, en frontis honorem:
Hoc Musa sertum contribuere tibi.
Primo par es honore; tuum ne desine cursum
Urgere, & pulcras impiger ire vias.

NICOLAUS HAPPELIUS
Marpurg.

Extremum hunc mea Musa mihi concede laborem,
Namq; meo Happelio carmina pauca canam.
Finis habet palmam: finis, non pugna, coronat,
Nicoleo en palma signa decora tua.
Discito plura imus, poterisq; evadere primus.
Olim, quando, Deo dante, Magister eris.

CONCLUSIO.

Sic lauri baccis pulcri, sic pergite Musis
Invigilare sacris, vitioq; indicere bellum;
Ut commune bonum, quo voscunq; orbe locarit
Caelipetens majus faciatis, & hujus honorem

Quondam

Quondam Doctores isto extendatis in orbe,
Sic Vos non Vobis lauri hac insignia fertis,
Sic Vos non Vobis legitis Virtutis honores:
Sic Vos non Vobis tolerastis mente labores,
Vos quia non Vobis nati, at patriaq; Deóq;

APOSTROPHE AD GRATIAS.

Nunc Charites nūc Vestra canat pia buccina grates.

GRATIARVM ACTIO
CARMINUM GENERIBUS
variata.

ERgo, dum Clario munera de choro I. *Prologus.*
(O optata diu munera!) diVidis,
Completóq; beas ordine singulos,
GOCLENI noster Apollo.
Tempus diffugit. At restat hic ultimus
Nostra ex parte labor grata reponere
Summo dona patri, tum quibus addecet
Cupidas ostendere mentes.
Ne nos immemores forte quis arguat,
Nomen de quibus adquirimus, artium.
Hoc Versu aggredior dispare: Vos breVem
Concedite temporis usum.
Magne Parens, magni Princeps ter maxime mundi, II. *Deo Opt. Max.*
Et pie Nate patris, sancto cum Flamine, Numen
Unum, DiVa trias, tibi prima debita laudis
Portio, perpetuante precum tibi thure litamus,
Et læti canimus grates, longumq; canemus,
Inducti pietate, & magna mole bonorum,
Nos quibus accumulas de te nil tale merentes.
Tu nostras defendis adhuc, tu protegis aras.
Fac sint incolumes ultra: ne dira prophanas
Illis Pontificum blasphemia misceat artes:
Neu male dî iractas carpant ululaq; strygesq; !
(Heu fœdas Volucres, & sola adjurgia natas.)
Præterea, extremi series dum postuma secli
Labitur, aspersis quæ fecibus implicat orbem,

Huc

Huc ades: ambiguas turbarum discute nubes.
Effice, ne gravibus vicinia tota ruinis
Attrahat exitium nobis, dum Belgia bellis
Haret, & insano despumat Gallia motu.
Halcyonum nos more tege, ut quando undique terris
Aspera sævit hyems, nostros tua firmet ab omni
Incursu fremituq; maris custodia nidos.
Corda magistratus fac verbi regula semper
Flectat ad obsequium. Nobis has desuper alas
Præsidio, Deus alme, tuo prætende, fruamur
Læta pace diu. Rerum ô pax aurea mater:
Pax legis custos: nutricula pax gregis: imo
Nil sine pace boni: nihil est sine Marte malorum.
Denique, magne pater, clementi respice vultu
Hos, precor hosce lares: hac Hassi tecta Leonis
Respice, quæ doctis dant otia sobria Musis.
Hanc porro tutare scholam, hæc alvearia gratis
Ut tibi desudent operis, semperque recentes
Dando favos, fructu distendant ubere cellas.
Hinc quoq; noster honos, comes atq; sequela laboris,
Augustum capit augurium: quem pectore grato,
Et quicquid sumus, acceptum tibi IOVA *feremus,*
Morigeræ fac semper apes maneamus, & acri
Ignavos studio fucos fugisse velimus.
Ne dum Barbaries procul hinc tenebrosa minaci
Imminet huc vultu, & comes illam lerna malorum
Assequitur juxta tuus assertoribus unquam
Destituatur bonos, & ei quas perficis artes.
Da porro nostris Deus incrementa Camœnis,
Ut tibi, quos gerimus titulos cum laude geramus.
Sic proceres nostri studium juvenile probabunt:
Sic Præceptores caris se larga laborum
Præmia, & annosi solamen dulce parentes,
Cognatiq; amplum decus accepisse putabunt.
Hic genuinus honor nobis erit arte magistra,
Cum rediisse sibi lapsas Ecclesia vires

Sentiet,

Sentit, & latos vernans Respublica flores.
Id jubet, id juvet aeternum celebrandus IESUS.

Ad te PHILIPPE ô maxime Cattidos — III. Princip. Sen.
Telluris olim, nunc superum chori
Princeps, eundum est: ô sepultos
Afficiat pia cura manes.
Verum ferendo quis tibi barbitos,
Quod carmen, aut quae sufficiat lyra,
Virtutis ut celso decore
Major es Aonio paratu.
Tu primus umbras inter & horrida
Figmenta noctis Romula, provido
Aggressus ausu promicantem
Rite tuis reparas lucem.
Hac Christiani maxima Principis
Sit cura veram magnanimo fidem
Nixu tueri, subditisq;
Pabula quaerere pura verbi.
Tu, docta Musis otia; praemia
Musarum alumnis; artibus ancoram
Jussisti, & aequas esse leges,
Pace potens, metuendus armis.
O, si quid unquam vota valent, precor,
Semper PHILIPPI facta vehant, patrem
Virtute, sicut nunc, minores,
Nobile continuando nomen.
Sit sera nostram pax teget Hassiam,
Regnabit aequum, Cultus erit Dei,
Et pulpita hac grate sonabunt?
Dulce cubent cineres PHILIPPI.

Nunc quoq; sed paucis, Divos, sacra nomina, Fratres, — IV. Princip. Guliel. & Ludovico.
Te Gulielme canam, te LUDOVICE canam.
Quod patris egregium, quae fata tulere, PHILIPPI
Floret opus; latum docta Lycaea vigent;
Castra frequentantur Musarum, magna juventa
Copia longinquis hic agit orta locis,

Deniq;

Deniq; virtuti sunt præmia, sunt & honores?
Omne quis hoc vestri muneris esse neget?
Instituisse parum est, ni sint qui condita servent,
Pauca dies largas evacuabit opes.
At qui inventa polit, colit, ornat, honorat, adauget,
Inventore minus non feret ille decus.
Hoc liceat mihi vos extollere nomine quorum
Præsidio Schola stat nostra vigetq; Duces.
Muneris est vestri, quod nos lux isto Magistros
Esse jubet, titulos ornat: honore beat.
Quæ potis huic merito fieri par gratia? Nostrum,
Solvere tam magni, non erit, æris onus.
Intereà cupidum tamen ut testemur amorem,
Verba, sed ex vero corde profecta, damus.
Gratamur: inter cœlites degit GVLIELMVS,
Longum, precamur, sit superstes LVDOVICVS:
Patriæ Patres ambo: Duces pii ac benigni:
Scholæ Patroni: Pacis aureæ administri.
GVLIELME sic prudentiæ, scientiæq;
Vivax & eruditionis pervagatò
Superstitare te volatu fama pergat:
Etsi obruat tua ossa saxeum sepulcrum,
LVDOVICE sic virtutis ac æqui decore
Te Diva protegat Themis: Deus secundet
Consulta, nominis sui ad laudem perennem.
VI. *Porro & MAVRICIVS, divina propago Guilelmi,*
Mauricio, &c. Princ. Guliel. F.
Vivat io & io canamus.
MAVRITIVS patrios cū laude accrescat in annos.
Quoq; gradu bene cœpit ire,
Semper eat. sit arte potens, sic Marte, celebris
Ingenio genioq;, sicut.
Ante annos animi & curæ dat signa virilis,
Æquet Avumq; Patremq; quondam.
Consilio vincat simul & virtute Chymæram,
Numinis auspiciis benigni,
Dulce suis columen, patriæ regionis ocellus;

Vivat io & io canamus.
Te Principi vicariam
BURCKHARDE *qui praestas opem* VII. *Proprincipi.*
Compello: te vir strenue,
Grato feremus carmine,
Quod impigre dignatus es
Nostris adesse honoribus.
Senilis ô prudentia
Plenum caput, canum caput
Vive ô diu, & diu vale.
At quando tibi gratias
Pro tantis meritis solvere fas erit VIII. *Cancellario.*
CANCELLARIE? *provido*
Qui jus omne geris pectore: Principis
Qui cum laude geris stylum,
Nunc hos versiculos consulito boni.
Sic te diva Themis diu
Terris evehat, & post Pietas polo.
Inprimis memores esse tui juvat, IX. *Magn. Rectori.*
RECTOR *Magnifice, & pendere debita*
Pro mercede sequelam
Mentis. Nam neq; possumus,
Quos tu pro grege nostro bene sustines,
Ornandosq; novo nomine judicas,
Quid pensare laborum:
Nec verbis satis assequi.
Hac verba, hos animos accipe, non levi
Devinctos tibi pro munere perpetim.
Sic hac sceptra secundet
Porro JOVA *tibi & schola.*
Nec te, qui gemini reseras penetralia juris,
Unquam LERSNERE, *tacebo.* X. *Lersnero.*
Cui Jovis ales, & hac qui servant tecta Leones
Nostrum jussere tueri,
Et dictis firmare, ac impertire decorem:
Hinc nomen sumimus illud.

Accipe perpetuas Vice cancellari grates:
Nostri pars ulla superstes
Dum fuerit, nulla has capient oblivia mentes
Tanti, quem admittis, honoris.
Vos principes consulta qui moderamini

XI. *Consiliariis.* *Carmine prateream? Non id meremini fide*
Vestram in scholam. Sit digna Vobis gratia,
Hunc quod honorifica Vestri haud gravatim copia
Ornastis actum; rursus ornet Vos Deus.

XII. *Nobilibus domus Teutonica.* *Res sacra consilium. Ductu Dei sacerrima.*
Deinde nos Vobis, equites fatemur
Teutones, prisca simulacra quorum
Ordo Virtutis membrat, teneri
Numine multo.
Hosce quod Vultu titulos benigno
Cernere, & lucem decorare festam
Ter tribus Musis coluistis amplas
Sumite grates.

XIII. *Theologis.* *Vos jam saluto, quos ovilibus sacris*
Praesse jussit, & Verbi dedit curam Deus,
Viri reverendi & efferendi laudibus,
Fando potentes & docendi industria.
Et Vestra nos mire afficit prasentia.
Avete, & ô summas habete gratias.

XIV. *Jureconsultis.* *Has fero Vobis etiam perennes,*
Hujus caterva nomine,
Sancta, qui multo studio, labore
Acri docetis affatim
Jura: quos altum Vehit implicata
Ardens amor scientia.
Vivat in Vestris genius Vigentis
Industria laboribus.

XV. *Medicis.* *Et magna Vobis debita laus, Viri*
Pulcris Machaon quos docet artibus,
Afflicta morbis quando jacet salus,
Miscere succos, illis quibus redux

Et

Et vita sese longius exserat.
Mira J O V Æ *cura trinominis.*

Quæ tibi porro
Culte Brabeuta,
Clare Decane
Dona feremus?
Tu vir amande,
Multijugi nos
Ante palæstram,
Publica tela
Excipientem,
More petentes:
Præses honorus,
Arte levasti.
Nunc quoque tandem
Aurea nostris
Serta capillis,
Ferre dedisti.
Hoc tibi totum
Spondeo pectus:
Spondet idemque
Totus hic ordo.
Id, Physicarum
Optime rerum,
Accipe, Doctor:
Culte Goclenii:
Accipe, & usque
Vive beatus.

XVI. *Dn. Goclenio.*

Et tua perpetuum benefacta,
Clare Fermari celebramus:
Historiam nos hujus ab ore
Hausimus, alloquioq; fideli
Ancora jacta fuit studiorum.
Vive diu charosq; penates
Infestet damni nihil unquam.

XVII. *Philosophiæ reliquis.*

Te quoque te Charites nostra Petre Ethica lata XVIII.

Concelebrant voce: agnoscunt morúmq; decoriq;
Insignem ante alios factis & voce magistrum.

XIX. *Linguarum Theodore decus: Nam Gallus in ore,*
Et Grajus sedem gaudet habere suam:
Tu nostri fautor tituli, cape pignora mentis
Grata hac, qua Charites metre dedere tibi.

XX. *Jam qui Rhetoris os habes*
Fils Nigidiûm te vocat hic chorus,
Gratum se tibi sistens meriti, pro cumulo tui.

XXI. *Jam te, pangere carmina*
(Vatum nobilium decus)
Qui, Kirchnere, soles nominat hic chorus:
Gratum se tibi spondens animi nectare pro tui.

XXII. Coss. Sena. & studiosis, &c.
Nec vos omitto, rerum
Usu frequente doctos,
O consules sagaces,
O gnara pars Senatus?
Et quotquot hîc adestis,
O hospites amati,
Viri bene eruditi:
Et optimi magistri
Testes novi decoris:
Studiosa & ô juventus,
Qua copia frequenti
Nostrum tueris actum.
Nos singulis parata
Grataq; signa mentis,
Et quicquid hac requirit,
In fine pollicemur.

XXIII. Conclusio.
Sed jam fessa pedem refert Thalîa.
(Claudus denotat id Phalaecus.) Ergo
Si quis fors fuerit mihi relictus,
Cui non debita solverim decenter,
Exorat veniam. Quod ergo restat,
Praestet Musicus id chorus. Deinde,
Tempus praeteriit fugax, EAMUS,

DIXI.

LAU-

LAURI ENCOMIUM I.

Laureo perpetuos semper gere frondis honores,
Perpetuum salve perpetuumq; vire.
Huic à te capiti magnum venit ornamentum,
Tu tutela Jovis, fulmina nulli times.
Augustos ornas postes, fidissima custos,
Et tutrix quercus ante locata fores.
Tu, quoties longas visunt capitolia pompas,
Et cum vox hilaris læta trophea canit,
Laure ades ô lætis Ducibus ceu symbolon hostis
Victi, laure arbor tu mea semper eris.
Tu segetum pestem tollis; tu nata venenum
Pellere: Tu Musa non reticenda mea.
Baccis, laure, tuis decoratos fida magistra
De multis magna non sine fruge mones.
Laure vires semper: Sic semper florida virtus,
Et fati æternum nescia Musa viget.
Secura ut perstas adversus fulminis ictus
Præsidio unius non violanda Jovis:
Sic neq; de cælo tangi studiosa juventus,
Si modo casta comes sit tibi Musa, potest.
Nostra probat servatq; Deus studia atq; labores,
Et contra furias agmina sancta tegit.
Laure meum decus es: Tu parti insigne triumphi,
Nuntia tu pacis, nuntia lætitiæ.
Laureolam meruit qui vicit barbara monstra,
Difficile ad Musas qui separavit iter.
Laure meum decus es: tu tollere nata venenum,
Errorque & falsum nil nisi virus habent,
Esse hoc vitandum rabido cane pejus & angue
De Baccis Lauri texta corona monet.
Laure ô perpetuos semper gere frondis honores:
Perpetuum salve, perpetuumq; vire.

LAURI ELOGIUM. II.

Ut myrtus Veneri est, olea est sacrata Minervæ,

Populus Amphytrioniadæ: Sic Laurea Phœbo.
Laurum Phœbus amat, Musarum præses Apollo.
Phœbum ne an Laurum celebre? meus ardor uterq;
Si canimus Phœbum, Phœbus mihi carmine dignus.
Si canimus Laurum, Laurus quoq; carmine digna.
Laurigero decus est laurus præstantius auro;
Majus amoris erit quod nam Jovis argumentum
Quam Laurus, nullum quæ sentit fulminis ictum.
Quam pulcrum Laurus Clarii gregis ornamentum!
Hæc decorat Vates: exornat tempora eorum
Qui primas sophiæ partes didicere, periti
Grammatica, Logica, Suada, incunabula linguæ,
Cecropiæ & Latiæ, nec non elementa Mathesi
Propria (quis sine nemo potest se tollere Olympo)
Hauserunt, aut libarunt summo tenus ore.

Sequitur

ORATIO DE NATIUA

ET HEREDITARIA IN NOBIS LAbe & corruptione. In qua refutatur philosophicè Flacianum Dogma, pigmentis Aristotelicis fucatum, quod est: PECCATUM ORIGINIS *esse ipsam hominis lapsi naturam & essentiam, non verò Qualitatem accidentalem: Et Philosophiæ verus usus & abusus ostenditur: Pronuntiata Marpurg. in solenni Promotione 23. Candidatorum à Rodol. Gocl. Corbac. publico Professore. Cum Præfatiuncula ad clariss. Phil. & Med. D. Casparum Peucerum.*

CLARISSIMO ET PRÆSTANTISsim. Dn. CASPARO PEUCERO, philosophiæ atq; artis Medicæ Doctori, S. P. D.

D*Ulce & amabile est nomen amicitiæ & Cōcordiæ: res verò ipsa dulcissima lōgeq; jucūdissima: quippe*

quippe quæ omnis chori ethnici coryphæo & tanquã antistiti Platoni συμφωνίαν νοημάτων, καὶ ὑπολημμάτων ὁμόνοιαν ὑπὲρ καλῶν καὶ δικαίων: κοινωνίαν βίου μετ' εὐνοίας, καὶ τοῦ εὖ ποιῆσαι καὶ παθεῖν, καὶ τῶν ὄντων ἁπάντων: *animorum, studiorum & sententiarum tanquam concentum, summam de justis & honestis consensionẽ: beneficiorũ & affectionũ, & omniũ denique rerũ, quarũ cõmunicatio esse potest, cõmunitatẽ ab omni invidia liberã complectatur: cujus quidẽ fundamentũ & primaria caussa* αὐτόφιλον καὶ πρῶτον φίλον *Deus, efficax animorum veluti* προξενήτης *atque conciliator:* ξυναίτιον *verò & quidem id suo modo potentissimum,* ὁμοιότης *&* οἰκειότης, *morum similitudo & cognatio, non nisi è bonis virũ elucens, quibus omnis vita est* εὐάρμοστος, *& secum præclare consentiens.* In Definitio.

Hæc harmonia non δημώδης *popularis, sed* μεγίστης *illius Musicæ Socraticæ hoc est Ethicæ pars est insignis, qua suavior, concinnior & melior nec excogitari, nec sensu percipi potest. Itaque Philosophus, Hermeam, Coriscum. Erastum, viros eximios gravissimè hortatur, ut in eam rem certatim incumbant, ut concordibus animis in unum quendam unius amicitiæ complexum, unamque communitatem mutuis nexibus coalescant. Et in Dialogis suis sapientissimis passim* κοινωνίαν καὶ συμπλοκὴν *hanc, & concordem germanitatem perquã magnificè & splendidissimis verbis commendat: Quæ ut olim magna cũ voluptate mente complexus sum: sic quoties,* Caspar Peucere *vir eximie, memoria & cogitatione mecum repeto atque recolligo: toties optimorum quondam Procerum & Doctorum, adeoque pulcerrimi cœtus, & universæ Reipub. Scholasticæ in* Academia Witebergensi *sta-* Plat. in Theæteto. In Epist. 6. ep.

si status memoria, non animo modo, sed prope oculis meis obversatur. Etenim ea habuit inde usq; ab initio, suo quodam peculiari fato, & Dei perbenigno concessu, cum alia multa singularia, antequam, alvei illius miserè perturbarentur & disjicerentur, tū verò hoc maximè, quod in docentibus τὸ ὅμοιον καὶ ξύμφωνον illud semper fuit, hoc est, voluntatem inter eos consensio, arctissima animorum colligatio, copulatioq; in Deo, & ὁμοδοξία: auditorum verò atq; discentium ea erga praeceptores suos & erga se mutuo affectio, ut ubicunq; postea, etiam multum annorum spatio decurso, vel congressi sunt superioribus annis vel etiamnum conveniunt priores illi Witebergenses, nō nisi cum summa animi latitia inter se amare & complecti cernas. Fuit & admirabilis pene omnium, qui vel docuerunt, vel didicerunt in ea Schola, ut in aliis, ita & in sermonis genere & charactere dicendi una tanquam Musica, hoc est congruenia & similitudo. Perfecit id sua dexteritate, sapientia, suavitate vocis, & penna bonitate, quibus ornatus & auctoritate, qua armatus fuit à Deo, pene inimicabili, Magnus ille Philippus Melanchthon, socer tuus, beatissima memoria: Qui fuit fere primus & cōmunis praceptor, atq; ceu οἰκοδεσπότης, & magister ac instaurator cum omnium aliarum doctrinarum in Germania, tum verò etiam studiorum eloquentia, qua ipse & magno conatu excitabat & propagabat, bene favente Deo, felicissime: cum quidem & primis & posterioribus temporibus solus fere adornaret ac scriberet, qua proponebantur aut recitabantur publicè vel ab ipso, vel ab aliis, gravissima doctrina & commonefactionis omnia: aut alios in scriptione eruditis & piis subjectionibus rerum & luminum insignium sedulo adjuvaret. Hinc adeò factum ut pulcra omnium inter se esset aqualibitas, hoc est, ut ad normam & exemplum expressionemq;

virtu-

virtutum summi artificis componerent ac referrent sese in Schola cæteri omnes, cum & conjungeret omnes & copularet inter se arte mira, Ethica seu concinnitate morum dulci, Philosophia sobria, Theologia sancta, patientia, candore, pietate, lenitate & bonitate divina. Hæc enim decora cum in eo essent illustriora & conspectiora, quasi incantationis cujusdam efficaciam habebant, (ut cum Platone iterum loquar) ut mirabiles sui amores in omnium animis excitarent, & pulcritudo illorum ad imitationem impelleret. Nulla enim re homo bonos magis ad sese attrahit & allicit, aut voluntates inter se conciliat, quàm splendore veræ virtutis. Sic ergo Philomela *illa* Germaniæ, *& oris & manus ac calami plectro, canente, præcinente, succinente, modos faciente & regente,* Leucoreis *erat una manus; vox una, cor unum: & quid multa? una & concors Musica. Nec vel aurum splendidum, vel adamas* ὅτως ἀςράπτει πρὸς ὄψιν, *ita coruscat in hominum oculis (liceat enim rursus augustè cum Platone loqui(atq; fulgebat Melanchthoniorum, hoc est, bonorum* ὁμοφρόνων νόησις, *mens consentiens. Cum verò sanctè & beatè è specula jam decessisset heroicus ille excubitor atque custos, qui pervigilans in commune studio infesso benefaciebat omnibus: tota domus cœpit tunc onus esse tuum. Nam qui & in gubernatione rectorum studiorum, & in conservanda ac fulcienda Republica Scholastica utilissimè quasi succederet, inventus tu es & habitus fere solus. Et illa quidem, ut jam dudum in intelligentium virorum animis confirmata insederat, ita vera omnino de te existimatio fuit, ut cui* τὰ ἔκβαντα *feliciter responderint: quandoquidem beata illius anima personam quasi cum magna laude & admiratione sustinens, præterquam quod fidelis & prudens eras* ἐργοδιώκτης *corporis & tanquam,* In Epist. ep. 10.

συσήμα] & *scholastici harmoniam & conjunctionem singulari Dei munere, & praeclara tua virtute tuebaris, & scholae res multis modis amplificabas: donec tandem fatalis illa machina, & horum temporum infelicitas mutationem rebus & locis attulit magnam, adeoque te publicae luci & hominum oculis eripuit, non sine ingenti dolore, & veris gemitibus piorum & bonorum aliquot annis desideratum. Cùm igitur, ut miraculum divinae misericordiae (id enim te esse vere scribis) & alter Josephus, ex tenebris longis & ambagibus longis in solem ac lucem senex, heroico climactere LXIII. jam superato, & animo & corpore bene valente, reductus, nuper hic in comitatu aulico Illustrissimorum Principum, laudatissimae & antiquissimae familiae Ascaniae nobis quoq; tandem redderens, laetitia perfusi sumus incredibili: cum nos, qui partim Scholae VVittebergensis fuimus aliquando alumni, partim praetereà tibi amicitia vel cognationis necessitudine intime juncti, partim in docendo etiam tandem Collegae: tum verò alii quoq; magnifici & nobilissimi viri, & professores eximii, qui celebritate nominis tui, rerúmque à te pie & constanter gestarum, qui fama & praedicatione de tuis ornamentis & praeclaris erga rempublicam meritis & perpetuò duraturis ingenii tui monumentis moti, conspectum tuum avidissimae eruditorum sermonum causa jam dudum expetebant. Mox verò dum omnes una etiam dolebamus, quod vix incoata de multis publicis inprimis & privatis rebus dulcissima colloquia interrumpebat, nobisque auferebat abitus tuus, quo mox altero die, postquam venisti, à complexu nostro rursus avellebare, tuam aulam illustrem sequens, laterique ceu custos animi & corporis junctus adolescentibus Principibus, quos ut antiquissima & laudatissima est eorum familia, ita audimus verè antiquae & praeclarae virtutis ac pietatis praebere atque ostendere de se spem*

& ex-

& exspectationem certam omnibus, eamque ut larga sua gratia firmam ac ratam velit esse Deus, qui unus dat salutem Regibus, optamus. Te quoque citius hinc, quam vellemus, à nobis abductum, animis, cum corporibus nequeamus, & votis nostris pie ad Deum pro te conceptis, & quibuscunque possumus officiis significationibus prosequimur. Quare ut Principes Illustrissimi Hassiæ, veri & pii hoc ferreo seculo Ecclesiæ nutritores, εὐεργέται, & Domini nostri benignissimi, te clementissima affectione ac humanitate in hac gente sua & terra sunt complexi: ita nobis quoque quam gratus & optatus fueris in schola hospes, judicavi publicè ostendendum. Nam cum inter cætera, cum significatione benevolentiæ studii, & officii singularis, ad solennem etiam publica promotionis nostræ actum mane accesseris, eo ipso die, quo mox à prandio, quod in tuum honorem Academia paraverat, discedens nobis bene precabaris: atque publici nostri congressus actus de consilio optimorum virorum edendus esset, cui eum potius ac libentius inserberem, quàm tibi, non invenio quenquam. Quod enim de isto argumento, in quo oratio mea versata est, tenere mihi videor, judico tibi nonnulla ex parte deberi, & cum fœnore tibi reddendum, quod à te acceptum tuli, qui in disputatione publica habita Anno 1571. cui R. & Clar. vir Caspar Cruciger Theologiæ Doctor, 20. Jan. *magna cum laude præsidebat, gravissime & doctissime ex ipso fundamento differeres adversus περ[illegible]λώδη ἐκ[illegible]ρώματα Βλακικὰ: sicut sanè longo tempore Flacianæ striges primum quidem Melanchthoni socero tuo, posteà & tibi ferali suo cantu obstrepentes, inque vos inprimis, fato quodam, Deo puniente peccata hominum, incurrentes, ut in orbibus & pectoribus multorum, ita & in Academia ad Albim nidificare, & pullos suos degeneres eniti, & volucres obscœnas excludere conceperunt: è quibus forma maxime*

me abhorrentis sunt, Homo brutus, bestialis, truncus: *Corruptio hominis talis, qualis est transmutatio substantiæ Physica in aliam & novam: Caro alterius seu diversæ speciei: Conversio & impressio imaginis Dei, ac infusio gratiæ Spiritus divini momentanea & violenta in hominem, ut in* Urceolos vacuos: *Homo lapsus* αὐθαμαρτία, *id est, peccatum ipsum & opus* Diaboli: *quibus & portentosa Theologia inducitur: (quæ non habet testimonium spiritualis experientiæ piorum in cordibus) & homo ex homine exuitur: & Physica cum Theologicis, naturalia cum voluntariis miscentur: & οὐσία rei cum πάθεσι ipsis confunditur: quæ non discernere est ἀπαιδευσίας tenebris sese & alios involvere, ne quid dicam gravius. Habeo & alias non prorsus nullo numero caussas meæ hujus* προσφωνήσεως, *quas nunc mitto, quod, ne epistola modum excedat, ad extrema properem. Talis est præstantissime vir, vera Ecclesia: cœtus piorum, sæpe etjam paucorum, consentiens de vera doctrina, & simul etiam in dissimilia, longóq; intervallo disjuncta* κλίματα *sparsus, rectè invocans Deum, & conjunctionis piæ amans, etsi non sit inclusus, ut multi putant, intra unius atq; alterius oppidi mœnia, aut etjam unius gentis circumscriptus limitibus: defensionem deniq; habens à* Deo, *etsi fert dominationem & clamores hypocritarum & Sycophantarum, afflantq; eam fumi atque flatus Typhonum, qui audacissimè comminiscuntur disseminant, & propagant opiniones dissimiles, convitiaq; tetra projiciunt in Deum & homines. Quare ut hoc qualecunq; mei* μνημόσυνον, *& conjunctionis tum illius, quæ solet atq; consuevit esse, ut dixi initio, inter* γνησίυς *Academiæ* Wittebergensis *homines, tum hujus, quæ mihi est tecum in Christo, Ecclesiæ capite, adeoque observantia erga te meæ testimonium, amanter à me accipias, & hanc meam compella-*

pellationem, audaciusculam fortasse, gratam tibi acceptámque esse patiaris, humaniter peto. Simul etiam oro, ut si per occupationes instaurandarum rursus rerum quarundam doctrinarum & historiarum utilium ac necessariarum, hæc nostra (quæ quidem multitudine Scholasticarum πραγματειῶν aliarum pene obruto non fas fuit ad tenue climare) inspicere licebit, de tuo judicio & censura disertè significare ne graveris: cum quidem antea quoque & benevolentia tua adjutus ac recreatus, & judicio atq; candore tuo sincero delectatus sim. Latabor igitur, si & deinceps quid sentias aut probes, mihi libere & liberaliter ostenderis. Deum autem fontem omnis cognitionis & doctrinæ toto pectore oro, ut veram lucem & intellectum Philosophiæ & Theologiæ sobriæ in multis accendat, atq; in nobis magis magisq; confirmet, faciátq; ut diu adhuc in cursu inter honestissimos placidiore & tranquilliore, inq; meditationibus, quæ prosunt Principibus, & multorum hominum vitæ, Ecclesiæ, & communibus omnis generis erudita, pia, & sincera doctrinæ studiis servire possis. Bene & feliciter vale. Marp. ex Museo nostro, Idibus Augusti, Anno Servatoris 1588.

Rodolphus Goclenius.

ORATIO ELENCTICA.

EXIMIA illa & augusta Platonis vox est, Magnifice Domine Rector, Reverendi & Clarissimi viri, Studiosíque lectissimi, Philosophiam minimè esse inanem inertemque contemplationem, sed in beata regnorum gubernatione, addo ego, in Ecclesia Christi: utilem ac fructuosam. Ac prodest omninò discentibus sæpissimè artium usum, cùm in societate humana, tum verò maximè in doctrina ea, qua salus nostra nititur,

nititur, ostendere. Quemadmodum enim folia ar-
D. Basil. bori sunt ornamento & usui ad fructus conservandos: Ita congruenter τὴν θύραθεν σοφίαν seu Philosophiam velut folia&corticem veritati circumducimus. Illius videlicet sapientiæ cognitionem nobis quoque tanquam Ægyptiorum illa spolia legitimo furto licet invertere, & ad verum germanumque usum convertere. Cum itaque in hoc solenni conventu Academico, antequam primæ laureæ candidati ornentur, omninò, quod instituta majorum volunt; de quopiam argumento mihi verba facienda sint, quantas Dialectica & Physica Ἀκρόασις Aristotelis ἀναλυτικῶς publicè tradidimus, habeat ad primæ sapientiæ sobriam explicationem opportunitates, vel unico exemplo testatius faciam, idque eo fine, ut ad purioris Philosophiæ, inprimisq; Logicæ & Physicæ studium ac amorem divinarum rerum studiosos, qui certè omnes esse debemus, inflammem atq; exstimulem. Faciam autem id, & quàm possum maximè perspicuè, & observato τῷ μιλείῳ λόγου, & ut spero, cum fructu nonnullo. Itaque vobis, optimi adolescentes, dignum officium & mihi honorificum facitis, quòd, quam à vobis precibus exposcere debebam, eam vestrapte sponte operam mihi audiendo daturos, silentio vestro, oculorum in nos hilari conjectu, atque aurium liberali erectione, non obscure præ vobis fertis.

Philosophia Platonica puriorem quendam hominis statum agnoscit: Agnoscit & illius primigeniæ puritatis corruptionem. Peccati denique & labis inseminationem quandam per parentes
Labes Orig. Plat. est πάθος. in liberos agnoscit. Testatur enim in divinum Rationis miraculum ἀνάρμοστον πάθος ἐπικεκλῆσαι, & hoc ipsum πάθος rationis vim terrena crassaque

ſaque ignorantiæ caligine hebetaſſe & obſcuraſſe, nec tamen penitus exſtinxiſſe. Reliquę enim manſerunt ſcintillæ & igniculi cognitionis Dei, & diſcriminis boni & mali. Hæc ſana eſt de degenere & corrupta hominis natura philoſophia, & quidem illa ſacrarum literarum ſententiæ germana: qualis etiam eſt Hermetis Triſmegiſti, qui hominis labem & ſordes affirmat eſſe πάθη, quæ creata opera ſequantur, quemadmodum æs rubigo. Congruenter autem hæc dici veritati & ſanctæ Scripturæ orthodoxi Theologi fuſiſſime demonſtrarunt. Sed ante annos non ita multos hoc egit *Flacius*, & etiamnum agunt quidam, qui ab ejus ſunt diſciplina, magno conatu, ut contrariam doctrinam invehant: *Peccatum ſcilicet à primo ortu inhærens, non eſſe naturæ adventitiam contagionem, ſed ipſam hominis eſſentiam & naturam, quanquam corruptam, & ἐνδελέχειαν ſubſtantialem, qua ad peccandum rapiamur, quod eliſa, extrita & expulſa imagine Dei, quam cauſam formalem hominis integri fuiſſe contendit, ſucceſſerit peccatum, ut nova forma & nova imago à Diabolo impreſſa: Itaque homo integer & lapſus ſpecie & forma unus homo non ſint.* Horum περιλογίας etſi ſolidè confutatas exiſtimo à noſtratibus Theologis: tamen, quia architectus illius dogmatis ſeſe armis Philoſophicis communit, iiſque aliquos minus inſtructos πανοπλίᾳ Philoſophica circumvenit, ſecumque in errorem præcipitia abducit, nos clypeo Logico & gladio Phyſico accincti experiemur, an iſtius armaturæ acies tanta ſit, ut veritatem concerpere aut concidere poſſit.

Neq; verò hoc eſt μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, ſeu extra aleas ſuæ profeſſionis vagari. Nam cum & Platonica familia, quod ante attigi, de natura &

ἀταξίᾳ hominis differat, ut quæ doceat, Philosophiæ usum in DEI potissimùm & nostri ipsorum cognitione verti, cumq; Peccatum illud Substantiale ex tertio Aristotelis principio, videlicet privatione & corruptione Physica Illyricus exsculpat, ut obtinere possit, *Hominis voluntatem in regeneratione & conversione habere se ut truncum & caudicem, esse subjectum impressionis imaginis Dei merè παθητικὸν, adeóq; hostiliter & pertinaciter repugnare gratiæ*, sicut hoc memini eruditissimè in publica quadam disputatione juventuti Scholasticę ostendere Clarissimum Peucerum, quem honoris causa nomino, cuiq; quantas maximas possum, non tam meo, quàm totius Academiæ nomine, ago gratias, quod hunc conventum & solennem actum sua nobis exoptatissima & honorificentissima præsentia celebriorem reddere dignatus est: Cùm, inquam ex istis fundamentis (at σαθροῖς certè) peccatum illud fabricet, φιλοσοφικὴν duntaxat ἀνασκευὴν ad destruendum sum adhibiturus. Accedit huc, quod, templo Delphico inscripta, aurea sententia, & omnium Philosophorum literis tanquam divina celebrata, γνῶθι σεαυτὸν me ad cogitationem naturæ hominis, quo hæc commentatio & disputatio ferè omnis referenda est, & ad refellendum de ea gravissimum, & quidem longe fœcundissimum errorem cohortatur. Etenim ut in lerna Hydræ, sicut est in fabulis, prodigiosa fœcunditas exstitit: sic cùm aliorum, tum verò hujus erroris uberrima & multiplex est propagatio. Dum enim δογματιστὴς ingenio suo nimis indulgens, & hyperbolis abutens, quasi fugacia Dædali simulacra persequitur, ut est in Platonis Menone: vel eo abripitur, ut non vereatur scribere: (cohorresco, me Christe. referens) *Carnem*

Serva-

Servatoris esse alterius speciei, quam nostram, & Diabolos tota specie & toto genere differre à sanctis angelis. Sic usuvenit hoc, quod a Philosopho dictum est: Uno inconveniente dato infinita se quuntur. Ac sane accidit isti quod iis, qui in luto utrunque crus impactum habent. Nam quo enixius sese alterutro expedire conantur, eo fortius ac profundius alterum defigunt. Cum igitur παράδοξου illius auctor, *Peccatum illud*, quod Originis vocant, hoc est, à stirpe generis ac seminis nobis ingeneratum, scribit, *esse modo hominis naturam, seu essentialem formam & animam rationalem οὐσιωδῶς corruptam, modo ipsam voluntatis essentiam, modo ipsum cor inversum & perversum & adulteratam rationem*, mirum dictu, quantam invehat confusionem Substantiarum & Accidentium, Subjectorum & Adjunctorum, Causarum & effectorum, formarum accidentalium & substantialium, abstractorum & concretorum, propriè & modificatè dictorum, alterationis denique & Interitus, quæ inaccurata & πρὸς ἀλήθειαν apodicticam accommodata ratione docendi (nam popularium & panegyricarum orationem alia est ratio) probe discernenda sunt. Peccatum originis essentia aut forma essentialis non est, qualitas & forma accidentaria est. Adjacens & tenacissime inhærens naturæ malum est, subjectum ipsum non est. Naturæ depravatio est, ipsa natura depravata proprie non est. Non est corruptio naturæ seu substantiæ hominis substantialis, sed alteratio, violatio, vitiatio. Nam primo quicquid uspiam est, aut est αὐθυπόστατον, aut ἑτερυπόστατον, axioma est in cujus assertionem conspirarũt quasi omnes vere philosophi, non secus atque hanc sententiam animo quasi insculptam tuetur omnium gentiũ

Error detestandus, Carnem Christi non esse nostræ ὁμοειδῆ.

Thesis ἀνεπίληπτος, ejusq; disputatio.

non monstrosarum consensio, Quodlibet est aut non est. Et, quod eodem ferè recidit, Ens, aliqui inquiunt, est Substantia vel Qualitas: atq; hæc quidem essentialis: ut rationalis: vel accidentalis: ut albus. Jam verò εὐπερίστατος (ut cum auctore Epistolæ ad Hebr. loquar) ἁμαρτία non est αὐθυπόστατος & οὐσιῶδές τι. Nam si peccatum nativum est in hoc rerum genere, corpúsne erit, an spiritus hominis, an facultas essentialis.

Corpus qui, quæso, sit, cum peccatum in animo
Plato. sit, corpus autem in animo non sit? Anima enim, cum figuræ & dimensionum expers sit, non potest esse, subjectum capax corporis, certis circumscriptionis terminis definiti. Corpus, cedo, qui sit, cum in ipso etiam corpore seu carne & membris
Rō. 7. & 8. inhæreat? Quod si sit spiritus, animus erit ipse, aut specie quiddam differens ab anima, genere autem conveniens. At ipsa animæ οὐσία esse nequit, cum ab anima exsistat corporis vita, informatio & perfectio? peccatum autem hoc corpus non informet, sed deformet, non perficiat hominem, sed inficiat, & interficiat tandem, itaque causa sit vitæ
Cardan. non efficiens, sed deficiens. Et si animi tanquam
& Melanc. regia sedes est cor, quod multis Theologis placere video, vel cerebrum, quod medicorum multorum dogma est, quo modo peccatum, quod per omnia viscera diffusum est, & vel minutissimas pervasit particulas lepræ instar, quomodo, inquam, hæc animi vitiositas substantia esse queat? si verò in toto esse corpore anima dicatur, quo-
Scaliger. modo non peccatum actiones naturæ singularum corporis partium consentaneas? hoc est, cor movebit, in ventriculo coquet, in epate recoquet, in venis perficiet, in membra digeret, in corpus mutabit, sufficiet, uniet, instaurabit, redintegrabit.

Nec

Nec peculiaris in animo spiritus esse potest, cùm spiritus naturali ratione non sit in spiritu, at nulla etiam forma est in alia forma. Et quomodo denique sit δύναμις ὑσιώδης, cùm id, propter quod animalis homo non est capax eorum, quæ sunt spiritus Dei, sit naturalis ἀδυναμία, quæ in habilitatis, ac δυνάμεως naturalis locum successit. Ac licet dicatur etiam δύναμις καὶ ἕξις peccandi ingenita, tamen accidentalis sit, necesse est, cum & sine ea homo possit exsistere, & sit cum ἀδυναμίᾳ & ἀταξίᾳ conjuncta. Et (ut omnia leviter perstringam) si peccatum est summus animæ rationalis gradus, qui liberi arbitrii appellatione continetur, & ita est ὑσιῶδές τι, cur non & in reliquis membris substantia dicitur, cum tota natura hominis sit quasi fermento peccati infecta? Ex his opinor Sole clarius effulgere, peccatum illud & malum in posteros Adami disseminatum, non esse in classe substantiarum, & rerum essentialium, sed Entium per aliud, ideoque non minus improprie dici, peccatum esse naturam hominis, quam si dicatur Animam hominis esse crasin, vel numerum: Semen esse vim gignentem animal, vulnus esse partem corporis. Genus enim & species debent esse ejusdem categoriæ, non petitæ ἐξ ἑτέρας συστοιχίας, hoc est, è diversa classe & ordine. Unde & hoc liquet, non proprie dici hominem lapsum peccatum, sed peccatorem, quod & vulgatus Canon docet, Accidentia non συνωνύμως, sed παρωνύμως, &, ut loquuntur, voce Concreti subjectus attribui: Et Genus speciei attribui συνωνύμως, non παρωνύμως: ut, Nigror est color, non vero coloratus. Nec quicquam juvat istos,

Peccatum est Ens per aliud.

adversus quos disputamus, quod excipiunt, se non simpliciter dicere, *peccatum esse naturam hominis, sed corruptam*. Nam hoc dicis, quod ajunt, gratia fit, & populariter, ac ἀκυρον est, imo crassius dicitur. Vulnus proprie non est dilacerata corporis pars, sed laceratio partis. Ruptura, vel rima in speculo aut olla non est discontinuata, vitiataque pars in speculo, aut olla, sed solutio continui, & vitium in speculo, aut olla. Sic peccatum quoque ingenitum non essentia hominis corrupta, sed naturæ corruptio, & depravatio in subjecto, quod reliquum est. Ecquis eruditorum est, qui hæc tanquam proprie & apodictice dicta ferat? Ferrum, quod ignitum est, esse ipsum ignem, Corpus hominis, quod animatum est, esse ipsum animum: Tempus, quod est numerus, seu mensura motus esse ipsum motum numeratum: Vinum, quod veneno corruptum, hoc est, depravatum est, esse ipsum venenum. Ecquomodo ergo illum proprie loqui putabimus, qui hominem, peccato corruptum, hoc est, infectum, purum putum peccatum esse dicit? Nemo certe doctus eleganter, & æquo animo ferre possit tantam inscitiam Medici, qui, cum febris hectica totum corporis habitum pervasit, ipsum corpus propterea febrim esse dicere ausit? quo modo ἑκτικὸν cum adjuncto confunderetur: aut vesicæ calculum esse morbum ipsum? quo modo id, quod obstruit, cum obstructione ipsa commisceretur, & morbus fieret substantia, qui eruditis medicis qualitas est, & abolito morbo ipse statim calculus aboleretur, quod non fit, aut deniq; calorem naturalem esse febrim ipsam? quod & ipsum secus habet. Destructa enim febri non aboletur calor ipse naturalis, sed reficitur. Quare hic calor nec febris genus, nec pars essentiæ ejus esse potest, sed tantum subjectum est, cui

Peccatum innatū non inepte comparatur febri hecticæ.

febris

febris accidit. Deinde verum non eſt, quod Illyricus in definitione peccati στέρησιν de privatione non accidentali, ſed ſubſtantiali, & corruptionem hoc eſt, violationem naturæ hominis, de Phyſica tranſmutatione, & corruptione interpretatur. Privatio Ariſtotelis ſubſtantialis eſt defectus formæ in materia, & hujus inclinatio ad novam formam, quæ in momento introducitur. Accidentalis verò eſt vacuitas, & abſentia accidentis in ſubjecto. Corruptio Phyſica generationi oppoſita, hoc eſt, ſubſtantialis, eſt tranſmutatio totius compoſiti ſubſtantialis, in aliud novum compoſitum ſubſtantiale, nullo ſenſibili remanente. Sed corruptio accidentalis eſt variatio, facta in ſubjecto, qua deſtruitur accidens.

Hæc ergo qualia ſint videamus. Cum ex non corpore fit corpus, ex non cane canis, privatio illa, quæ motus eſt cauſa ſine qua non, ſubſtantialis eſt: Accidentalis vero, cum ex immuſico muſicum, ex impolito politum fieri dicimus. Cum ex homine fit non homo, ut elementum aliquod vel ſerpens, hæc φθορὰ ſeu corruptio ἁπλῶς eſt. Cum vero ex nigro albus, ex juſto injuſtus, hæc corruptio accidentalis eſt. Id quod fateri coguntur, vel quibus eſt ſemiuncia veri, ut ait Poëta. Si igitur peccatum ἀρχέγονον eſt privatio vel corruptio ſubſtantialis, quærò, cur habere illud definiatur: Ex juſto non juſtum factum eſſe, & non potius ex homine non hominem factum eſſe? Etſi omnino ita ſubſtantia noſtra optima evaſit peſſima, ut ſi aurum puriſſimum in plumbum, vitis in labruſcam, olea in oleaſtrum converſa ſint, (hi enim, ut ante attigi, ſunt Illyrici, & ſuorum floſculi, hæc pigmenta, imo verius objectæ nebulæ, quibus à vero judicio ſimpliciores abducuntur) ſi, inquam,

ejusmodi essentialis transmutatio hominis à peccato exstitit, qui homines amplius vocabimur, cum sublata pristina forma, & succedente nova, tollatur rei nomen, & definitio? ut cum ex & in caseo, pereunte hujus forma, nascitur vermis, non dicitur amplius caseus, sed vermis. Δίκαιον γὰρ ἀπὸ τῶν εἰδῶν τὰ ὄντα προσαγορεύειν, id est, æquum est à formis rebus nomina imponi. Præterea sic fit in renatis mutatio substantialis injustitiæ in vere perfecteque contrariam substantialem justitiam, hoc profecto etiam dogmatistes cum suis fateri ex natura contrariorum cogetur: Sicut peccatum fuit perfecta imago Diaboli in impiis, ita justitiam eorum, postquam renati sunt, esse perfectam imaginem DEI, & ex consequenti nullas hærere peccati reliquias in sanctis, & conversis, nisi forte in inferioribus duntaxat viribus, justitiamque non consistere in imputatione alienæ justitiæ, sed in formali justitia, & inhærente, qui omnes sunt falsissimi, & ab Ecclesia rejecti errores. Ac ut arctius eos Aristotelea Philosophia, ex qua arma contra veritatem sumserunt, premamus, & deductione ad incommodum urgeamus. Si natura seu substantia transformata est in contrariam, peccatum, peccatum sane ut generabile se habebit. Substantiæ enim seu naturæ est generatio. Si ut generabile, quomodo non erit corruptibile? Si corruptibile, quomodo non aliud generabit? Generabit ergo ut aliud peccatum, idque homine jam ad corruptionem tendente, quod est ἀδύνατον, quia mors est tanquam via, & causa sine qua non restituendæ integritatis: Aut justitiam procreabit, quod si absurdum non est, quid tum, cum causa non sit toto genere deterior suo effecto, & simile procreet simile? Ecquis satis sobrius credat, *ipsam*

ani-

animam rationalem fuisse justitiam originalem, eandemq; essentialiter permutatam esse in injustitiam, ac in renatis vicissim permutari & transformari justitiam. Non enim injustitia unquam mutatur in justitiam, ut nunquam nigror transit in alborem, sed injustum potest fieri justum, ut ex nigro album. Quia homo tanquam subjectum utriusque contrarii vicissim capax est. Recte dicimus, Frigidum esse factum calidum, non autem frigus factum esse calorem, aut privationem frigoris esse ipsam ὀυσίαν caloris. Ita probe etiam dicimus, justam & puram naturam factam esse injustam, & impuram, non vero puritatem esse factam impuritatem. Quid? quod, si stabit ille πλασματίας λόγος, conficietur ex eo, Animam & ὑποκείμενον seu subjectum esse, & σνμβεβηκὸς, seu accidens simul, ipsamq; in sese recipere contraria, & simul esse ipsa contraria, quo quid monstrosius fingi possit, non video. Quod enim fuit, qui diceret, cum nulla absurditate cõjunctum esse statuere peccatum ἔμφυτον esse & accidens & substantiam, quandoquidem & accidẽtia & substantia hominis simul sunt depravata, hoc ergo tam puerile est, ut refutationis me suppudeat. Qualis enim hæc est consecutio: In lepra & homini adjunctus color & ipsa substantia inficitur. Ergo lepra est accidens & substantia simul? Hæc omnia tam manifesta sunt, ut negari non possint nisi ab eo, quem Orestes ipse insanus juret non sanum esse hominem. Itaque ne de rationis statu videantur omnino deturbati, aliquid largiuntur, *Substantiam scilic. hominis manere in partib. ignobilioribus duntaxat, in præstantissima vero parte interiisse, seu optimam formam animæ in pessimam essentialiter esse transformatam, partem autem optimã volunt esse liberum arbitrium, idemq;*

Quasi circularis mutatio.

volunt postea etiam esse pessimam partem, seu formam. Id vero ἀδιώατον est, substantiæ uni & individuæ, qualis homo est, detrahi partem optimam & substantiam tamen permanere: quæ tanquam in puncto ἀτόμῳ posita est, vel sese habet ut figura vel numerus aliquis definitus, cui nihil addi potest, aut adimi tam exiguum, quin tota ejus essentia perierit. Abolito ergo libero illo arbitrio fieri nullo modo potest, ut adhuc superstes sit eadem hominis substantia. At non dicimus, inquiunt, *Cor vel liberum arbitrium* (mire enim variant suis nomenclaturis) *simpliciter exolescere, aut aboleri, sed essentialiter transmutari: sicut propter lapsum Adæ totus mundus non est abolitus, sed essentialiter mutatus.* Sed contra nemo unquam essentialem transmutationem pro alia re intellexit, nec intelligere poterit, quam pro tali corruptione, qua tendit res ad non esse, & ad quam sequitur novæ rei procreatio. Non esse autem regenerationem hominis intelligendam de Physica παλιγγενεσίᾳ, Christus luculenter ostendit, cum de tali imaginatione Nicodemum castiget. Cumque cœli & cœlestium corporum neque materia, neque forma, neque naturalis qualitas corrupta sit, substantialiter totum mundum esse mutatum, nemo concesserit, nisi qui cum ratione insaniat. Sed adhibent ad id, quod volunt, comparationem à ruina domus pulcerrimæ & formæ ejus interitu. *Reliqua, inquiunt, sunt de homine primævo, seu pristino, velut destructa domo ruinosa quadam rudera.* O ruinosæ & perditæ potius causæ, miseram substructionem & ruinosum fulcrum. Domus enim, quatenus domus, non denotat substantiam, nec à natura ita dicitur, sed à forma artificiosa, ac cum vitio quodam

Arist. in Metaph. & Scal. exerc. 149. sect. 3.

desti-

destruitur domus ita, ut materies aliqua reliqua sit, fit συςήματος compositi artificiosa dissolutio. At homini labes peccati, non concreata quidem, sed concreta adjacet, salva, per omnem vitã, corporis & animæ conjunctione, salvis facultatibus essentialibus, ut δυνάμει illa κειτικῆ, sub quã cadit τὸ γνωςὸν τοῦ θεοῦ, de quo Paulus cap. 1. ad Ro. Definitionem etiam accidentis Porphyrianam in patrocinium suæ caussæ advocat. *Accidens est, quicquid adest, vel abest, præter subjecti corruptionem. Jam si peccatum, inde usq; à primo ortu contractum, non potest abesse, citra subjecti interitum, eo quod homo vetus mortificatur in separatione peccati, statuendum putant, peccatũ illud non esse qualitatem accidentariam.* Ἄτοπα ταῦτα, καὶ οὐκ αὐτοῖς ξύμφωνα. Hæc tum absurde dicuntur, tum secum ipsa vehementer pugnant. Primum, peccatum originis separari posse concedunt à subjecto, & tamen asserunt esse optimam subjecti substantiam, cum fieri omnino non possit, ut aliquid sit in subjecto, & simul subjectum ipsum. Deinde mortificatio hominis veteris nequaquam est subjecti interitus (ut nec subjecti corruptio erat, quando originalem justitiam homo amisit. Quod si dicat peccatum istud non separari naturaliter, sed vi divinæ omnipotentiæ, quæ nos exutos mortali corpore tandem resuscitatura sit justos & expertes omnis labis, id libenter dabimus. Sed nihilominus interim peccatum separabile est aliquid ratione, & substantia hominis erit eadem, in vita illa beata & sanctissima, quæ fuit in hac ærumnosa, & sordidata. Debebant igitur isti distinguere in accidentis illa descriptione, inter corruptionẽ Physicam, & Logicam, inter actum, & potentiam. Peccatum originis etsi totum ante mortem na-

turæ exui, seu citra compositi dissolutionem abesse ab eo non possit, in præsente hominis statu: abest, tamen ab ea præter subjecti corruptionem logicam, mens enim nostra logica ἀφαιρέσει abstrahit peccatum ab anima, ut nigredinem à corvo, & albedinem à cygno. Etsi enim reipsa nigror corvo detrahi nequeat: Potest tamen mutato colore corvus albus intelligi, sine interitu corvi, in quo est: quia nigror non est καθ' αὐτὸ corvo, nec pertinet ad ejus essentiam.

Non αἴσθησις tantum, sed & λόγος separationes facit.

Postremo ne hoc quidem negari potest, in hac etiam vita peccatum aliqua ex parte esse χωριστὸν. & separari à corde, per regenerationem: quo fit, ut David petat à Deo creationem novi cordis, hoc est, renovationem, ipsa Scriptura interprete.

Ajunt porro, peccatum ἔμφυτον esse maximè ἐνεργητικὸν, & in perpetuo motu. Actiones autem tribui substantiis. Quid audio? Ergo dolor nihil agit, ergo morbus nihil agit, calor & frigus nihil agunt. Actiones & perpessiones sunt substantiarum: quis neget? Sed annon illæ ipsæ substantiæ per qualitates sufficaces? Omnino, Accidentia dant formæ, ut sic agat, ait Scaliger. Ideo autem tribuuntur ἐνέργειαι substantiis, quia nullam accidens agit nisi per vim suæ substantiæ, ut iterum cum Scaligero loquar. Sed ad ravim etiam inculcant, Deum non irasci mero accidenti, quod propinquum est non enti (Aristot. 6. Philos.): Accidens non posse sustinere reatum, & Scripturam in describendo peccato uti substantialibus verbis. Atque hinc inferunt, peccatum esse hominis naturam ipsam. Hic vere respondemus: Fieri non posse, ut accidens subsistat sine subjecto, seu, ut Philosophus inquit, Accidentis es-

Exer. 250.

Ex. 6. se. 5.

Οὐδενότης accidentis sine subjecto.

sentiam esse ἐνυπάρχειν, id est, inhærere. Accusat ergo Deus & ream peragit ipsam substantiam, & non solum, accidens malum, quod hoc absque subjecto substantiali esse nequeat. Quomodo medicus curat corpus ipsum, non autem morbum solum, qui in corpora, utpote subjecto, inhæret. Merito igitur nativa vitiositas cum ipso subjecto seu toto homine accusatur & damnatur, ut merito magistratus punit, & furtum, & furem: nec tamen furtum, sed furem laqueo suspendit. Ἀσυλλογισία igitur committitur, & ita purum putum sophisma deprehenditur. *Substantialibus Verbis nominatur, & arguitur peccatum.* Ergo est substantia. Imo vero subjectum peccati necessario simul est comprehendendum, cum sine eo contrariorum mutatio nunquam fieri possit, alterius in alterum, ut docent omnes Physicorum familiæ.

Scal. 10. exer. Malum in bono ἐνυπάρχει.

Præterea quod Scriptura vocabulis, quæ κυρίως substātiæ notationes sunt, de peccato utitur, nihil mirum est, cum nomina substantiarum & subjectorum sæpe pro adjunctis, hoc est, pro qualitatibus in subjectis inhærentibus, & pro actionibus æqualitatum ponatur, per auxesin seu emphaticam metonymiam; quo modo etiam peccatum ipsum pro re extreme vitiosa, & maledictioni subjecta, & caro pro carnali affectione accipitur.

Sic porro ratiocinantur: Homo est peccator. Peccatoris forma est peccatum. Ergo homo est peccatum: Et ex consequenti, peccatum est forma hominis. Sed (malum) in qua Schola ita argumētari didicerūt: Stultitiæ ne an Sapiētiæ? Homines isti sunt stulti. Stulti forma est stultitia. Ergo homines isti sūt mera stultitia. Respōdeto pro me Echo. Quid sit ex male consi tis? Utis, hoc

est nullus Syllogismus, At verò, inquiunt, benè infertur istud ex regula quæ traditur in doctrina Arist. quæ categorias antecedit. Cum alterum de altero tanquam de subjecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de subjecto quoq; dicetur. Minime verò. Regula hæc manet vera, sed exemplum non congruit ad eam: ut Solis motus legitimus est in cœlo perpetuò, ubi tanquam horologium est minime fallax, etsi stolidus æditüus templi horologium non recte dirigat ad cursum Solis. Sed cur exemplum non quadrat ad canonem? Quod laboret vitio malæ subsumtionis seu Elenchi ἐκθέσεως ὅρων, id est, expositionis terminorum; itaque deprehendas hic tanquam scopas dissolutas. Quis enim est tam plumbeus in Logicis, qui non intelligat esse quatuor terminos, Homo, Peccator. Peccatoris forma, Peccatum? Plurimum autem anhelant & sudant, ut se expediant, ne videatur confiteri, Diabolum conditorem esse & principium substantiarum malarum, sed frustra Positis enim principiis istis, quibus utuntur, scopulus Manichæi dogmatis evitari non potest. Ac hic maxime evenit eis, quod illis, qui in cœno hærent, qui dum pedem alterum, quo sese expediant, tollere nituntur, altiùs figunt alterum. Affirmāt eandem substantiam posse habere duos diversissimos auctores, alterum verum conditorem Deum, alterum destructorem Diabolum, & tamen rem esse numero unam. Hujus autem rei tale proponunt exemplum: Arbor bona, cum mutatur in malam, non duæ sunt arbores, sed una: caussa autē alia est bonæ, alia malæ arboris. Sic illi quidā: sed quid hoc eos juverit? Num malitia, qua arbor mala est, est arbor ipsa, sicut peccatum dicunt esse ipsam animam. Arbor mala non simpliciter significat arborē, sed arborem cū qualitate inhærente,

D. Br. Seidel.

quæ

quæ mutabilis est. Et dũ ex bona arbore fit mala, eadem arbor est subjectum utriusque qualitatis, & mutatio aut destructio ista non efficit novam substantiam arboris, sed variationem seu alterationem. Nec habet duos auctores arbor, unum à quo procreetur bona, alterum à quo procreetur mala. Si per destructorem intelligerent caussam alterationis cujusdam, concedi posset. Non enim caussa alterans est caussa generans, aut creans, ut interpolator est renovator vestis, non procreator. Caussa calefaciens aquam, ut ignis, non est auctor ipsius substantiæ aqueę, cum in alteratione subjectum maneat idem, eiq; tantum qualitas nova indatur. Quomodo ergo destructor talis alterans, dicetur auctor substantiæ ipsius? Sed destructorẽ pro conditore intelligunt, cum dicant hominem non renatum esse opus Diaboli, & imaginem Satanæ, nec velint in homine factam destructionem esse accidens quoddam: cum denique huc transferant illud Aristotelis: Interitus unius, est alterius ortus. Tandem, qui, inquiunt, Dæmon nõ possit esse effectrix caussa substantiæ, cùm sint innumeræ res, quæ substantias ex aliis substantiis faciunt? Cocus enim in olla carnẽ coquens ex aqua facit aerem. Et rustica interventu motus ex lacte potest conficere butyrum, & vinitor ex aqua & uvæ floccibus facit loram. Quid ni ergo Diabolus πολυτεχνώτατος invertere possit hominis substãtiam & diversam à priori producere: Sed propterea quod isti oculis utuntur (ut est apud Plautum) oculis item nostris dent aliquid, æquum est. Cernimus enim ab istis cõmitti fallaciam à non caussa tãquam caussa. Quod ex aqua fit aer seu vapor, dũ coquitur ad ignem, non certe id hominis opus est, sed naturæ: ignis siquidem est, qui partes aquæ omnes penetrat, segregat, attenuat, rarefacit, & in va-

Triuncurianus. Fatemur, inquit, lapidum istorum accuratissime præparatorum partes adeo misceri cum minutissimis quibusq; partibus ejus metalli fusi, in quod injiciuntur, ut fiat quasi crama quoddam metallicum. Etenim si metallum nihil aliud est quam auqua terrea, multo frigore congelata, quæ propterea non nisi multo calore restitui potest in pristinum fluorem: non est mirum, aurum & argentum posse fieri unum per crasin, præsertim cum pulvis aure accuratissimè præparatus in argentum fusum projicitur. Ergo fit U N U M per CRASIN, non autem unum per generationem. Proinde forma auri remanet in materia & partibus auri, ut & forma argenti remanet in materia argenti non secus atque in cramate, ut in vino aqua diluto, seu mixto cum aqua, remanet utriusque nempe vini & aquæ forma. Ut igitur homini & arti, qui est habitus in homine, sic & Diabolo ἀδύνατον est Metamorphosis seu transformatio unius speciei in aliam, quæ idem quiddam esset cum creatione. Cujus enim potentiæ est creare, ejusdem etiam est destruere, &c. invertere in aliam essentiam. Dei autem solius est creare. Dei ergo solius est rerum Metamorphosis, qualis est aquæ in vinum, & uxoris Lothi in statuam salis, quod si metamorphosi Satanica homo essentialiter secundum formam transmutaretur, ne quidem externa species & materia hominis maneret. Nã materia & formæ internæ & speciei externæ subjectum est. Jam ergo cum sua Adamo constiterit externa facies & materia, etiã tum cum jam in peccatum prolapsus esset, forma etiã incolumis permãserit, necesse est. Inter Adamum itaq; in statu integritatis & statu corruptionis nõ essentiale sed accidentale discrimen est, seu homo renatus nec numero, nec specie nec genere à se ipso

In disput. exoterica de concordia Medicorum.

Homo integer & depravatus, renatus

nus & non renatus, differunt λόγῳ, *non* τῷ εἶναι, *seu* ὑποκειμένῳ.

ipse non renato differt, quod ad substantiam attinet, hoc est, non est nova species, sed idem ipse subjectum est tum justitię tum injustitiæ vicissim. At ex illorum delirio *Diabolus essentialiter transformavit animam rationalem hominis*: quod quid, quæso, aliud est quam ex specie prima effecisse aliam novam, & quod hinc omnino consequitur, esse molitorem seu fabricatorem & principium substantiæ vitiosæ? Quod vero excusant se, cum *dicunt hominem integrum & corruptum tota specie differre, non se velle id in Physiologicis verũ esse, sed id tantum locum habere in* Theologia: pulcella profecto & bella excusatio est, & egregium ad sanandam caussam elegantissimæ distinctionis pharmacon. Videor mihi hic audire quendã, qui sic diceret: *Hac definitio, Homo est animal rationale in Philosophia vera est, in* Theologia *falsa, ubi de* ψυχικῷ, *hoc est, brutali homine*. ut interpretantur isti, *agitur*. Sed ô brutũ pecus, Talesne inveniri homines, qui hominem ex homine tollunt, & quod sẽper & ubiq; verũ & ἀταμέλάκτως ἀμέταπτωτον est, ac re unum, hic verum, illic falsum, modo hoc, modo aliud esse arbitrantur? Quasi vero Theologia proponat nobis alias substantiarum & rerum creatarum species quam philosophia, & non magis nos erudiat de coruptione & reparatione earundem substantiarum, quæ à Deo productæ sunt & nullo alio. Qui ergo homo est in Physica, idem certe etiam homo erit in Theologia & eum hominem, quem Christus redemit non alium, quam Physicum fuisse credimus. Aliud autem est cum dicimus duplicem esse unius hominis respectum, unum Physicum, alterum Theologicum, & Philosophiam aliter judicare & definire hominem justum, quam Theologiam: sed hoc ab οὐσίᾳ hominis plurimum distat. Hominibus itaque definitio

finitio pbiloſophica, qua dicitur eſſe animal rationis particeps non evadit falſa in Theologia, etſi ſtatuatur ratio in divinis eſſe vel depravatiſſima. Quo fit, ut etiam divus Athanaſius hominē Chriſtum, qua homo, animal eſſe rationis compos, contra hæreticos aſſerat, & à vero multum diſſideat, ſi dicatur, *Caro Chriſti eſſe longe alius veritatis, definitionis aut ſpeciei, quàm noſtra:* cum re ipſa aſſerente D. Cyrillo cum ſcriptura. Corpus quamvis λόγυ proprium, noſtris tamen ſit cognatum & conſubſtantiale, ſecundum quod caro intelligitur. Videmur hactenus pro noſtra virili arma adverſaria retudiſſe, & vitioſam Peccati fabricam labefactaſſe. Sed tamen antequam dicendi finem faciamus, ἐκ περιουσίας adjiciemus quædam ἀξιώματα ad veram ἐπιφορὰν comparata. Primo principium indubitatæ veritatis eſt de Tranſcendentib. & formæ unitate. E N S & unum convertuntur: neque enim ſpecierum confuſio eſt, Et uni ſubjecto duæ formæ eſſentiales tribui nequeunt. Hoc tanquam ariete proſternitur hoc ex opinionum Manichæarū portentis unum, quod *duæ ſint in homine præſertim renato diſtincta formæ, altera bona à Deo, altera mala à Diabolo.* Et iſtud Illyrici; *In homine renato peccatum originis eſſe ſubſtantialē imaginem.* Deinde certum eſt. In accurata doctrina & conſtituendis dogmatis non fas eſſe Subjectum adhibere loco generis; id quod & in Topica Ariſtotelis doctrina cavetur. Ut igitur in reprehenſionem incurrit definitio. Febris eſt calor naturalis mutatus in igneum calorem: Sic vitio non vocat hæc: Peccatum originis eſt natura hominis corrupta, &c. Addo tertium, quod hactenus nemo quidem (quod ego ſciam) in dubium vocavit: Quicquid ſeparari poteſt ab uno ſubjecto, id non poteſt eſſe eſſentia alterius ſubjecti; *Averro. & Thom.*

seu quicquid est accidens in una re, id non potest esse pars substantiæ alterius, ut quia nigror est accidens in homine, non est essentialis corvo, sed inest ei κατὰ συμβεβηκός. Quia igitur peccatū nunc cōgenitum ante lapsum hominis à corde abfuit, & post hanc vitam separabitur, ut accidens: non potest in hoc præsente hominis statu ipsa anima, ipsa substantia intellectus & voluntatis, ipsum denique cor esse. Ad extremum Bonum est æquale ENTI, hoc est, Bonum & essentia convertuntur, canon est Platonicorum & BONAVENTURÆ, quo nihil verius, nihil in Scholis decantatius. Et

Prop. reduplicativa Augustini. Omnis Natura, in quantum natura, bonum est, quia opus Dei est. At peccatum nunquā fuit, nunquam est, nunquam erit bonum: semper fuit, semper deniq; erit malum, necessitate definitionis & Demonstrationis immutabili, cum illud sit ordinis & operis divini pollutio ac perversio, & labes deformissima, bonique & privatio & corruptio. Hinc ergo conficitur, Peccatum ipsam hominis essentiam esse, vere dici non posse. Atque hæc quidem adhuc ἐκ τῶν ὑπαρχόντων, pro præsenti copia, remotis omnibus fucis & coloribus, ne auditorem aurium voluptate delinire potius quam veritate imbuere videremur. Ea autem adeo firma sunt, ut nullis contrariorum argumentorum, quæ speciem gravitatis habent, machinis dimoveri, nedum levium ratiuncularum flabellis agitari posse existimem. Concludimus itaq; cum D. Augustino: Natura humana, etsi mala est, quia vitiata est: non tamen malum est, quia natura est, sine quo bono nullum potest esse vitium:

Et quanquam veteris labes innata veneni
Tam procul insedit carni, tam fixa profundis
Naturæ in gremio radicibus hæret, ut instar
Morbida fermenti vires penetraverit omnes

Cor-

Corporis atq; animæ, mediis diffusa medullis,
Non tamen arbitriũ est, non est substantia cordis.

Nec est in omnibus prædicamentis seu Transcendens, ut F. scripsit: Sed est in genere eorum, quæ accidunt homini præter essentiam, ut morbus, qui est affectus παρὰ φύσιν: Ac, ut explicatius dicam, est 1. ϛέρησις, hoc est, privatio conformitatis cum æterna & immota norma justitiæ divinæ in lege expressæ, ignoratio Dei, dubitationes de Deo, diffidentia, aversio voluntatis à Deo. 2. ἀδυναμία, ad efficienda ea præstandaque, quæ descripta in lege Dei rigidissime à toto humano genere exiguntur. 3. δύναμις seu inclinatio propensioque, imò ὁρμὴ, id est, incitatio & impulsus ad vagos & errantes motus lege Dei prohibitos. Est itaque hominis naturæ vitiatio, seu corruptio talis, qua natura evadit mala non malum ipsum. quod doctissimum & πρώτως in mente intelligente & voluntate appetente ac libera inhæret.

Hæc habui, quæ de horribili labe vitii originalis strictim dicerem, & ut sacrorum studiosos ad Philosophiæ studium excitarem, & abusus ejus cavendum monerum. Est enim vera Philosophia lux naturalis animis à Deo in creatione insita (cujus radii aliqui etiam in natura misere sauciata contaminataque remanserunt) & organon Spiritus divini ad erudiendum & convincendum de veritate omnes non insanos, aut petulanter adversa fronte ei repugnantes. Nam ratio à Spiritu sancto ad divinas res percipiendas illustrata, per cœlestis doctrinæ vocem, & ex πρώτοις atque axiomatis in scriptura Prophetica & Apostolica traditis, secundum normas bonæ & necessariæ consecutionis, divinitus rationis compoti creaturæ impressas, considerat & judicat,

De usu & abusu Philosophia in sacris literis.

quomodo partes doctrinæ inter se aptæ colligatæque sint, atque cohæreant, quomodo, se mutuo stabiliant, quid illis ἀκόλουθον ac consentaneum, quid ab iisdem sit dissentaneum & alienum. Hanc rationis ἀπραξίαν & usum in divinis rebus tantum abest, ut Deus improbet, ut illum etiam severissime requirat. Quid? quod propter hunc usum naturam intelligentem condidit, ac δύναμιν κριτικὴν ὑπόδη seu normas judicandi & discernendi verum à falso, certum ab incerto, illi inseruit, ut, quæ mens & voluntas ipsius sit, probare ac confirmare, & obloquentes convincere possit. Et sicut inter sobriam veramque Philosophiam, quæ à nevis & erroribus vindicata ac repurgata, se ut famulam dominæ Theologiæ adjicit, ita, ut nec extraordinaria Dei opera ordinariis naturæ operibus evertat, nec commenta & monstrosa hominum mendacia, pugnantia cum immota veritate, verbo & natura Dei, absolutæ omnipotentiæ Dei titulo ac προσχήματι venditari permittat: Inter hanc igitur Sapientiam, & inter sacram Scripturam, ut re ipsa non est contradictio: nec, quod in Philosophia verum est, id continuò in Theologia est mendacium: sic etiam τρόπον διδάξεως, hoc est, rationem & formam res explicandi, demonstrandi & refellendi, aliam non servat Theosophia, nisi quam sana Philosophia monstrat.

Sicut itaque (ut ad hypothesin descendamus) Logica est instrumentũ verum à falso discernendi in Philosophia, sic & in Theologia. Sicut omnis doctrina Philosophica, quæ demonstratione constituitur & absolvitur, exsistit ex principiis: ita etiam doctrina cœlestis habet sua τὰ πρῶτα ἀναπόδεικτα & ἀυτόπιστα, è quibus demonstrationes

nes Theologicæ conficiuntur. Res quidem ipſas & principia Theologica non gignit Philoſophia: ſed ut Theologus ex iis aliquid exſtruere poſſit, non aliam quam Philoſophicam amuſſim adhibet.

Cùm tanta igitur ſit Philoſophiæ commoditas, in ea ſtudioſi ſe diligenter exercebunt, nec adoleſcentuli ſtatim, ut in publicam ſcholam venerunt, in ſacra illotis manibus & pedibus, & tanquam ſus, quod dicitur, in roſetum irruent, nullam prorſus vel certe admodum tenuem ſcientiam & uſum noſtrarum literarum habentes. Æmulabuntur potius hos præſentes candidatos, qui in ſuperiorum facultatum arcem, in involare, ſed gradatim conſcendere cupiunt, non arroganter & ſuperbe deſpicientes Philoſophicorum ſtudiorum & honorum gradus à majoribus noſtris inſtitutos. Ut enim ad Romani Capitolii faſtigiū aſcenſurus ante intermedios gradus percurrebat, quam ad ſummam perveniret: Sic ſapiens antiquitas voluit, eum, qui ad ſtudiorum ſuorum finē volet aſpirare, per ſingulas artes, tāquam per gradus decurrere, quo demum curſu confecto, extremo ſtudiorum bono potiretur.

Hoc cùm intelligerent hi 23. adoleſcentes, hactenus omne ſuum otium, curas, & cogitationes omnes in Logicis, utraque lingua: & initiis Matheſeos defixerunt, & cum ab honeſtiſſimo noſtro Collegio primum ſuorum ſtudiorum teſtimonium peterent, ab eo auditi ſunt, mores, vita & eruditio eorum explorata diligenter. Ac quidem ab exploratione illa digni judicati ſunt, in quos publicè prima laurea conferretur: quam ob rem etiam eos in hoc theatrum produximus. Sed cum non parum referat, omnibus liquido conſtare eos eſſe tales, quibus honos decretus meri-

 to tri-

to tribuatur, antequam ornentur, & tanquã dii minorum gentium prodantur, specimen quoddam eruditionis suæ singuli edent. Primus ergo problema tuum clare edisserito. Deinde cæteri singulatim suas quæstiones explicanto.

Singuli pronuntiarunt suas declamatiunculas.

AUdistis, ut hi studiosiss. adolescentes in amplissimo hoc consessu clariss. & ornatissimorum virorum, sui periculum fecerint, ut ingenii & eruditionis specimen dederint, quod vobis probari non dubito: Restat igitur, ut eos Philosophiæ Baccalaureos renuntiem. Sed tamen antequam hoc fiat, jurejurando se astringent, nihil se contra dignitatem hujus inclytæ Academiæ, & contra honorem Professorum Philosophiæ præceptorum suorum commissuros unquam, & hos honores nusquam unquam iterum petituros, & si qua alia capita sunt. Jurejurando igitur optimi cadidati vos obligabitis, invocato vero & vivo Deo teste & judice, si contra unquam quod absit, feceritis. Recita nomenclator formulam juris jurandi.

Recitata est formula, & singuli tactu sceptris jurarunt.

RENUNTIATIO.

EGo igitur Rodolphus Goclenius, nõ tam meo, quam universi Collegii Professorum Philosophiæ nomine, in amplissimo hoc consessu, & universæ Academiæ conspectu, renunctio & declaro hos 23. adolescentes ex æquo Philosophiæ Baccalaureos. Quod illis felix, faustum, & bonum Deus Opt. Max. esse velit. Tribuitur Insigne:

I. CHRISTOPHORUS CRAMErus Alendorphensis.

ADstictam, si non capiat quem gloria Lauri,
Nec super ipse sua molitur laude laborem:

[Tu

Tu vero ad doctam cathedram bene docte Cramere,
Pro virtute tibi decus immortale repono
Hoc Daphnes sertum. Virtutis calcar honores.

II. Melchior Colerus Birsteinensis.

Non atro Colere mihi carbone notande,
Hem viridem laurum tibi præmia prima laborum.
Discite ab hoc pueri: non qui certamina segnes
Fugerunt, sed pugnarunt, meruere Coronas.
Arte petit summas vel Carbonarius arces.

III. Jodocus Pfortius Cassellanus.

Præmia Jodoco jam nunc solvemus. E. *ovemus,* Echo.
Quæ quisquis spernis, dispereas. E. *pereas.*
Ut sat sis pulcer mihi Baccalaureus. E. *aureus,*
En Jodoce tibi Laureola. E. *aureola.*
Hanc reverenter habe, casto quam pollice Clio
Fecit: ob hanc ardet te Galathea. E. *Dea.*

IV. Wigandus Heimelius Grentzenbachensis.

Heimolio do lauream,
Heimelio do gemmulam.
Lusu, jocis & otio
Non crescit eruditio.
Labore Divi munera
Mortalibus vendunt sua.

V. Simon Lucanus Neocuriensis.

Ut decus est horto laurus laurusque corona,
Pulcra corona coma, coma Nymphæ, Nympha choreæ:
Sic virtus artis decus est, artique juventa,
Docta juventa scholæ, schola templis, templa colonis.
Hac tua te moneat latissima laurea Simon.

VI. Philippus Halgans Grunbergensis.

Saulne inter vates? inter ferus anser olores?
Non ita: doctrina es factus & arte cicur.

Ergo Vola huc, & ut orneris pulcre, caput unum
Da mihi: Præposito cætera dono coco.
Advigila libris: damnosa est alea pernox:
In serto gemma est (ut placet?) ista tuo.

VII. Theodorus de Ana Geismariensis.

Qui *Theodore colis præsignia dona Dei artes,*
Immemor haud unquam nominis ipse tui.
Te manet hæc merces, proprio tibi adepta labore:
Cuiq; sua est virtus, non aliena, decus.

VIII. Michael Lambertus Geismariensis.

A*T tibi nunc textam tribuo Lamberte corollã,*
Quæ damnosi expers senij tua tempora circum
Floreat, æterneq; nitens scintillet honore,
Donec ad æquoreis ignotos fluctibus ignes
Clara Ariadneæ rutilabunt signa coronæ.
Clara Ariadneæ rutilabunt signa coronæ.

IX. Johannes Curtius Zigehain.

F*Loribus his redimire caput, pulcerrime Curti,*
intactis anni, tactis à Virgine pulcra,
Lectisq; in Charitum pictis & Apollinis hortis,
Quam factum bene; namq; dedit tibi gratia nomen.

X. Nicolaus Lumhardus Berstadiensis.

L*Umbarde adesto Laonice: te Volo.*
Tibi hanc corollam Musa nexilem dedit.
Carptam è Virentis pratuli intensa coma.
Quo neq; proterVum pastor unquam egit pecus, *Ex Dio Græco Poëta.*
Neq; falcis unquam Venit acies improba.
Apis una flores Vere libat aureos,
Puris honestus quos rigat lymphis pudor.

XI. Henricus Crugius Cassellanus.

U*Rcee, non hedera, mihi non cingenda corymbis*
, Thyrsigeri (Musas sobria vita decet)
Urcee, sed lauro Phœbi, castæq; MinerVæ
Condecorande, artis præmia tolle meæ.

XII. Conradus Wrasen Zirembergens.

W*Rase praesenti cape latus hora*
Lauream: pulcro micat haec pyropo,
Et levis cespes probat esse numen,
Quod regit orbem.

XIII. Georg. Albinus Giessens.

T*U quoq; fer capitis decus hoc, Albine, corollam,*
Texuit hanc digitis Gratia terna suis.
Si quos exercet Musarum culta laborque,
Hos manet & merces debita laudis honos.

XIV. Joannes Mercator Marpurg.

HUc *Mercator ades, sequitorq; trahentia fata:*
Ingenii merces merx erit ista tui.
Ars bona vi magna non est mercabilis auri,
Illa sed impigro parta labore venit.

XV. Laurent. Scheichius Grunbergens.

L*Aurentio debetur merito laurea,*
Huc ergo Scheichi, & hinc tuam fer lauream,
Ex Gratiarum pratuli intonsa coma
Aptam: probis, & his unis, quos auream
Natura docuit ipsa temperantiam,
Fas carpere illinc: improbis autem nefas.
At tu fusca Scheichi vinculum coma
Amice suscipe, quod pia dextra porrigit.

XVI. Ægidius Keil Eschwicensis.

UBi malignus nodus est,
Quærendus asper cuneus est:
Nam cunei vis est maxima.
Ingenium si sit plumbeum,
Ut hereat fixissimis
Radicibus scientia,
Animo tandem, unus cuneus est,
Et alter, Diligentia,
Et continuata Motio
Cerebri, & crebra lectio.
His, Ægidi, cuneos tibi

Quod tibi nullo *Marceat ævo,*
Et tibi Christus *Verus Apollo*
Numine dexter *Assit amico.*

XXIII. Joan. Rosserus Cassell.

C*Onstat & æterna positum lege istud habetur:*
Ultima cunctarum rerum est perfectio finis.
Finis ait, pater ille Sophum, dat nomina rebus.
Integer est à fine dies, non solis ab ortu
Integer, extremum, est, quem punctum terminat, orbis.
Et tu ringere adhuc, Roslere, quod ultimus orbem
Perficis hunc, obliqua trahens vestigia pone:
Et numerus numerum comples, nihilominus æquum
Prorsus cum primo & medio sortitus honorem?
Quin ades, & quæ deposuit tibi præmia apud me.
Musa, auferto, paris capiti gestamen honoris.

EXHORTATIO AD JU*VENES & Studiosis cum voto.*

ORnati juvenes, spes ô non parva virorum,
Laurea collata hæc vobis reverēter habeto:
Pro se quisq; decus partum virtute tuetor.
Vos vero reliqui, cunctos florere per annos
Qui cupitis, juvenes, & honoris in arce locari,
O fugite exosi pigra desidis otia vitæ,
Et vires, omnesq; illuc contendite nervos.
Ut crescente ævo vobis sapientia crescat:
Quod faxit, precor, omne Deus trinunus in ævum.

Carmine acta sunt gratiæ Deo, Principibus & auditoribus.

PROBLEMATUM, NEC NON SENTENTIARUM AC verborum, quæ fusa sunt, memorabilium

INDEX.

Oe

frequen-

 poten-

pulti-

Vigila-

FINIS.

Si, pro An: Latinè dici
posse probatur.

Non aliis exemplis, quam illis,
quae à Philippo Pareo in
Lex. Plaut. laudantur, appro-
banda supradicta propositio.

Terent. Eun.
Ad eum visam, si domi est.

Proper.
Mane erat, et volui, si sola qui-
esceret illa
Visere; at in lecto Cynthia sola fuit.

Horat. lib. i. epist. 7. ver. 39.
Inspice, si possum donata reponere laetus.

Tib. lib. 3. eleg. i.
Illa mihi referat, si nostri mutua cura est,
An minor —

Livius lib. 33.
Percunctans, si concilium suo universali
soli, sed et salutare admitterent dimi...

possent.

Plaut. Most. 3. 2. v. 155.


ac aliis pluribus locis à Philippo adductis.

An T. litera suo ipsius sono proferri debeat:


Antiquum apud veteres fuisse, ut per T. non per C. proferrentur dictiones, constat, ex. g. Venetia, non Venecia per C. prolatio fieri debet auribus Epirotarum; alioquin illis sonus pseudolatine.

Verbo est duplicis Coniugationis 4.ta et per analogiam, sicut eo, is.

Primo somno dicit, quod est
in [illegible] in mero somno. Plaut.
Curc. 3. i.







Mandant fidei Graecorum idest non credere. lib. 2. cap. 58. fol. 119.
Graeco cum latino non esse mittendum. cxiiii-ix.

Ad universae Reip. commodum interest, ut exercitus ad disciplinam militiae plurimum intersit: ... disciplinae militiae interesse debere ... animatus, ut ... exemplis.

Ratem tuam ... ... facti.
Amicos ... ... negotium.

Apparet hic vir esse probus; ut apparet hunc hominem esse probum: item
iste dicitur esse superbus: ut istum dici turre esse superbum. Ex quo ... colligis ut ... in ... ... liquidum possunt apud se habere infinitum cum nominativo, ante, et post; ut itidem eadem verba habere possunt accusativum ante, et post. ut ex superioribus exemplis habes. Videor vult infinitum cum nominativo ante, et post; nunquam autem accusativum, sicuti caetera alia verba cum suo infinito.